CONCORDIA CHRONOLOGICA A PHILIPPO LABBEO BITURICO E...

Philippe Labbe

Digitized by Google

8
M E
5

Digitized by Google

PHILIPPI LABBEI
BITURICI
SOCIETATIS IESU
CHRONOLOGIÆ
HISTORICÆ
PARS PRIMA

Digitized by Google

PHILIPPI LABBEI BITURICI

SOCIETATIS IESU

CHRONOLOGIÆ HISTORICÆ

De Conuentu Minimorum Romanorum Montis

PARS PRIMA.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. LXX.

Digitized by Google



Digitized by Google

BREVE

TEMPORVM COMPENDIVM

DIGESTVM IN SÆCVLA

MVNDANA, ROMANA, CHRISTIANA,

In eorum gratiam, qui Hiſtoricam præcipuarum rerum ſeriem, aptámque inter ſe præteritorum Temporum concatenationem, & ad Canones Chronologicos accuratè exactam ſcire cupiunt, neque tamen ipſa Artis operoſiſſimæ penetrare myſteria admodùm curant.

ACCESSIT

NOMENCLATOR HISTORICVS

In totidem partes diuiſus, Mundanam, Romanam, Chriſtianam.

Digitized by Google

Omnia cùm Veterum ſint explorata libellis,
Mvlta loqui BREVITER ſit NOVITATIS opus.

Caſſiodorus Senator in verſibus quos ſubiunxit Præfationi Libelli de Orthographia ex duodecim Auctorum opuſculis anno ætatis 93. deflorati.

Faciam, quòd ſolent, qui terrarum ſitus pingunt, in breui quaſi tabellâ totam (non Romani duntaxat Imperij, ſed *Hiſtoriæ vniuerſæ Mundanæ, Romanæ, Chriſtianæ*) imaginem amplectar.

Ex Floro, ſiue L. Annæo Seneca in Præfatione Epitomes Hiſtoriarum Populi Romani.

Chronica ſunt Imagines Hiſtoriarum, breuiſſimæque Temporum commemorationes.

Idem Caſſiodorus Inſtitutionis diuinarum Scripturarum, capite decimo-ſeptimo.

Digitized by Google

LECTORIBVS CHRONOLOGIÆ TVTO', CLARE', AC BREVITER EDISCENDÆ STVDIOSIS PRÆNOTANDA.

I.

PROFANA *à ſacris charactere pendenti quem Italicum dicimus, fuiſſe conſultò nec indiligenter ſeiuncta. Sacra porrò intelligite* LECTORES TEMPORVM CVRIOSI, *quæ ſacris paginis continentur: Profana, quæ aliunde nobis perſpecta ſunt. Eo autem fine Profana illa à Sacris peculiari typorum formâ ſepoſuimus, vt qui inter ipſa Chronologiæ diſcendæ rudimenta Profanis magis afficiuntur, & à ſacris Hebraicarum Literarum monumentis videntur tantiſper abhorrere, Priſcam illam veterum populorum, quos Barbaros paſſim dicimus, & maximè Græcorum, Hiſtoriam à primâ Aſſyriorum Monarchiâ ac Belo Ninóque Regibus feliciter auſpicati, ad Olympiadas, atque adeò ad ipſa Romanæ Vrbis Palilia deducere nullo negotio, ac certis veluti veſtigiis perſequi poſſint. Neque ſanè deſunt etiamnum hodie delicatuli homines, quos à primo veluti limine Temporum arcet Hiſtoriæ Iudaicæ inculta facies, ac ſubhorrida, parúmque vſitata diſcentibus politiores literas ex Hebraicis fontibus deriuata vocabula non mediocriter deterrent.*

II.

PATRIARCHAS, *Iudices, Reges, Imperatoréſque, quos ab orbe condito ad noſtra tempora tanquam baſim & vniuerſæ crepidines ac fundamenta Chronologiæ in noſtra breui methodo ſexaginta verſibus Technicis ſummatim complexi ſumus, hîc quoque maiuſculis literis fuiſſe ſuis aptè locis exhibitos & ad oram libri præterea minuſculo charactere inſcriptos; vt altiùs infigantur memoriæ, atque ad eos, ſic tanquam ad Hermas regiâ viâ certis interuallis diſpoſitos, tum quæ præcedunt, tum quæ deinde ſequuntur, omnia facili negotio poſſint reuocari:*

Interualla viæ feſſis præſtare videtur,
Qui notat inſcriptus millia crebra lapis.

III.

DE *ſæculis præmittenda meritò videri nonnulla obſeruatione digniſſima, & crebriùs à curioſis vtriuſque Hiſtoriæ Lectoribus iteranda.*

Mundana Sæcula XVI. fluxiſſe ante Diluuium Noëticum, quod contigit anno Sæculi decimi-ſeptimi quinquageſimo ſexto, Mundi 1656.

Ante Abrahamum viginti ab ortu Mundi præteriiſſe ſæcula: natus quippe eſt ſæculi Mundani vigeſimi primi anno trigeſimo nono, Mundi 2039.

Viginti quinque euoluta ſæcula ante Exodum Iſraëlitarum ex Ægypto, & datam à Deo Legem Moſi in Monte Sinâ anno quadrageſimo quarto Sæculi vigeſimi ſexti, Mundano 2544.

Triginta ante Templum Salomonicum, quod fundatum eſt Hieroſolymis anno vigeſimo tertio Sæculi trigeſimi primi, Mundano 3023. *Salomonis quarto, & ab Exodo datáque Lege* 480.

Digitized by Google

Triginta tria ante Romanam Vrbem elapſa, cuius Palilia ſiue primus Vrbis conditæ annus feliciter cadit in annum Mundi, ex noſtra putatione, 3301.

Quadraginta verò effluxiſſe ante Chriſtianam ſeu Dionyſianam, quâ vulgò nunc vtimur, Æram, quæ cœpit anno 54. *Mundani Sæculi quadrageſimi primi itémque anno* 54. *octaui Romanæ Vrbis Sæculi, ſcilicet anno Mundi* 4054. *ab Vrbe condita* 754. *Iuliano* 46. *Auguſti Imperat. à Triumuiratu ſeu primo Conſulatu* 44.

Nos denique elapſis iam ab Orbe condito ſeptem & quinquaginta Sæculis, quinquageſimum octauum Mundi Sæculum & Romanum vigeſimum quintum aliquot annis delibaſſe ab anno Chriſtianæ Epochæ 1648. *qui fuit Mundi* 5701. *Romæ* 2401.

I V.

MVNDANA *Sæcula nobilioribus quibuſdam Epochis ad memoriæ vacillantis ſubſidium illuſtranda, & quaſi natiuis characteribus ab inuicem eſſe diſiungenda.*

Decimum commendat Mors Adami eiúſque coniugis Euæ.

XVII. Noëtico Diluui, rerúmque omnium inſtauratione illuſtratur.

XVIII. Celebrat Diuiſio terrarum regionúmque orbis à Noëmo facta.

XIX. Turris Babel, Belus, Ægialeus, aliíque Reges commendant.

XX. Ninus Beli filius, & Zoroaſtres Magus Perſarum Rex.

XXI. Semiramidis mors & Abraami Patriarchæ natiuitas.

XXII. Iſaaci ortus, primúſque Argiuorum Rex Inachus.

XXIII. Nuptiæ Jacobi Patriarchæ, & Ogygium Diluuium.

XXIV. Descensus Israëlitarum & mora in Ægypto, ac Ioſephi mors.

XXV. Atlas Promethei frater, & Rex Atheniensium Cecrops.

XXVI. Deucalionis Diluuium, Exodus, & Lex Moſi in monte data.

XXVII. Othoniel Hebræorum Iudex, Cadmus, Ceres, &c.

XXVIII. Pelops, & Gedeon.

XXIX. Thebana expeditio, & Troianæ vrbis excidium.

XXX. Heraclidarum descensus, primúſque Judæorum Rex Saul.

XXXI. Salomonicum Templum, & Homeri Poëtæ ortus.

XXXII. Carthago, Lycurgus, & Arbaces Medus.

XXXIII. Macedonum Rex Caranus, & Olympiades Iphiteæ.

De ROMANIS & CHRISTIANIS *quæ ſequentur Sæculis dicemus ſuo poſtea loco ac tempore opportuniùs.*

V.

NON *tam ſponte noſtrâ quàm aliorum hortatu atque conſilio præfixas fuiſſe ſingulis Chronologici noſtri Breuiarij ſententiis vulgares annorum Mundi, Romæ, ac Chriſti Æras, cùm pauci admodum ſint, qui inter ipſa præſertim Hiſtoriæ rudimenta accuratam illam ſuiſque omnibus numeris abſolutam Temporum intelligentiam curent, ſolis ætatum Mundi, aut ad ſummum Sæculorum diſtinctionibus contenti. Nos verò, vt omnibus faceremus ſatis, vtrumque præſtitimus: Ætates Mundi*

ſingulas, ipsáque adeò Sæcula, Mundana primùm, tum Romana atque Chriſtiana, ſuis characteribus & notis ab inuicem diſcreuimus, atque in prouectiorum gratiam Chronologicos annorum calculos ad ſeueriores arduæ illius maximiſque ingeniis digniſſimæ ſcientiæ regulas exactos adiecimus.

VI.

QVOD *ſi qui præterea adſcripta in ſingulis annorum periochis Auctorum ex quibus iſta deprompſimus nomina exigant, ne illi parum intelligunt, quid Compendij Chronologici titulus præ ſe ferat, nec nauatæ à nobis in libello iſto operæ rationem callent. Hoc certè vnum ſtuduimus, vt in Epitomen expeditam facilem & Tironibus omnibus, ipſis etiam pueris, ac prope infantibus peruiam coniiceremus præcipua quæque rerum à Principibus viris hactenus geſtarum capita; vt iis primùm informati atque imbuti Lectores ad Saliani, Tornielli, Baronij, Spondani, Petauij, Caluiſij, Gordoni, Simſonij, Vſſerij, aliorúmque ingentia volumina promptiores paratioréſque accedant: aut, quod paucis datum eſt, primæuos ipſoſmet fontes, vnde riui illi promanarunt, adeant; & ex Græcis Scriptoribus, Joſephum, Euſebium, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Diodorum Siculum, Polybium, Dionyſium Halicarnaſſeum, Plutarchum, Arrianum, Dionem Caſſium, Socratem, Sozomenum, Theodoretum, Euagrium, Zonaram, cæteróſque; ex Latinis verò Liuium, Salluſtium, Velleium, Tacitum, Suetonium, Eutropium, Victorem, alióſque iis ætate ſuppares, recentioréſque, ne in iis omnibus recenſendis diutiùs immorer, accuratè perlegant, perueſtigéntque. Illud Deo dante præſtabimus abundè, cùm Concordiam Sacræ Profanæque Chronologiæ infinitis propemodum acceſſionibus locupletatam iterum prælo ſubiiciemus.*

VII.

VIX *plura paucioribus verbis maioríque rerum delectu & ordine, commodioríque ad diſcendum methodo, (vt modò exactos ſumma diligentia ad Chronologicam amuſim calculos taceam) in tam anguſtis Libelli vnius ſpatiis potuiſſe comprehendi, huicque opellæ, ſi vſpiam aliàs adſcribendum :* MVLTA, PAVCIS, CLARÈ.

VIII.

AD *vltimum denique ex Polybij Megalopolitani ſententia verè aureâ, Scriptorem æſtimandum eſſe, non ex iis quæ prætermiſit ; ſed ex iis quæ dixerit : vt ſi hæc ab eo rectè dicta ſint, illa credantur iudicio magis, quàm ignorantiâ prætermiſſa.*

Omnis in Arte Labor poſitus, ſpes omnis in Arte eſt. *inquit non vulgaris Poëta.*

Χρόνῳ τε καὶ πόνῳ τἀληθὲς ἐκλάμπει ἀγαθοῦ παραλαμβάνοντος βοηθοῦ.

Tempore ac labore exculta veritas eluceſcit, præſertim ſi commodus aliquis adiutor accedat.

Clemens Alexand. Lib. 1. Strom.

PARS PRIMA
COMPENDII TEMPORVM
SÆCVLA MVNDANA XXXIII.
BREVITER REPRÆSENTANS,
Ab Orbis conditu ad Romæ Palilia, per annos ter mille trecentos.

VIGINTI PRIORA MVNDI SÆCVLA
A primo Mundi anno, ante Christum MMMMLIII.
ad annum Mundi bis millesimum,
& ante Christum MMLIV.

IE *Mundi sexto* creatus ab Omnipotente Deo ADAMVS cum vxore Adam. Euâ, paullò post vetito pomi esu peccat, eiicitúrque è Paradiso anno ante Christi Domini vulgarem Æram 4053. ante Olympiadas 3277. Periodi Iulianæ 661. *quam Mundi initia præcessisse aliquot annorum centuriis fingunt doctrinæ gratiâ Scaliger, Caluisius, Petauius, aliíque eruditissimi quique Chronologi posteriorum Temporum.*

II. *Anno mundi & sequentibus* nascuntur Cain, Abel, aliíque deinceps Adami atque Euæ liberi vtriusque sexus maximo numero.

CXXIX. *Anno mundi* Abel innocens piúsque Numinis cultor à Caïno fratre occiditur.

CXXXI. *Anno mundi currente*, & Adami 130. absoluto,
Seth. nascitur SETH afflictorum parentum solatium.
Enos. CCXXXVI. *Anno mundi* ENOS Sethi filius nascitur anno patris 105.
Caïnan. CCCXXVI. *An. mundi* CAINAN nascitur anno Enosi 90.
Malaleel. CCCXCVI. *Anno mundi* MALALEEL oritur in lucem anno Caïnanis 70.
Iared. CCCCLXI. *Anno mundi* IAREDI ortus anno patris Malaleelis 65.
Henoch. DCXXIII. *Anno mundi* lucem vidit HENOCH, ab Adamo septimus, anno Iaredi patris 162.
Mathusalem. DCLXXXVIII. *Anno mundi* oritur MATHVSALEMVS, anno Henochi patris 65.
Lamech. DCCCLXXV. *Anno mundi* LAMECHI primus annus cum parentis sui Mathusalemi anno 88. concurrit.

LABENTE Mundi sæculo decimo ADAM moritur anno vitæ ac Mundi DCCCCXXX. & post decennium Eua, vt plerique cum Hebræis sentiunt.

DCCCCLXXXVII. *Anno mundi* Henochus cùm placeret Deo anno ætatis 365. Mathusalemi filij 300. ab excessu Adami 57. translatus est in Paradisum.

M XLII. *Anno mundi* Sethus Adami filius Enosi pater obiit ætatis 912.
Noë. MLVII. *Anno mundi* nascitur NOEMVS, ab Adamo decimus, anno Lamechi patris 182.

MCXL. *Anno mundi* Enos moritur ætatis 905. tum anno 1235. Caïnan senior dictus, siue prior ad discrimen posterioris, vitæ 910. Deinde anno 1290. vitæ 895. Malaleel, cuius filius Iaredus obiit anno ætatis 962. ab orbe condito 1422.

MDLVII. *Anno mundi* ac Noëmi absoluto vitæ anno 500. iussu Dei cœpta est constrúi Arca. Biennio pòst, siue
Sem. anno mundi 1559. nascitur SEM, tum Cham & Iapher, quem tamen Noëmi fuisse primogenitum quidam asserunt.

MDCLI. *Anno mundi* moritur Lamech annum agens vitæ 777. quinquennio ante patrem suum Mathusalemum, qui natus annos 969. obiit omnium mortalium longæuissimus, paullò ante DILVVIVM quod contigit, *vt nemo fermè recentiorum Chronologorum dissentit*, Anno Mundi 1656. Noëmi sexcentesimo, *quo tandem finem nacta est* PRIMA MVNDI ÆTAS, *siue infantia ab Adami mundique natalibus exorsa vsque ad Diluuium Noëticum, vnde ad Abrahami ortum fluere cœpit, quæ dicitur Pueritia, seu* SECVNDA MVNDI ÆTAS, *annorum* 382.

ANNO MVNDI MDCLVII. Ante Christi vulgarem Æram 2397. Periodi Iulianæ 2317. NOEMVS ex Arca egreditur cum vxore filiis ac nuribus.

MDCLIX. *Anno mundi ac sequentibus*, nascuntur Semo filij ARPHAXAD, Ælam, Assur, &c. Iapheto verò Gomer, Magog, &c. tum Chamo Chus, Mesraim, &c. Arphaxad.

MDCXCIV. *Anno mundi*, ortus posterioris CAINANIS huic anno conuenit, quem parens Arphaxad genuit anno ætatis 35. Caïnan.

MDCCXXIV. *Anno mundi* nascitur SALA Caïnani iunioris filius anno vitæ patris 31. Sala.

MDCCLIV. *Anno mundi* ante Christianam Æram 2300. Salæ 31. ortus est HEBER, cuius familia primigeniam linguam, quæ Hebræa dicta est, seruasse creditur. Heber.

MDCCLXXXVIII. *Anno mundi* PHALEG nascitur, anno Heberis 35. In cuius diebus tria contigere insignia: Partitio terrarum, Noëmo filiis posteríque suis regiones orbis diuidente, Confusio linguarum, & Dimidiatio vitæ hominum. Phaleg.

MDCCC. *Anno mundi* ex Hebere oritur Iectan, quem humanæ Philosophiæ auctorem putat Genebrardus.

MDCCCXVIII. *Anno mundi* nascitur REV seu Ragau anno Phalegi 30. tum eius filius SARVG anno Reusi 33. ab orbe condito 1850. Reu. Sarug.

MDCCCLXXVIII. *Anno mundi* disiicitur Turris Babel nondum ab ædificatoribus perfecta, diuisisque linguis abeunt in Colonias Noëmi posteri.

MDCCCLXXIX. *Anno mundi ante Christum* 2175. BELVS, idem qui in Sacris paginis dicitur Nembroth, *primus Babylone regnat ad annos* 65.

Nachor. MDCCCLXXX. *Anno mundi* naſcitur NACHOR auus Abrahami, Sarugo eius patre annum vitæ 31. agente. *Hue quoque pertinent Arabum, Scytharum, Celtarúmque initia, atque Ægyptiorum, quæ minùs fabuloſæ ſunt Dynaſtiæ.*

MDCCCXC. *Anno mundi Sicyoniis in Peloponneſo primus regnat Ægialeus ad annos 52.*

Thare. MDCCCCIX. *Anno mundi* oritur Nachoris filius THARE anno patris 30.

MDCCCCXLIV. *Mortuo Belo Ninus ſecundus Aſſyriorum Rex ad annos 42. Niniuen ad Tigrium fluuium condit.*

MDCCCCLXXIX. *Anno mundi* ortus eſt Aram frater Abraami primogenitus, anno Tharei patris 70.

MDCCCCLXXXVII. *Anno mundi Sicyone ſuccedit Europi Telchin.*

MDCCCCXCII. *Anno mundi Ninus Zoroaſtrem Perſarum Regem bello vincit, tum Semiramidem ducit vxorem.*

MDCCCCXCVI. *Anno mundi poſt Nini obitum Aſſyriis tertio loco imperauit Semiramis ad annos 42. & Babylonem amplificatam, ornatámque coctilibus muris cinxit.*

VIGESIMVM PRIMVM MVNDI

Sæculum ab anno M. 2001. *ante Chriſtum* 2053.
ad annum M. 2100. *ante Chr.* 1954.

BIS MILLESIMO MVNDI ANNO, naſcitur ex Tharæo Nachor alter Abraami frater viginti ſaltem annis Aramo minor.

MMVI. *Anno mundi* NOEMVS alter humani generis parens moritur ætatis anno 950. tum Phaleg anno mundi 2026. ætatis 239. & Nachor filius Reu vitæ 148. ab orbe condito 2027.

MMXXXVIII. *Anno mundi Ninyas Nini filius, occisâ matre Semiramide imperat ſolus Aſſyriis ad annos 38. Sicque finitâ Pueritiâ incipit Mundi Adoleſcentia, ſeu* TERTIA ÆTAS *annorum 505. ab Abraami ortu ad Exodum ac Legem à Moſe Judæis datam.*

Abraam. ANNO Mundi MMXXXIX. naſcitur ABRAAMVS

anno ante Christum 2015. Tharæi genitoris non septuagesimo labente vel exacto, vt multi cum Hebraïzantibus volunt, sed centesimo trigesimo primo, vt ex Actorum capite septimo & Geneseos capp. vndecimo & duodecimo apertissimè demonstratur.

MMXLVIII. *Anno mundi* nascitur quoque Abraami ex Aramo fratre nepos Loth, atque anno sequenti Sarai seu Iescha futura postmodum Abraami vxor.

MMLIII. *Anno mundi* Cainanus iunior, quem Hebræis fontibus plus nimio addicti insititium appellant, moritur ætatis 360. Abraami 15. & post triennium Reu Phalegi filius & Sarugi pater, cùm vixisset annos 239.

MMLXXVI. *Anno mundi extincto Ninyâ post regni annos* 38. *quintus Assyriis imperauit Arius siue Thuras, cuius & consequentium etiam Regum præclara facinora ignorantur.*

MMLXXIX. *Anno mundi* Sarugus obiit natus annos 230.

MMXCVI. *Anno mundi* Arphaxad Semo patre centenario natus exactis in vita 438. annis obiit: Huic centum annos alij detrahunt sequuti codices Hebræos. *Sequenti anno, Cres vnus è Curetibus in Creta insulâ regnans Gnosson vrbem condit.*

VIGESIMVM SECVNDVM MVNDI

Sæculum ab anno M. 2101. *ante Christum* 1953.

ad annum M. 2200. *ante Chr.* 1854.

BIS MILLESIMO CENTESIMO QVINTO *Mundi anno* Rex Elamitarum Chodorlahomor Pentapolitanos, hoc est Sodomorum, Gomorrhæ & vicinarum vrbium incolas sibi subiicit.

MMCVIII. *Anno mundi* Abram Chaldæam cum suis deserit, & in Haran vrbe Mesopotamiæ habitat annis quinque, tum Tharæo patre mortuo anno ætatis 205. venit in terram Chanaam anno Mundi 2114. eiúsque promissionem à Deo accipit, quadringentis triginta annis ante datam Mosi in monte Sinaï Legem.

MMCXVII. *Anno mundi* Abram fame vrgente Ægy

ptum adit, reuertitur, ab eóque digressus Loth Sodomis habitat, capitur ab Elamitis & liberatur ab Abramo, cui à victoriâ reuertenti Melchisedec Rex Salem benedixit.

MMCXXV. *Anno mundi* Ismael Abramo ex Agare ancilla nascitur, & post tredecim annos cum patre ac tota eius familia circumciditur anno Mundi 2138. Euertuntur Sodoma cum tribus vicinis vrbibus. Lothi vxor vertitur in statuam salis: tum sequenti

Isaac. MMCXXXIX. *Anno mundi* nascuntur Moab & Ammon ex filiabus Lothi, & ex Sara Abrami vxore ISAAC qui octauo die circumcisus est.

MMCXLIV. *Anno mundi* eiicitur cum matre sua Ismael, & habitat in deserto Pharan.

ANNO MVNDI MMCLVI. extremum diem claudit Sala Caïnanis iunioris filius & Heberis pater ætatis anno 433. & biennio post ann. à Diluuio 502. ab ortu Abraami 120. obiit Semus Noëmi filius annos sexcentos natus & quindecim generationibus coæuus.

MMCLXIII. *Anno mundi* Isaac anno ætatis 25. Deo immolandus à patre ducitur in montem Moria, sed eiusdem Dei monitu neci subtrahitur.

MMCLXXV. *Anno mundi* Sara, quæ & Iesca, Abraami vxor, Arami filia & Lothi soror moritur ætatis 127. & iuxta Hebronem sepelitur.

MMCLXXIX. *Anno mundi* Isaacus annos natus 40. vxorem ducit Rebeccam Labanis sororem.

MMCXCVII. *Anno mundi Inachus primus Argiuorum in Peloponneso Rex ad annos* 50. quem multi ex Antiquioribus Patribus ante Eusebium αὐτόχθονα Moysi æqualem fuisse arbitrati sunt.

Iacob. MMCXCIX. *Anno mundi* Isaaci 61. Abraami 161. nascuntur gemini fratres è Rebecca Esau rufus & hispidus, & IACOB læuis, plantam fratris manu tenens.

VIGESIMVM TERTIVM MVNDI Sæculum, ab anno M. 2201. *ante Chriſtum* 1853. *ad annum* M. 2300. *ante Chr.* 1754.

BIS MILLESIMO DVCENTESIMO DECIMO-TERTIO *mundi anno* Abraamus moritur annos natus 175. elapſis à promiſſione Chananitidis terræ à Deo factâ annis centum, ſepultúſque eſt cum vxore Sara.

MMCCXVII. *Anno mundi* Heber Salæ filius mõritur ætatis 464. Sequenti anno Eſau fratri ſuo vendit primogenita, tum deinde quadragenarius duas ducit vxores.

MMCCXXXII. *Anno mundi, Anticles apud Plinium libri ſeptimi cap. 58. refert in Ægypto quendam nomine Memnona litteras inueniſſe quindecim annis ante Phoroneum.*

MMCCXLVII. *Anno mundi Inacho ſuccedit in regno Argiuorum Phoroneus : eo regnante contigit Ogygium Diluuium anno Mundi* 2258. *ante Olympiadum initium* 1020.

MMCCLXI. *Anno mundi* moritur Iſmael ætatis 137.

ANNO MVNDI MMCCLXIV. *Telchines Peloponneſo eiiciuntur.*

MMCCLXXII. *Anno mundi Eleuſis conditur ab Ogyge in Atticâ.*

MMCCLXXVI. *Anno mundi* Iacob paternam benedictionem ſurripit annos natus 78. & in Meſopotamiam abit.

MMCCLXXVIII. *Anno mundi* Rebecca moritur anno ætatis 118.

MMCCLXXXIII. *Anno mundi* Iacob nuptias cum Lia & Rachele contrahit, naſcuntur eodem ac ſequentibus deinceps annis Ruben, Simeon, LEVI, Iudas, Dan, Nephthali, Gad, Aſer, Iſſachar, Zabulon, Dina & Ioſeph. Leui.

Sunt qui in hæc ferme tempora, hoc eſt in annum mundi MMXCII. *differant Ogygium Diluuium annis* 248. *ante Deucalioneum.*

MMCCXCVI. *Anno mundi* Iacob migrat è Meſopotamia cum coniugibus liberiſque clam ſocero ſuo Labane, Eſauiúmque fratrem muneribus placat, tum habitare ſtatuit in Sichimis.

VIGESIMVM-QVARTVM MVNDI Sæculum. Ab anno M. 2301. *ante Christum* 1753. *ad annum* M. 2400. *ante Chr.* 1654.

BISMILLESIMO TRECENTESIMO QVINTO *Mundi anno* ob illatum Dinæ ſtuprum Sichimitæ à filiis Iacob occiduntur.

MMCCCVI. *Anno mundi* moritur Rachel enixa Beniaminum, & ſepelitur iuxta Bethleem. Ioſeph ad fratres à patre mittitur, qui eum tunicâ exuunt, mittunt in ciſternam, vendunt Madianitis. Ductus in Ægyptum emitur à Putiphare.

MMCCCVII. *Anno mundi Apis poſt Phoroneum Argis regnat.*

MMCCCXVI. *Anno mundi* Ioſeph ab herâ Putipharis vxore falsò accuſatus coniicitur in carcerem.

MMCCCXVIII. *Anno mundi* obiit Iſaac, anno ætatis
Caath. 180. Naſcitur CAATH Leui filius auus Moſis.

MMCCCXIX. *Anno mundi* Ioſeph ſomnia Regis exponit, annos natus 30. Naſcuntur eius filij Manaſſes & Ephraim.

MMCCCXXV. *Anno mundi* Eſaü Iacobi frater moritur, annos natus 127.

ANNO MVNDI MMCCCXXVII. Iacob filios in Ægyptum mittit.

MMCCCXXVIII. *Anno mundi* Iudas ex Thamare gignit Phares & Zaram. Iteratò petunt Ægyptum Iacobi filij cum Beniamino, tum Iacobus ipſe eodem venit cum tota familia euocatus à Ioſepho, ſicque anno mundi MMCCCXXIX. cœpit MORA ISRAELITARVM IN ÆGYPTO per annos 215. vſque ad Exodum.

MMCCCXXX. *Anno mundi* naſcitur Iob in terrâ Hus.

MMCCCXXXVI. *Anno mundi Sparta in Peloponneſo condita à Sparto Phoronei filio.*

MMCCCXLV. *Anno mundi* Iacob benedicit filiis, moritur ætatis anno 147. atque in terra Chanaan ab iisdem sepelitur.

MMCCCLXXXVI. *Anno mundi* nascitur AMRAM Caathi filius, Mosis atque Aaronis pater. Amram.

MMCCCXCIX. *Anno mundi* Ioseph moritur ætatis 120. principatus 80. Tentatur Iob à dæmone anno vitæ 70. & vincit.

VIGESIMVM-QVINTVM MVNDI

Saeculum ab anno M. 2401. *ante Christum* 1653.
ad annum M. 2500. *ante Chr.* 1554.

BIS MILLESIMO QVADRINGENTESIMO TERTIO *Mundi anno & proximè deinceps sequentibus* moriuntur Simeon, Iudas, Ruben, Isachar, Zabulon, Dan, Aser, Beniamin, Gad, Nephthali, Leui ætatis anno 137. Mundi 2422. tum Manasses atque Ephraim Ioseph filij.

MMCCCCXII. *Anno mundi viuebat Atlas Iapeti filius, Promethei frater, scientia siderum clarissimus. Callithyia Iunonis Argiuæ sacerdotio fungitur.*

MMCCCCXXXVIII. *Anno mundi Amenophis huius nominis secundus regnat in Ægypto, quem Memnonem plerique fabulantur, cuius vocalis statua.*

ANNO MVNDI MMCCCCLI. Caathi mors ætatis 133. quam paullo post secuta est Hebræorum seruitus, anno moræ in Ægypto 123.

MMCCCCLX. *Anno mundi* Amram ex vxore Iochabetha genuit Mariam, tum anno sequenti Aaronem, MOSEM denique anno mundi MMCCCCLXIV. quem è Nilo sublatum filia Pharaonis iussit in aulâ educari. Moses.

MMCCCCLXVI. *Anno mundi Phorbas Argis regnat, qui Rhodum serpentibus liberauit.*

MMCCCCXCI. *Anno mundi* nascitur IOSVE filius Nun siue Naue.

MMCCCCXCVI. *Anno mundi Cecrops primus Athenis regnat anno vitæ Mosis* 33.

VIGESIMVM SEXTVM MVNDI

Saculum, ab anno M. 2501. *ante Christum* 1553.
ad annum M. 2600. *ante Chr.* 1454.

BIS MILLESIMO QVINGENTESIMO PRIMO *Mundi anno Triopas Argis regnat, cuius filius Jasus genuit Jonem, quæ etiam Jsis dicta.*

MMDIII. *Anno mundi* Moses quadragenarius fugit ex Ægypto, & Sephoram Iethro Madianitæ sacerdotis filiam ducit vxorem.

MMDVI. *Anno mundi* nascitur Caleb Iephonæ filius, Othonielis frater.

MMDXXII. *Anno mundi* obiit Amram Mosis pater ætatis 137.

MMDXXXIX. *Anno mundi* mors Iobi, ætatis 210.

MMDXL. *Anno mundi Diluuium Deucalionis & Pyrrhæ in Thessaliâ cum Phaëthontis, vt vocant, deflagratione in Africâ, coniicitur in annum ante Troiæ excidium* 330.

MMDXLIII. *Anno mundi* apparet Mosi Deus, eúmque ad Pharaonem mittit, qui decem attritus plagis sinit tandem abire ex Ægypto Israëlitas. QVARTA *ergo* MVNDI ÆTAS *annorum omnino* 479. *ab Exodo ad fundatum Hierosolymis à Salomome Templum incipit anno mundi* 2544. *aut Christi æram* 1510. *Periodi Iulianæ* 3204.

ANNO MVNDI MMDXLIV. peracto sub vesperam primo Paschâ & iam inchoato die mensis Nisan decimo-quinto, cæsis ab Angelo primogenitis, profecti sunt filij Israël Mose duce, & septimo pòst die siccis pedibus Erythræum mare transmittunt, cuius fluctibus absorptus est cum suis Ægyptiis Pharao. Quinquagesimo à Paschadie in monte Sina promulgatur LEX ab Angelo: conflatur vitulus aureus, adoratúrque, Moyse absente, qui fractis tabulis reuersus in castra, vitulum comminuit, & Leuitis imperat, vt obuios quosque trucident.

MMDXLV. *Anno mundi* Lege iterum traditâ erigitur

Tabernaculum, conſecrantur Aaron & filij eius ſacerdotes, peragitur ſecundum Paſcha, Maria & Aaron aduerſus Moſen murmurant, mittuntur exploratores in Chananitidem. Hi reuerſi detrahunt terræ, præter Ioſue & Caleb. Iubetur populus ſecedere in deſertum. *Areopagiticum iudicium Athenis conſtitutum, quâ in vrbe Cecropi Regi ſucceſſit Cranaus anno ſequenti.*

MMDXLVII. *Anno mundi* Core, Dathan & Abiron in ſeditione pereunt.

ANNO MVNDI MMDXLV. *Amphictyon Deucalionis & Pyrrhæ filius Athenis regnat, eiúſque frater Hellen in Theſſaliâ. Horum frater dicitur fuiſſe Æolus.*

MMDLXVI. *Anno mundi Panathenæa ſub Erichthonio Rege inſtituta. Sparta Lacedæmon dici cœpta, in qua Lelex regnum inſtituit.*

MMDLXXIV. *Anno mundi Dardanus Troiam ad radices Idæ condit, in eáque regnat annis* 31.

MMDLXXIX. *Anno mundi Sthenelo defuncto, pulsóque filio eius Gelanore, Danaus Ægyptius Argis imperat annis* 50.

MMDLXXXIII. *Anno mundi* Maria Moſis ſoror moritur iuxta Cades, tum frater eius Aaron ætatis 123. ad montem Hor, cui in Pontificatu ſucceſſit Eleazarus filius.

MMDLXXXIV. *Anno mundi* Moſes annos natus 120. moritur in vertice montis Phaſga, cui ſuffectus eſt Dei iuſſu Ioſue. IOSVE ſiue Ieſus filius Nun, quo duce Hebræi Iordanem tranſeunt, capiunt Iericho, plurimáſque Chananæorum ciuitates, occiſis Adonizebeco aliiſque Regulis.

MMDLXXXIX. *Anno mundi* fit Chananitidis ſiue promiſſæ à Deo terræ partitio, quam Græci κληρουχίαν vocant, coluntur agri, incipiúntque anni Sabbatici.

MMDXCVI. *Anno mundi Phœnix Agenoris filius* (quibuſdam dicitur frater) *Sidonem vrbem obtinet.*

MMDC. *Anno mundi* Ioſue moritur ætatis 110. Præfecturæ ſiue principatus Iudaïci anno 17.

VIGESIMVM SEPTIMVM MVNDI

Sæculum, ab anno M. 2601. *ante Christum* 1453.
ad annum M. 2700. *ante Chr.* 1354.

BIS MILLESIMO SEXCENTESIMO PRIMO *Mundi anno*
Othoniel OTHONIEL Calebi frater ac gener post Iosue mortem Israëlitas iudicasse dicitur annis 40.

MMDCIII. *Anno mundi Phlegyas Delphicum Templum incendit.*

MMDCV. *Anno mundi Erichthonius post Dardanum regnat in Troade.*

MMDCXIII. *Anno mundi Idæ montis in Cretâ deflagratio, atque inuentum à Dactylis ferrum annis 73. post Diluuium Deucalionis. Hercules quoque Idæus tunc venisse dicitur Olympiam.*

MMDCXV. *Anno mundi Erichthonio Athenienſium Regi mortuo succedit Pandion pater Philomelæ & Procnes uxoris Terei atque Ityli matris.*

MMDCXX. *Anno mundi* Historia Michæ, Lais expugnatio & Benianimitarum pæne omnium cædes. *Cadmus Phœnicis & Cilicis frater, Agenoris filius, Europam sororem quærens in Bœotia Thebas, saltem Cadmeam arcem condit: exinde Harmonia, Autonoë, Ino, Agaue, Semele, Bacchus siue Dionysius, Athamas, Nephele, Phryxus, Helle, Echion, Antiopa, Amphion, Zethus, Nycteus, Labdacus, Lycus, Dirce, Pentheus, Laius, Iocasta, Oedipus, Tiresias, Sphynx, Niobe, Tyro, Æson, & similia Poëtarum deliria, quæ suis quæque temporibus alligare, vt nimis operosum, ita mihi parum videtur vtile Lectoribus Historiæ studiosis.*

MMDCXXXI. *Anno mundi* primam Hebræorum seruitutem sub Cusano Rege Mesopotamiæ, post octo annos soluit Othoniel.

MMDCXXXVII. *Anno mundi* sub Autumum cœpit vnà cum mense Tisri primus Iubilæus siue Sabbaticus septimus, à primâ agrorum culturâ quadragesimus nonus, atque in sequentem annum maximâ sui parte propagatus est.

MMDCXLI. *Anno mundi* Othonieli succedit Israëlita-
Aod. rum Iudex AOD, cuius imperio adsignantur anni 80.

MMDCXLIII. *Anno mundi Ephyra ad Isthmum frequentari cœpit à Sisypho.*

MMDCXLV. *Anno mundi Minos Iouis, siue vt alij Asterij, filius regnat in Creta.*

ANNO MVNDI MMDCXLV. *Erichthei Athenienſium Regis filiam Orithyiam rapit Boreas. Cereris Eleuſinæ myſteria Eumolpus inſtituit. Huc referas licet Proſerpinæ raptum, Triptolemi currum,* &c.

MMDCLXIX. *Anno mundi* Eglone Moabitarum Rege ab Aod occiſo, ſoluitur ſecunda Hebræorum ſeruitus, quæ octodecim durauerat annis.

MMDCLXX. *Anno mundi Tros poſt Erichthonium regnat in Troade, cuius filij ex Callirhoë Ilus, Aſſaracus & Ganymedes, quem rapuiſſe dicitur Tantalus Mæoniæ Rex.*

MMDCLXXXVII. *Anno mundi Phœmonoë Delphis fundit oracula Poëticis adſtricta numeris.*

MMDCXCIII. *Anno mundi Prœtus patre Abante mortuo regnat Argis. Huius vxor Stenobœa Bellerophontem ſollicitauit, per quem cecidit tremendæ ira Chimeræ. Iſthmiorum inſtitutio eodem contigit tempore, atque ex Danaë Acriſij filiâ Perſei ortus, non verò eiuſdem, vt quidam ſcripſerunt, aduerſus Gorgonas expeditio.*

VIGESIMVM-OCTAVVM MVNDI
Sæculum *ab anno* M. 2701. *ante Chriſtum* 1353.
ad annum M. 2800. *ante Chr.* 1254.

BIS MILLESIMO SEPTINGENTESIMO QVARTO *Mundi anno Pelops Tantali filius Hippodamiam ducit vxorem.*

MMDCCXXI. *Anno mundi* mortuo Aodo, Iudæorum Iudex BARACVS cum Prophetide DEBORA ad annos 40. *Dionyſij ſeu Bacchi expeditio in Indiam atque victoriæ. Regnat in Latio Janus, ad quem è Creta venit Saturnus, cuius filij Iupiter, Neptunus, Pluton; filia Iuno, vxor Rhea,* &c. Barac & Debora.

MMDCCXXXI. *Anno mundi Pelops præeſt Ludis Olympiis.*

MMDCCXXXIII. *Anno mundi Meduſam obtruncat Perſeus.*

MMDCCXL. *Anno mundi Ilus, à quo Ilium ſiue arx Troiæ condita eſt, regno Tantalum exuit.* Baracus & Debora profligato Siſaræ exercitu tertiam ſoluunt Hebræorum ſeruitutem, quæ ſub Iabino Rege Chanaan viginti annis duraucrat.

MMDCCXLII. *Anno mundi Acriſius Argiuorum Rex à Perſeo ex filia Danaë nepote per imprudentiam occiditur: Perſeus Mycenas profectus hoc ipſo anno ibidem regnare incipit ad annos 57.*

ANNO MVNDI MMDCCLVII. *Picus Saturni filius poſt Janum regnat in Latio.*

Gedeon. MMDCCLXVIII. *Anno mundi* GEDEON Manuæ filius cum trecentis dumtaxat militibus Madianitarum profligat exercitum, finémque imponit Quartæ Hebræorum ſub iis ſeruituti, quæ ſeptem annis durauerat.

MMDCCLXIX. *Anno mundi Adraſtus relicta Sicyone Argos petiit, duaſque genuit filias quæ Tydeo & Polynici nupſerunt.*

MMDCCLXX. *Anno mundi Siculi ex Italia in Trinacriam inſulam ſiue Siciliam traiiciunt.*

MMDCCLXXII. *Anno mundi Cyzicus ac Miletus vrbes in Aſia conditæ.*

MMDCCLXXXIII. *Anno mundi Tyrus extruitur 240. annis ex Ioſepho ante iacta Templi Salomonis fundamenta.*

MMDCCXCI. *Anno mundi Argonautarum in Colchidem ad Vellus aureum expeditio, anno ante Troiæ caſum 79. illigatur à multis, ſed minùs rectè.*

MMDCCXCIV. *Anno mundi Faunus Pici filius Saturni nepos regnat in Latio, & in Troade Laomedon Ili filius.*

MMDCCXCIX. *Anno mundi Perſeo ſuccedit in Mycenarum regno Sthenelus filius.*

MMDCCC. *Anno mundi* Gedeon moritur poſt annos quadraginta ab obitu Prophetidis Deboræ, cui iungi ſolet Baracus.

VIGESIMVM-NONVM MVNDI

Sæculum ab anno M. 2801. *ante Christum* 1253.
ad annum M. 2900. *ante Chr.* 1154.

BIS MILLESIMO OCTINGENTESIMO PRIMO *Mundi anno* ABIMELECH Gedeonis filius Principatum sibi vendicat in Iudæos, interfectis per summum nefas septuaginta fratribus suis, ac post triennium periit in obsidione Thebes. Abimelech.

MMDCCCIV. *Anno mundi* succedit Abimelecho THOLAS Israëlitarum Iudex annis 23. *Minos huius nominis secundus regnat in Creta, Androgeonis, Phædræ, atque Ariadnes pater.* Tholas.

MMDCCCVIII. *Anno mundi Eurystheus Stheneli filius Mycenæorum Rex Herculem Iouis seu Amphitryonis atque Alcmenæ filium variis exercet laboribus.*

MMDCCCX. *Anno mundi Euander cum Carmenta matre, Arcadiâ pulsus, venit in Italiam.* Rutham Noëmi nurum ducit Boozus, & ex ea Obedum gignit.

MMDCCCXXIV. *Anno mundi Argonauticæ ad Vellus aureum expeditionis Principes viuebant hoc fere tempore Iason, Hercules, Theseus, Pirithous, Iphiclus, Orpheus, Tiphys, Telamon, Castor & Pollux, Zethus & Calais, &c. Æëtes quoque, Absyrtus, Medea, Circe, Phineus, &c. Tum Oedipus, Sphynx, & alia ad Bœoticas Thebas spectantia, de quibus supra. Certè Theseus Minotaurum in Cretâ superiori anno dicitur interfeciſſe, ac patri Ægeo in regnum Athenienſium hoc anno ſucceſſiſſe.*

MMDCCCXXVII. *Anno mundi* post Tholam IAIRVS Hebræorum Iudex annis 20. Iair.

MMDCCCXXX. *Anno mundi Laomedonte ab Hercule, qui Hesionem à Ceto liberauerat, interfecto, Priamus regnare incipit in Troade ad annos 40. Dædalus cum filio Icaro fugit è Creta, & à Cocalo Siciliæ Rege necatur.*

MMDCCCXXXIII. *Anno mundi septem ad Thebas Duces, Adrastus, Tydeus, Polynices, Amphiaraus, Hippomedon, Capaneus & Parthenopæus variis casibus periere. Eodem spectant*

Eteocles, Iocaſta Laij vxor, Creon, Menœceus, Antigone, Electra, Tireſias, Manto, &c.

MMDCCCXXXVI. *Anno mundi, Olympico certamine quadringentis quadraginta duobus annis ante Iphitæas Olympiadas inſtituto, Hercules moritur in Oeta Theſſaliæ monte, triennio poſt Thebanam expeditionem. Argon Heraclida regnat apud Lydos, & Latinus Fauni filius in Latio.*

MMDCCCXLIII. *Anno mundi duce Alcmæone Amphiarai filio Epigoni, hoc eſt filij illorum ſeptem Principum qui Thebas oppugnarant, de Thebanis vindictam ſumunt.*

MMDCCCXLV. *Anno mundi Amazonum in Atticam irruptio virtute Theſei Regis repreſſa eſt.*

Iephthes. MMDCCCXLIX. *Anno mundi* IEPHTHES Iſraëlitarum poſt Iairum Iudex Ammonitas, qui Hebræos annis octodecim oppreſſerant, vincit, & filiam ex voto immolat. *Euryſtheus occiditur ab Hyllo Heraclidarum Principe, quem vix elapſo triennio Echemus Rex Tegeatarum ſingulari certamine perimit. Atreus Pelopis filius Thyeſtæ frater regnat Mycenis, & in Ægypto Proteus.*

ANNO MVNDI MMDCCCLIV. *Zeuxippo Sicyoniorum Rege mortuo, Sacerdotes Carnij Iouis regnum adminiſtrant annis dumtaxat tribus & triginta. Agamemnon, Mycenis poſt patrem regnare incipit, & Diomedes Tydei filius Argis.*

Abeſan. MMDCCCLV. *Anno mundi* mortuo Iephthe ABESAN Hebræorum Iudex annis ſeptem. *Theſeus ob Helenæ raptum relegatur ab Athenienſibus, qui ſibi Meneſtheum præficiunt Regem.*

MMDCCCLX. *Anno mundi Paris ſiue Alexander Priami filius Helenam Menelao nuptam rapit. Coniuratio Græcorum ad Aulidem. Troia obſidetur decem annis. Occiduntur Palamedes, deinde Memnon, Dolon, Sarpedon, Pentheſilea, Rhœſus, Patroclus, Hector, Achilles, &c.*

MMDCCCLXII. *Anno mundi* naſcitur Samſon. Poſt Aialon. Abeſanem AIALON ſiue Elon Hebræos iudicat annis decem.

MMDCCCLXX. *Anno mundi, capto ſub æſtatis initium à Græcis Ilio, anno ante Romam conditam* 431. *ante Chriſti vulgarem Æram* 1184. *Periodi Iulianæ* 3530. *Priamus Troianorum Rex occiditur à Pyrrho ſiue Neoptolemo Achillis filio, Polyxena mactatur ad*

tumulum

tumulum Achillis, Astyanax Hectoris filius præceps è turri iacitur, vterque Aiax perit, Vlysses fluctibus iactatur, &c.

MMDCCCLXXI. *Anno mundi Agamemnon ab Ægysthо Clytemnestræ vxoris insidiis interficitur. Menestheus Athenienſium Rex in Melo insula obit, eique in regno succedit Demophoon Theſei filius. Anchises in Sicilia moritur. Antenor Patauium in Euganeis condit.*

MMDCCCLXXII. *Anno mundi* post Aialonem ABDON Hebræorum Iudex annis octo. *Æneas appellit in Italiam, Turnum occidit, Lauiniam Latini & Amatæ filiam regni hæredem ducit vxorem. Eodem ſpectant Pallas Euandri filius, Mezentius, Camilla, &c.* Abdon.

MMDCCCLXXVII. *Anno mundi Æneam in prælio Tyrrheni cædunt, cui ſucceſſit Aſcanius, ſiue Iulus, annis octo & triginta.*

MMDCCCLXXVIII. *Anno mundi Ægyſthum & Clytemneſtram interficit Oreſtes, ac ſubinde Pyrrhum in Templo Delphico, &c. Denique Hermionem ducit vxorem anno* MMDCCCXC.

MMDCCCLXXX. *Anno mundi* SAMSON Philiſtæos variis cladibus per annos viginti vexat, tum à Dalila proditus raſis crinibus in piſtrinum compingitur, anno MMDCCCXCIX. vnde eductus ad ſpectaculum, ſe Principéſque Philiſtinorum in Templo Dagonis epulantes, ſubuerſis columnis oppreſſit. Samſon.

MMDCCCC. *Anno mundi* Samſoni ſuccedit HELI Summus Pontifex, idémque populi Iſraëlitici Iudex ad annos quadraginta. Heli.

TRIGESIMVM MVNDI SÆCVLVM

ab anno mundi 2901. *ante Chriſtum* 1153.
ad annum M. 3000. *ante Chr.* 1054.

BIS MILLESIMO NONGENTESIMO PRIMO *Mundi anno* naſcitur Samuel.

MMDCCCCII. *Anno mundi Aſcanius Æneæ filius & ſucceſſor Albam Longam condit.*

MMDCCCCVI. *Anno mundi Amazones irruptione in*

Asiam factâ Dianæ Ephesiæ Templum incendunt.

MMDCCCCXV. *Anno mundi Syluius Postumus Æneæ ex Lauinia filius post Ascanium regnat in Latio.*

MMDCCCCXXXIX. *Anno mundi* Heli Pontificis summíque Iudæorum Iudicis, filij Ophni & Phinees in prælio aduersus Philisthæos occidunt. Arca Dei venit in manus hostium, quo tristi audito nuncio Heli fractis ceruicibus moritur. SAMVEL in Præfectura Iudicísque officio ei succedit ad annos duos & viginti.

Samuel.

MMDCCCCXLVIII. *Anno mundi Orestes Mycenæorum Rex obiit.*

MMDCCCCL. *Anno mundi* nascitur Dauid, Isai seu Iesse filius, Obed nepos.

ANNO MVNDI MMDCCCCLI. & sequentibus, *Heraclidæ Peloponnesum duce Oxylo Ætolo occupant, elapsis à Troiæ excidio annis octoginta. Temenus Argos sortitus est, Cresphon Messeniam, Eurysthenes & Procles Aristodemi filij Lacedæmonem cedente Therâ, Aletes Corinthum, Abibalo tum Tyriis imperante. Penthilus Orestis filius Æolicam, Tisamenus eius frater Ionicam duxere Colonias. Melanthus Messenius Athenis regnans Ionas profugos ab Achæis sedibus suis pulsos recepit, & Codrum filium successorem habuit.*

Saül.

MMDCCCCLXII. *Anno mundi* SAVL filius Iemini Rex Israëlitarum eligitur, variísque prœliis hostes superat.

MMDCCCCLXXI. *Anno mundi* Dauid Goliathum obtruncat, & Michol Regis Saülis filiam ducit vxorem.

MMDCCCCLXXIII. *Anno mundi* Doeg Idumæus Saülis iussu Achimelechum Pontificem & Sacerdotes interfecit.

MMDCCCCLXXVII. *Anno mundi* Samuel moritur biennio ante Saülem, qui victus prœlio à Philisthæis, cæsóque Ionatha atque aliis liberis, violentas sibi manus intulit, anno mundi MMDCCCCLXXIX. quo eodem anno DAVID regnum Iuda obtinet per annos septem cum dimidio.

Dauid.

MMDCCCCLXXX. *Anno mundi Colonia Myniarum ducta in Theran insulam, quæ priùs Calliste.*

MMDCCCCLXXXIII. *Anno mundi Codrus Atheniensium Rex vltimus pro patria se deuouet. Succedunt Archontes siue Prætores perpetui, quorum primus fuit Medon Codri filius.*

MMDCCCCLXXXV. *Anno mundi* à Ioabo Abner

occiditur : tum ſequenti anno à Baanano & Rechabo Iſboſethus Saülis filius, ſolúſque Dauid vniuerſum Iſraëlitarum populum regere incipit, ac vicinos hoſtes profligat. *Poſt Euryſtheum Agis Lacedæmone regnat.*

MMM. *Anno mundi* naſcitur ex Berſabee Salomon, *quo anno poſt Troica centeſimo trigeſimo Leſbos primùm per oppida habitari cœpta.*

TRIGESIMVM-PRIMVM MVNDI

Sæculum ab anno M. 3001. *ante Chriſtum* 1053.
ad annum M. 3100. *ante Chr.* 954.

TER MILLESIMO *Mundi anno* Abſalon Dauidis filius Ammone fratre ob vim Thamari ſorori illatam, inter epulas occiſo, fugit ad Regem Geſſur, vnde poſt aliquot annos reuerſus, conſpirat in patrem, eúmque de ſolio deiicit anno mundi MMMIX. Sed prœlio victus hærénſque capite inter ramos arboris à Ioabo militiæ Principe tribus lanceis confoditur, qui etiam paullo poſt Amaſam dolo peremit.

MMMX. *Anno mundi Ionica migratio annis poſt Troiam captam centum & quadraginta. Decennio pòſt Cuma Phricotis in Aſia condita fuit, tum Epheſus, aliæque vrbes.*

MMMXX. *Anno mundi* Dauid Salomonem filium locat in ſolio, tum moritur ætatis 72. regni 40.

MMMXXII. *Anno mundi* SALOMON Iudæorum Rex ſapientiſſimus Adoniam fratrem & Ioabum necari iuſſit, Sadocus exauctorato Abiathare, fit ſummus Pontifex. Salomon

QVINTA MVNDI ÆTAS ad Cyrum vſque Perſarum Monarcham & Deſolationis ſeptuagenariæ finem per annos 493. expanſa incipit à Templo Hieroſolymitano, quod fundatum fuiſſe anno regni Salomonis quarto, ab exitu Iſraëlitarum ex Ægypto quadringenteſimo octogeſimo, hoc eſt mundi 3023. ſacra Scriptura teſtatur. Huius verò Templi dedicatio annno MMMXXX. celebrata fuit.

MMMXXXVIII. *Anno mundi poſt elapſos à Cumæ con-*

ditu annos octodecim Smyrna ædificari cœpta annis à Troia incensa 168. quo tempore Homerus Poëtarum princeps natus perhibetur, cui ferè supparem fuisse Hesiodum multi opinantur.

MMMXLIV. *Anno mundi* Hiramus siue Iromus Tyri Rex Dauidis ac Salomonis amicus moritur anno regni præterpropter sexagesimo. Regum illius successorum anni ex Menandro & Phœnicum Annalibus apud Iosephum numerantur tres supra centum vsque ad septimum annum Pygmalionis.

ANNO MVNDI MMMLI. Regina Saba venit ad Salomonem, qui anno mundi MMMLIX. ætatis 60. regni 40. peractâ, vt creditur, pœnitentiâ extremum obiit diem.

MMMLX. *Anno mundi* scinditur duas in partes regnum
Roboam. Hebræorum. ROBOAM Salomonis filius primus Rex Iuda annis 17. quem cum populo ad idola dilapsum Sesac Ægypti Rex spoliauit. Ieroboam verò primus Rex Israël annis 21. qui propositis duobus vitulis in Dan & Bersabee subditos ad idololatriam impulit.

Abiam. MMMLXXVII. *Anno mundi* ABIAM Roboami filius regnat annis tribus: quinquaginta hostium millia in acie ce-
Asa. cidit, successorémque habuit filium ASAM ad annos 41.

MMMLXXXII. *Anno mundi* Nadab Ieroboami filius & hæres, cùm regnasset anno duntaxat vno occiditur à Baasa, qui regnauit annis 23.

MMMXCIV. *Anno mundi* Zara seu Zerach Æthiopum Rex ab Asa profligatur.

TRIGESIMVM-SECVNDVM MVNDI Sæculum. Ab anno M. 3101. *ante Christum* 953. *ad annum* M. 3200. *ante Chr.* 854.

TER MILLESIMO CENTESIMO-SEXTO *Mundi anno* Ela Baasæ filius cùm regnasset super Israël anno vno occisus fuit à Zambri, cui post dies octo successit Amri per annos vndecim. Hic Samariam exstruxit, & filium hæredem reliquit Achabum anno MMMCXVII. Regem ad annos vigin-

ti, cuius vxor fuit perditissima Iezabel. Ab Hiele per ea tempora Iericho vrbs ad Iordanem instaurata est.

MMMCXXI. *Anno mundi* IOSAPHAT Asæ filius regnum Iuda annis obtinuit viginti duobus, vixit sexaginta. Iosaphat.

MMMCXXIII. *Anno mundi* & sequentibus, Elias prædicit famem, necat Prophetas Baal, fugit in Oreb, Elisæo pallium iniicit, ob Nabothis cædem acriter obiurgat Achabum, qui paullò pòst vulneratus in prœlio contra Syros miserè periit.

MMMCXXXVIII. *Anno mundi* Ochosias Achabi filius regnat anno vno, & successorem habet fratrem Ioramum annis duodecim.

MMMCXXXIX. *Anno mundi* Elias igneo curru rapitur in cælum. *Tiberinus Latinorum Rex ab Ænea decimus Albulæ fluctibus absorbetur.*

MMMCXL. *Anno mundi* Mesa Rex Moab obsessus à Regibus Ioramo & Iosaphato primogenitum suum mactat.

MMMCXLII. *Anno mundi* Elisæus crebra patrat miracula, & septennalem famem prædicit.

MMMCXLV. *Anno mundi* Iosaphato defuncto IORAMVS eius filius regnum Iuda solus obtinet annis sex. Ioram.

MMMCXLVII. *Anno mundi Dido siue Elisa fugit Tyro cum thesauris anno septimo regni Pygmalionis, Templi Salomonici* 124.

MMMCL. *Anno mundi* Ioramo succedit in regno Iuda OCHOZIAS filius, qui post annum occiditur vnà cum Ioramo Achabi filio, Iezabele, & sacerdotibus Baal, iussu Iehu, qui regnum Israël obtinuit annis 28. Ochozias.

ANNO MVNDI MMMCLI. Hierosolymis nunciata Ochoziæ morte, mater eius ATHALIA Achabi filia Regiam stirpem perimit, cúmque tyrannicè regnasset annis sex occisa fuit anno MMMCLVII. iussu Ioiadæ Pontificis qui IOAM Ochoziæ filium Iorami nepotem collocauit in solio, quod occupauit annis quadraginta. Athalia.

MMMCLVIII. *Anno mundi Sardanapalus post Acracarnem patrem Assyriorum Rex trigesimus septimus & vltimus regnat annis viginti.*

MMMCLXVI. *Anno mundi Carthagini ab aliquot iam an-*

nis extrui cœptæ Dido Byrſam arcem munitiſſimam imponit anno Templi Salomonici 144. *ante Chriſti æram* 888.

MMMCLXVIII. *Anno mundi* Ionas Propheta Niniuitas ad pœnitentiam prouocat.

MMMCLXX. *Anno mundi Lycurgus regnum Lacedæmoniorum adminiſtrat pro Charilao Polydecti fratris filio, anno poſt Troiæ caſum* 300. *ante Olympiadum inſtaurationem* 108.

MMMCLXXVIII. *Anno mundi Sardanapalus Aſſyriorum Rex poſtremus, obſeſſus in vrbe Niniue, ſe cum ſuis incendio abſumit, anno ante reſtitutas ab Iphito Olympiadas centeſimo. Arbaces primus Medorum Rex annis* 28. Anno verò proximè ſequenti Ioachaz Iehu filius poſt patrem in Iſraële regnare incipit ad annos 17.

MMMCLXXXIV. *Anno mundi* Ioiadas ſummus Pontifex obit annos natus 130. Huius filium Zachariam anno MMMCXCII. occidit Ioas Rex Iuda, qui anno ſequenti in prœlio contra Benadad Syriæ Regem vulneratus perquàm ignominiosè habitus eſt.

MMMCXCV. *Anno mundi* Ioaz filius Ioachaz regnat ſuper Iſraël annis 16.

MMMCXCVII. *Anno mundi* trucidato à ſicariis Ioaſo Rege Iuda AMASIAS filius eius regnat annis 29. Idumæos vincit, vincitúrque viciſſim à Ioazo Rege Iſraël. Amaſias.

MMMCXCIX. *Anno mundi Alladius, qui & Aremulus, Latinorum Rex ob impietatem miſerè periit.*

TRIGESIMVM TERTIVM MVNDI

Sæculum ab anno M. 3201. *ante Chriſtum* 853.
ad annum M. 3300. *ante Chr.* 754.

TER MILLESIMO DVCENTESIMO QVARTO *Mundi anno* Elizæus prædicit Ioazo Regi Iſraëlitico victorias contra Syros, ac ſubinde moritur.

MMMCCVI. *Anno mundi Arbaci ſuccedit Mandauces Medorum Rex annis* 50.

MMMCCXI. *Anno mundi* Ieroboam filius Ioaz, huius nominis ſecundus, regnat ſuper Iſraelem ſolus annis 41. re-

regnarat autem cum patre iam per annos vndecim.

MMMCCXXVI. *Anno mundi* occiſo in Lachis Amaſiâ Rege Iuda, filius eius OZIAS ſiue Azarias regnat annis omnino 52. Ozias.

MMMCCXXXVI. *Anno mundi Auentinus Latinorum Rex monti, in quo ſepultus eſt, nomen fecit.*

MMMCCXL. *Anno mundi Caranus primus Macedonum Rex annis triginta. Huius frater Phidon Argis imperans menſuras & pondera inſtituiſſe dicitur.*

MMMCCXLIV. *Anno mundi Teleclus Lacedæmoniorum Rex à Meſſeniis in Limnis occiditur.*

MMMCCXLVIII. *Anno mundi* Oziæ Regis Iuda vigeſimo-quinto contigit celeberrimus ille terræ motus, de quo Amos Propheta capite primo.

ANNO MVNDI MMMCCLII. mortuo Ieroboamo Rege, interregnum fuit annorum vndecim in regno Iſraelitico. Anno ſequenti *Capua conditur in Italia.*

MMMCCLIX. *Anno mundi Amulius Procæ Latinorum Regis filius Numitorem fratrem in ordinem redigit, eiúſque filiam Rheam Syluiam ſacerdotio Veſtæ mancipat.*

MMMCCLXI. *Anno mundi Ardys Lydorum Rex annis 36.* Anno ſeq. Zacharias Ieroboami filius, cùm ſuper Iſrael regnaſſet ſex tantùm menſibus, occiditur à Sellum, qui vix vno menſe elapſo ſimiliter interfectus eſt à Manahemo, cuius regnum obnoxium Phuli Aſſyriorum Principi ac veluti precarium durauit decennio.

MMMCCLXXIV. *Anno mundi* Ozias Rex Iuda, dum ſe ſacris immiſcet leprâ percuſſus vrbe eiicitur, filio Ioathamo regnum interim adminiſtrante. Phaceias filius Manahemi Iſraelis regnum obtinet annis duobus.

MMMCCLXXV. *Anno mundi Teleſte vndecimo Corinthiorum Rege mortuo ſuccedunt deinceps annui Prytanes ſiue Prætores vſque ad Cypſelum.*

MMMCCLXXVII. *Anno mundi* Iſaiæ Prophetæ miranda viſio contigit, qui fuit 52. atque vltimus Oziæ Regis annus. Huic ſucceſſit filius IOATHAM, ſolúſque regnauit annis ſexdecim. Phacee filius Romeliæ interfecto Phaceiâ regnat in Iſrael annis 20. Ioatham.

OLYMPIADVM instauratio ab Iphito Elidis Rege facta cadit in annum mundi ex noſtra, Saliani, Tornielli, Spondani, compluriúmque aliorum ſupputatione MMMCCLXXVIII. *à Troiano excidio* CCCCIX. *ante Chriſti æram vulgarem* DCCLXXVI.

MMMCCLXXIX. *Anno mundi* Theglatphalaſar Aſſyriorum Princeps quinque Iſraelitarum Tribus captiuas abducit.

MMMCCLXXXIV. *Anno mundi Romulus & Remus ex Rhea Syluia nati ad flumen exponuntur iuſſu Amulij patrui, anno ante Chriſtum 770. Olympiadis II. tertio, quo Colonia Crotonem & Locros in Italiam à Lacedæmoniis deducta eſt.*

MMMCCLXXXVI. *Anno mundi* Olymp. III. primo, *Abaris ex Hyperboreis Legatus in Græciam veniſſe perhibetur.*

MMMCCXCIII. *Anno mundi* Ioathamo patre mor-
Achaz. tuo ACHAZ regnum Iuda obtinet annis integris quatuordecim. *Theræi Cyrenen in Africa condunt.*

MMMCCXCIV. *Anno mundi* Olympiadis V. primo, *Ephori Spartæ primùm conſtituti fuere.* Achaz captus à Syris ducitur Damaſcum.

MMMCCXCVI. *Anno mundi* Phacee occiditur ab Oſee filio Ela, qui regnum Iſraelis valdè iam acciſum ac deminutum obtinuit annis omninò octodecim.

MMMCCXCVIII. *Anno mundi,* & 1. Olympiadis VI. *Peloponneſij Iphitum Elidis Regem ad oraculum mittunt ſcitatum ecquid in præmium daretur Olympionicis: Lupercalia tum quoque primùm memorantur à Romulo inſtituta.*

MMMCCC. *Anno mundi* Olympiadis VI. tertio, *Alcmæone Athenienſium Archonte perpetuo decimo-tertio, aut abdicato, aut mortuo primus iniit Decennalis Archon Charops. Amulium Latinorum Regem gemini fratres Remus & Romulus occidunt, cùm imperaſſet annis 42. & Numitore auo reſtituto, relictâ Albâ, aptum condendæ vrbi locum parant, aut, ſi quæ fides Tarrutij Mathematici obſeruationibus, hoc ipſo anno condere incipiunt ſub Libra, die quarto menſis Octobris: quò plerique Viri docti referunt illud Manilij Poëtæ.*

Heſperiam ſua Libra tenet, quâ condita Roma eſt.

HISTORICI NOMENCLATORIS PARS I. SEV MVNDANA, PRIORVM XXXIII. MVNDI SÆCVLORVM

Seriem alphabeticam repræsentans.

Numeri additi Annos Mundi denotant.

A

AARON annis mundi 2461. 2545. 2583.
Abaris an. mundi 3286.
Abas 2693.
ABDON 2872.
Abel 3. 129.
ABESAN 2855.
ABIAM 3077.
Abiathar 3022.
Abibalus 2951.
ABIMELECH 2801.
Abiron 2547.
Abner 2985.
ABRAHAM 2039. 2048. 2108. 2114. 2117. 2163. 2199. 2213.
Absalon 3002. 3009.
Absyrtus 2824.
Achab 3117. 3123.
ACHAZ 3293. 3294.
Achilles 2869.
Achimelech 2973.
Acracarnes 3158.
Acrisius 2693. 2742.
ADAM 1. 2. 131. 930. 1656.
Adonias 3022.
Adonibezec 2584.
Adrastus 2769. 2833.
Æetes 2824.
Ægeus 2824.
Ægialus 1890.
Ægisthus 2871. 2878.
Ælam 1659.
Æneas 2872. 2877. 2915.
Æolica colonia seu migratio 2951.
Æolus 2555.
Æson 2620.
ÆTATES mundi, I. ab anno mundi primo ad 1656. II. à 1657. ad 2038. III. à 2039. ad 2543. IV. à 2544. ad 3022. V. à 3023. ad 3515.

Agamemnon 2854. 2871.
Agar 2125. 2144.
Agaue 2620.
Agenor 2596.
Agis 2986.
Agricolationis ſeu γεωργίας anni 2589. &c.
AIALON 2862.
Aiax Oïlei, & Aiax Telamonis filij 2870.
Alba longa 2902. 3300.
Albula fluuius 3139.
Alcmæon Amphiarai filius 2843.
Alcmæon Archon perpetuus 3300.
Aletes 2951.
Alexander, vide Paris.
Alladius 3199.
Amaſa 3009.
AMASIAS 3197. 3226.
Amata 2872.
Amazones 2845. 2906.
Amenophis 2438.
Ammonitæ 2849.
Ammon filius Loth 2139.
Ammon filius Dauid 3002.
Amos 3248.
Amphiaraus 2833.
Amphictyon 2555.
Amphion 2620.
AMRAM 2386. 2460. 2522.
Amri 3106.
Amulius 3259. 3300.
Anchiſes 2871.
Androgeos 2804.
Antenor 2871.
Antigone 2833.
Antiopa 2620.
AOD 2641. 2669. 2721.
Apis 2307.
Aran frater Abraami 1979. 2001. 2048.
Arbaces 3178. 3206.
Arcæ conſtructio 1557.
Arca capta 2939.
Archontes Athenis perpetui 2983.
Archontes decennales 3300.
Ardys 3261.
Aremulus 3199.
Areopagi iudicium 2545.
Argiuorum regnum 2197. 2247. 2466. 2501. 2579. 2951.
Argon Heraclida 2836.
Argonautarum expeditio 2791. 2824.
Ariadna 2804.
Ariſtodemus 2951.
ARPHAXAD 1659. 2096.
ASA 3079. 3094. 3131.
Aſcanius 2877. 2902. 2915.
Aſer 2288. 2413.
Aſſaracus 2670.
Aſſur 1659.
Aſſyriorum regnum 1879. 1944. 1996. 2038.
Aſterius 2645.
Aſtyanax 2870.
ATHALIA 3151. 3157.
Athamas 2620.
Athenienſium regnum 2496. 2555. 2855.
Atlas 2412.
Atreus 2849.
Auentinus 3236.
Aulis in Bœotia 2860.
Autonoë 2620.
AZARIAS, vide Ozias.

B

BAalis Prophetæ 3123. 3151.
Baarian 2986.
Baasa 3082. 3106.
Babel turris 1878.
Babylon 1879. 1996.
Bacchus 2620. 2721.
BARAC 2721. 2740.
Bellerophon 2693.
Belus 1879. 1944.
Benadab 3193.
Beniamin 2306. 2328. 2416.
Beniaminitarum cædes 2620.
Bethsabee 3000.
Bethleem 2306.
Booz 2810.
Boreas 2655.
Byrsa arx 3166.

C

CAATH 2318. 2386. 2451.
Cades 2583.
Cadmus 2630.
Cadmea arx 2620.
Caïn 2. mundi anno & 129.
CAINAN senior 326. 1235.
CAINAN iunior 1694. 2053.
Calais 2824.
Caleb 2506. 2545. 2601.
Callirhoë 2670.
Calliste, vide Thera.
Callithya 2412.
Camilla 2872.
Capaneus 2833.
Capua 3253.
Caranus 3240.
Carmenta 2810.
Carnij Iouis Sacerdotes 2854.
Carthago 3166.
Castor 2824.
Cecrops 2496.
Ceres 2655.
Chaldæa 2108.
Cham 1559. 1659.
Chananitis 2114. 2345. 2545. 2589.
Charilaus 3170.
Charops 3300.
Chimæra 2693.
Chodorlahomor 2105.
Chus 1659.
Cilix 2620.
Circe 2824.
Circúcisionis institutio 2125.
Cleruchia 2589.
Clytemnestra 2871. 2878.
Cocalus 2830.
Codius 2683.
Cõfusio linguarum 1788. 1878.
Coniuratio ad Aulidem 2860.
Core 2547.
Corinthus 2951.
Cranaus 2546.
Creon 2833.
Cres 2097.
Creta 2613. 2645.
Creton 3284.
Cressphon 2951.
Cuma Phricotis 3019.
Curetes 2097.
Cusan 2631.
Cyrene 3293.
Cyzicus 2772.

D

Dactyli fratres 2613.
Dædalus 2830.
Dagonis templum 2899.
Dalila 2899.
Dan 2286. 2412.

Danaë 2693. 2742.
Danaus Ægyptius 2579.
Dardanus 2574. 2605.
Dathan 2547.
DAVID 2950. 2971. 2979. 2986. 3020.
DEBORA 2721. 2740.
Delphicum templum 2603. 2878. 2687.
Demophoon 2871.
Deucalion 2540. 2555.
Diana Ephesia 2906.
Dido 3147. 3166.
Diluuium Noëticum 1656.
Diluuium Ogygium 2258. 2291.
Diluuium Deucalioneum 2540.
Dimidiatio vitæ hominum 1788.
Dina 2289. 2505.
Diomedes 2854.
Dionysius, vide *Bacchus*.
Dirce 2620.
Doëg Idumæus 2973.
Dolon 2860.

E

Echemus 2849.
Echion 2620.
Eglon 2669.
Ela 3106. 3296.
Elamitæ 2105. 2117.
Eleazar 2583.
Electra 2833.
Eleusina mysteria 2655.
Elias 3123. 3139.
Elisa, vide *Dido*.
Elisæus 3123. 3142. 3204.
Elon *vide* AIALON.
ENOS 236. 1140.
Ephesus 2906.
Ephori 3294.
Ephraim 2320. 2428.
Ephyra 2643.
Epigoni 2843.
Erechtheus 2655.
Erichthonius Athenienſium Rex 2566. 2615.
Erichthonius Troiæ rex 2605. 2670.
Erythræum ſeu rubrum mare 2544.
Eſau 2199. 2218. 2296. 2325.
Etheocles 2833.
Eua anno mundi 1. & 940.
Euander 2810. 2872.
Euganei 2871.
Eumolpus 2655.
Europa 2620.
Europs 1987.
Euryſthenes 2951. 2986.
Euryſtheus 2808. 2849.
Exodus, ſeu migratio ex Ægypto 2544.
Exploratores Hebræi 2545.

F

Faunus 2794. 2836.
Ferri inuentio 2613.

G

GAd 2287. 2418.
Ganymedes 2670.
GEDEON 2768. 2800. 2801.
Gelanor 2579.
Geſſur 3002.
Gnoſſus 2097.
Goliath 2971.
Gomer 1659.

H

HAran ſeu Charræ 2108.
Harmonia 2620.
HEBER 1754. 2217.

Hebræorum ſeruitus in Ægypto cœpit 2451. vide etiam ſeruitutes infra.
Hebræorum regnum 3060.
Hector 2860.
Helena 2855. 2860.
HELI 2900. 2939.
Heli filij 2939.
Helle 2620.
Hellen 2555.
HENOCH 623.
Heraclidæ 2951.
Hercules Idæus 2613.
Hercules Alcmenæ filius 2808. 2824. 2830. 2836.
Hermione 2878.
Heſiodus 3038.
Heſione 2830.
Hiel 3117.
Hippodamia 2704.
Hippomedon 2833.
Hiram, ſiue Iromus 3044.
Homerus 3038.
Hor mons 2383.
Hyllus 2849.
Hyperborei 3286.

I

IAbin 2740.
IACOB 2199. 2276. 2283. 2296. 2327. & ſeqq. 2345.
IAIR 2827. 2849.
Ianus 2721. 2757.
Iapetus 2412.
Iaphet 1559. 1659.
IARED 461.
Iaſon 2824.
Iaſus 2501.
Icarus 2830.
Ida in Creta 2613.
Ida in Troade 2574.
Iectan 1800.
Iehu 3151. 3179.
Iemini 2962.
IEPHTHES 2849. 2855.
Iericho 2584. 3117.
Ieroboam filius Nadab 3060.
Ieroboam filius Ioaz 3212. 3252. 3262.
Ieſcha 2048.
Iethro 2503.
Iezabel 3117. 3151.
Ilium 2740. 2870.
Ilus 2670. 2740. 2794.
Inachus 2197. 2247.
Ino 2620.
Interregnum in regno Iſraëlis 3252.
Io, ſiue Iſis 2501.
Ioab 2985. 3009. 3022.
Ioachaz 3179. 3195.
IOAS filius Ochoſiæ 3157. 3192. 3197.
IOATHAM 3274. 3277. 3293.
Ioaz filius Ioachaz 3195. 3197. 3204. 3211.
Iob 2330. 2399. 2539.
Iocaſta 2833.
Iocabetha 2460.
Ioiadas 3157. 3184.
Ionas 3168.
Ionathas 2979.
Iones 2951.
Ionica colonia, ſeu migratio 2951. 3010.
IORAM filius Ioſaphat 3145. 3150.
Ioram filius Achab 3138. 3140. 3151.

Iordanes 2584.
IOSAPHAT 3121. 3140. 3145.
Ioseph 2289. 2306. 2316. 2319. 2329. 2399.
IOSVE 2491. 2545. 2584. 2600.
Iphitus 2824.
Iphitus rex Elidis 3278. 3298.
ISAAC 2139. 2163. 2179. 2199. 2318.
Isai, seu Iesse 2950.
Isaias, seu Esaias 3277.
Isboseth 2986.
Isis, siue Io 2501.
Ismaël 2125. 2138. 2144. 2261.
Issachar 2288. 2409.
Isthmiorum institutio 2693.
Itys, siue Itylus 2615.
Iubilæus annus primus 2637.
Iudas 2286. 2328. 2464.
Iudæ regnum diuisum à regno Israëlis 3060.
Iülus, vide Ascanius.
Iuno Argiua 2412.
Iupiter 2645. 2721.

L

LAban 2283 2296.
Labdacus 2620.
Lacedæmon 2566. 2951 2986. 3170.
Lachis 3226.
Lais vrbs 2620.
Laius 2833.
LAMECH 875. 1657. 1422. 1651.
Laomedon 2794. 2830.
Latinus 2836. 2872.
Lauinia 2872. 2915.
Legis promulgatio 2544. & seq.
Lelex 2566.
Lesbos 3000.
LEVI 2285. 2318. 2422.
Lia 2283.
Limnæ 3244.
Linguarum diuisio 1878.
Locri 2784.
Loth 2048. 2117. 2138. & seq.
Lothi vxor & filiæ 2138. & seq.
Lupercalia 3298.
Lycurgus 3170.
Lycus 2620.

M

MAcedonum regnum 3240.
Madianitæ 2306. 2768.
Magog 1659.
MALALEEL 396. 1290.
Manahen 3262. 3274.
Manasses filius Ioseph 2320. 2428.
Mandauces 3206.
Manto 2833.
Maria soror Mosis 2460. 2545. 2583.
MATHVSALEM 688. 1651. 1656.
Medea 2824.
Medon 2983.
Medusa 2733.
Melanthus 2951.
Melchisedech 2117.
Melos insula 2871.
Memnon litterarum inuentor 2232.
Memnon, vide Amenophis 2438.
Memnon Auroræ filius 2860.
Menelaus 2860.
Menestheus 2855. 2871.
Menœceus 2833.
Mesa 3140.
Messenij 2951. 3244.
Mezentius 2872.

Mezraim 1659.
Michas 2620.
Michol 2971.
Miletus 2772.
Minos ſenior 2645.
Minos alter 2804.
Minotaurus 2823.
Minyarum colonia 2980.
Moab 2139.
Mora Iſraëlitarum in Ægypto 2329.
MOSES 2464. 2496. 2503. 2543. 2544. 2584.
Mycenæorum Regnum 2742. 2849. 2854.

N

NAboth 3123.
NACHOR auus Abrahami 1880. 1909. 2027.
Nachor frater Abrahami 2001.
Nadab 3082.
Nembroth, ſeu Belus 1879.
Neoptolemus, vide Pyrrhus.
Nephele 2620.
Nephtali 2287. 2418.
Neptunus 2721.
Niniue condita 1944. euerſa 3178.
Niniuitarum pœnitentia 3168.
Ninus, ſeu Aſſur 1944. 1992. 1996. 2038.
Ninyas 2038. 2076.
Niobe 2620.
NOE 1057. 1557. 1656. 1657. 1788. 1878. 2006.
Noëmi 2810.
Numitor 3159. 3300.
Nun, ſiue Naue 2491.
Nycteus 2620.

O

OBed 2810.
Ochozias filius Achabi 3138.
OCHOZIAS filius Iorami 3150.
Oedipus 2620.
Oeta mons 2836.
Ogyges 2258. 2272. 2292.
Olympiades 3278.
Olympici ludi 2731. 2836.
Olympionicæ 3298.
Oreb mons 3123.
Oreſtes 2878. 2948. 2951.
Orithyia 2655.
Orpheus 2824.
Oſee filius Ela 3296.
OTHONIEL 2601. 2631. 2641.
Oxylus Ætolus 2951.
OZIAS ſeu Azarias 3226. 3248. 3274. 3277.

P

PAlamedes 2860.
Pallas Euandri filius 2872.
Panathenæa 2566.
Pandion 2615.
Paris ſiue Alexander 2860.
Parthenopæus 2833.
Partitio terrarum ſeu regionum orbis 1788.
Partitio Iudææ ſeu κληρουχία 2589.
Paſchata primum & ſecundum 2544. 2545.
Patauium 2871.
Patroclus 2860.
Pelops 2704. 2731. 2849.
Pentapolitæ 2105.
Pentheſilea 2860.
Pentheus 2620.

Penthilus 2951.
Perſeus 2693. 2731. 2742. 2799.
Phaceè 3277. 3296.
Phaceias 3274. 3277.
Phædra 2804.
Phaëtontis deflagratio 2540.
PHALEG 1788. 2026.
Pharan 2144.
Pharao 2543. 2544.
Pharaonis filia 2464.
Phares 2328.
Phaſga mons 2584.
Phidon 3240.
Philiſtæi 2880.
Philomela 2615.
Phineus 2824.
Phlegyas 2603.
Phœmonoë 2687.
Phœnix 2596. 2620.
Phorbas 2466.
Phoroneus 2247. 2307. 2336.
Phryxus 2620.
Phul 3262.
Picus 2757. 2794.
Pirithous 2824.
Plagæ decem Ægypti 2543. 2544.
Pluton 2721.
Pollux 2824.
Polydectus 3170.
Polynices 2769. 2833.
Polyxena 2870.
Priamus 2830. 2870.
Primogenita Ægypti 2544.
Procas 3259.
Procles 2851.
Procne 2615.
Prœtus 2693.
Prometheus 2412.
Proſerpina 2655.
Proteus 2849.
Prytanes annui 3275.
Putiphar 2306.
Pygmalion 3147.
Pyrrhus, ſiue Neoptolemus 2870. 2878.
Pyrrha 2540. 2555.

R

RAchel 2283. 2306.
Rebecca 2179. 2278.
Rechab 2986.
Remus 3284. 3300.
REV ſeu Ragau 1818. 2056.
Rhea Syluia 3259. 3284.
Rhodus 2466.
Rhœſus 2860.
ROBOAM 3060.
Roma ſub Libra condita 3300.
Romelias 3277.
Romulus 3284. 3298. 3300.
Ruben 2283. 2406.
Ruth 2810.

S

SAbæorum Regina 3051.
Sabbatici anni 2589. &c.
Sadoc 3022.
SALA 1724. 2156.
SALOMON 3000. 3020. 3022. 3051. 3059.
SAMSON 2862. 2880. 2899.
SAMVEL 2901. 2939. 2977.
Sara ſeu Saraï 2048. 2139. 2175.
Sardanapalus 3158. 3178.
Sarpedon 2860.
SARVG 1850. 2079.
Saturnus 2721. 2757.
SAVL 2962. 2979.
Sellum 3262.

SEM 1559. 1659. 2158.
Semele 2620.
Semiramis 1992. 1996. 2038.
Sephora 2503.
Seruitutes Hebræorum poſt Moſem ſolutæ, I. 2631. II. 2669. III. 2740. IV. 2768. V. 2849.
Seſac 3060.
SETH 131. 236. 1042.
Sichem ſeu Sichima 2296.
Sichimitæ 2305.
Siculi & Sicilia 2770.
Sicyoniorum regnum 1890. 1987. 2854.
Sidon vrbs 2596.
Simeon 2284. 2403.
Sina mons 2544.
Siſaras 2740.
Siſyphus 2643.
Smyrna 3038.
Sodoma 2117. 2138.
Sparta 2336. 2566. 3294.
Spartus 2336.
Sphinx 2620.
Statua Memnonis 2438.
Sthenelus 2579.
Sthenelus Perſei filius 2799. 2808.
Sthenobœa 2693.
Syluius Poſtumus 2915.

T

TAbernaculum Moſaïcum 2545.
Tabulæ Legis 2544.
Tantalus 2670. 2704 2740.
Tegeatæ 2849.
Telamon 2824.
Telchin 1987.
Telchines 2264.
Telectus 3244.
Teleſtes 3275.
Temenus 2851.
Templi Salomonici fundatio 3023. dedicatio 3030.
Tereus 2615.
Thamar nurus Iuda 2328.
Thamar ſoror Abſalonis 3002.
THARE 1909. 1979. 2001. 2039. 2114.
Thebæ Bœotiæ 2620.
Thebana expeditio 2833. 2843.
Thebe in Palæſtina 2803.
Theglath-Phalaſar 3279.
Theras 2951.
Thera inſula 2980.
Theræi 3293.
Theſeus 2824. 2845. 2855.
Theſſalia 2555.
THOLAS 2804.
Thyeſtes 2849.
Tiberinus 3139.
Tigris 1944.
Tiphys 2824.
Tireſias 2833.
Tiſamenus 2951.
Triopas 2501.
Triptolemus 2655.
Troia 2574. 2860. 2870.
Tros 2670.
Turnus 2872.
Turris Babel 1878.
Tydeus 2769. 2833. 2854.
Tyro 2620.
Tyrrheni 2877.
Tyrus vrbs 2783. 2951.

V

VEstæ Sacerdotium 3259.
Vitulus aureus 2544.
Vlyſſes 2870.

Z

ZAbulon 2288. 2411.
Zacharias filius Ioïadæ 3192.
Zacharias rex Iſraël 3262.
Zambri 3106.
Zara Æthiopum rex 3094.
Zaran 2328.
Zethus Amphionis frater 2620.
Zethus & Calaïs fratres 2824.
Zeuxippus 2854.
Zoroaſtres 1992.

BREVIS

TEMPORVM COMPENDII PARS ROMANA.

Εἶδες πόσον πράπωμα ἀπὸ τῆς τῶν χρόνων γέγονεν ἀγνοίας; μὴ τοίνυν ἀμελήσῃς ὠφελείας τοσαύτης. καθάπερ γὰρ ὅροι καὶ στῆλαι ἐν τοῖς ἀγροῖς τὰς ἀρούρας ὅπη ἑῶσι συγχεῖσθαι· οὕτως οἱ χρόνοι καὶ οἱ καιροὶ τὰ πράγματα ὅπη ἑῶσιν ἀλλήλοις συμπίπτειν, ἀλλὰ διείργοντες ἀπ' ἀλλήλων αὐτὰ, καὶ κατὰ τὴν προσήκουσαν ἑκάστα διαπθέντες τάξιν, πολλῆς ἀπαλλάττουσιν ἡμᾶς ταραχῆς. ἄξιον τοίνυν εἰπεῖν πρὸς ὑμᾶς, τίς ἦν ὁ Ὀζίας, καὶ πότε ἐβασίλευσε, καὶ πόσων ἐβασίλευσε, καὶ πόσος αὐτῷ γέγονεν ὁ τῆς ἀρχῆς χρόνος, καὶ πῶς τὸν βίον κατέλυσε.

Vidisti quantus error inciderit ex insscitia temporum? Tantam igitur vtilitatem ne negligas. Quemadmodum in agris TERMINI, COLVMNÆ*que non sinunt arua confundi, sic* TEMPORA *non sinunt confundi res gestas: sed dum* DIRIMVNT *alias ab aliis, & in* ORDINEM CONGRVENTEM DIGERVNT, *multâ nos turbatione liberant. Operæ precium igitur est exponere vobis, quis fuerit Ozias*, (idem de Romulo, Cyro, Alexandro, Augusto, Constantino, Clodouæo, Carolo, similibúsque Principibus meritò debet intelgi) *& quo tempore regnarit, & quibus imperarit, & quanto tempore durarit illius principatus, postremò quomodo vitam finierit.* Hæc & iis plura submini*s*trabit eloquentissimus IOANNES CHRYSOSTOMVS Constantinopolitanus Archiepiscopus, sub finem Homiliæ secundæ de Verbis Esaiæ VIDI DOMINVM, &c.

LECTORIBVS CHRONOLOGIÆ TVTO, CLARE, AC BREVITER EDISCENDÆ STVDIOSIS PRÆNOTANDA.

PRÆTER *ea quæ primæ Parti præmittenda censuimus, tria hîc quoque videntur omnino obseruanda; priusquàm ad alteram nostri Compendij partem accingant se Historicæ breuitatis curiosi Indagatores.*

PRIMVM: *Relictis Æræ mundanæ Saculis, annísque, quibus hactenùs ab Orbe condito ad Romana Palilia in designandis priorum temporum euentibus vsi sumus, nos deinceps Romana Sæcula, annósque ab Vrbe condita vsurpaturos; donec euolutis septingentis, & quod excurrit, annis, Christianorum vulgaris Æra se se offerat. Hæc enim, vt notissima est, & in omnium ore scriptísque versatur; ita Mundanæ atque Romanæ anteferri in iis, quæ à Christo nato contigerunt, meritò debet.*

ALTERVM: *Romanæ vrbis Sæcula, non secùs atque Mundana, suis etiam notis ab inuicem secerni, ac veluti natiuis coloribus depingi debere, vt altiùs memoriæ infigantur, & cùm opùs fuerit, promptiùs emicent, erumpántque è tenebris in clarissimam lucem.*

I. Itaque Romanæ vrbis Sæculum, à primo eius anno ad centesimum, dixerim libens Sæculum ROMVLI *primi Romanorum Regis, vel Sennacheribi, Merodachi, Gygis aut Cyaxaris, si cui fortè magis arrideat, è sacra Iudæorum Historia, vel ex profanis Scriptoribus characteres sæculorum arcessere.*

II. Ab anno 101. *ad* 200. TARQVINII PRISCI *quinti Romanorum Regis, siue Nabuchodonosoris, Balthasaris, Periandri, atque Astyagis.*

III. Ab anno 201. *ad* 300. TARQVINII SVPERBI *septimi ac postremi Romanorum Regis, siue Zorobabelis & Mardochæi, Cyri & Xerxis Regum Persarum.*

IV. Ab anno 301. *ad* 400. FVRII CAMILLI *Dictatoris, siue Nehemiæ & Esdræ, necnon belli Peloponesiaci inter Græcos, ac Cyri iunioris à fratre superati.*

V. Ab anno 401. *ad* 500. PAPYRII CVRSORIS *Dictatoris, siue Iaddi & Simonis Iusti, Alexandri Magni & Pyrrhi Epirotarum Regis.*

VI. Ab anno 501. *ad* 600. FABII MAXIMI *Dictatoris, siue Matathiæ ac Iudæ, Philippi ac Perſei Macedoniæ Regum, & Pœnorum Ducis Hannibalis.*

VII. Ab anno 601. *ad* 700. CORNELII SYLLÆ *Dictatoris, siue Ioannis Hyrcani, Mithridatis, & Tigranis.*

VIII. Ab anno 701. *ad* 753. *quo ad exitum fermè perducto, natus est Christus VIII. Kalendas Ianuarias,* CAII IVLII CÆSARIS *Dictatoris, siue Herodis, & Cleopatræ, atque Antonij ab Augusto deuictorum.*

TERTIVM: *Romanorum res gestas, quas plerique ardentioribus votis expetunt, in secunda hac nostri Compendij Parte à cæteris Iudæorum, Græcorum, Barbarorúmque narrationibus historicis seiunctas fuisse characteribus Italicis, vt qui iis capiuntur, vno veluti ductu per singulos annos, quid in Romana Republica actum sit, valeant agnoscere.* Fruere his Lector, & Vale.

PARS ALTERA
COMPENDII TEMPORVM
SÆCVLA ROMANA
SEPTEM CVM DIMIDIO
BREVITER REPRÆSENTANS,

Ab Vrbe condita ad Chriſti Æram vulgarem
per annos ſeptingentos quinquaginta tres.

PRIMVM ROMANÆ VRBIS SÆCVLVM, MVNDI TRIGESIMVM-QVARTVM.

Ab anno Vrbis conditæ primo, M. 3301. *ante Chriſtum* 753.
ad an. Vrbis cond. 100. M. 3400. *ante Chr.* 654.

OMVLVS *primus Romanorum Rex ad annos* 38. *cùm Palilibus, hoc eſt, die Aprilis* 21. *Remus eius frater, quòd vallum ſaltu tranſmiſiſſet, à Fabio Duce fuiſſet occiſus. Multi ſe Romulo ob aſyli impunitatem adiungunt; Senatus inſtituitur, &c. quæ apud T. Liuium, Dionyſium Halicarnaſſeum, Plutarchum, Florum, alióſque Romanæ antiquitatis Scriptores fuſiùs commemorantur.* Hic verò primus Romanæ vrbis annus, à prima mundi origine 3301. Iphitæus 23. ſiue Olympiadis ſextæ tertius deſinens, fuit ante vulgarem ſeu Dionyſianam

Christi æram 753. ab euersa Troia 431. regnantibus in Palæstina Achabo Rege Iuda, & Oseâ Rege Israël.

Anno Vrbis conditæ II. Daïcles Olympiade VII. sub solstitium ineunte victor renunciatus, primus omnium coronatus fuisse dicitur.

Anno Vrbis conditæ IV. Aradus & Cyzicus vrbes conditæ. *Ludis Consualibus Sabinæ à Romanis raptæ. Triumphat deinde eodem anno Romulus, & Acrone Cæninensium Rege cæso prima Feretrio Ioui opima spolia consecrat.* Milesij Naucratim in Ægypto condunt.

Anno Vrbis conditæ VI. Olympias VIII. hac æstate inchoata, dicta est ab Eleis Anolympias, quòd Pisani cum Phidone Argiuorum Rege ludis Olympicis præfuissent.

Nabonassaris Babyloniorum Regis æra, apud Ptolemæum, aliósque Astrologos celeberrima, fixum Thoth, siue primi mensis principium habuit in die 26. Februarij anni ante Christum 747. Vrbis conditæ sexti, vel quemadmodum vulgò putamus à Kalendis Ianuariis septimi. *Tarpeia Sabinorum clypeis obruitur. Fit fœdus, Tatiúsque vnà cum Romulo regnat, & à Curibus Romani Quirites dicti.*

Ezechias *Anno Vrbis conditæ* IX. post Achabum Rex Iuda EZECHIAS annis 29.

Anno Vrb. cond. X. Olymp. IX. primo clarent Thymelus Poëta & Sibylla Erythræa. Isaias multa prædicebat hoc tempore.

Anno Vrbis conditæ XI. Tobias vxorem ducit annos natus 36. Naxus in Sicilia conditur. Lacedæmonij Amphiam vrbem Messeniorum capiunt: vnde exarsit bellum Messeniacum primum, quod durauit annis viginti.

Anno Vrbis conditæ XII. Salmanasar Rex Assyriorum Samariam obsidere incipit. *Tatius Romæ occiditur.*

Anno Vrbis conditæ XIII. Syracusæ in Sicilia ab Archia conditæ, Heraclida, hoc est, vno è posteris Herculis.

Anno Vrbis conditæ XIV. Olympiadis X. primo, Ezechiæ Regis Iuda sexto, finis Israëlitici seu Ieroboamici regni contigit post annos 255. abducto cum Osea vltimo Israëlis Rege in Assyrios populo iussu Salmanasari Regis.

Anno Vrbis conditæ XVI. Telesilla Poëtria innotescit. Seq. Catina construitur à Syracusanis. Victi à Lacedæmoniis Messenij Ithomen se recipiunt. Aristodemus ex oraculo filiam mactat, & post aliquot annos Euphai in regno succedit.

Anno

Anno Vrbis conditæ XVIII. Olymp. XI. primo, Salmanaſſaro ſuccedit in regno Aſſyriorum Sennacherib, qui & Sargon ab Iſaia dicitur.

ANNO ROMÆ XXII. Olymp. XII. ægrotat Rex Iudæorum Ezechias, & diuinitùs ſanatur. *Romulus Vcientes debellat.*

Anno Vrbis conditæ XXIV. Angelus vnâ nocte Aſſyriorum 185. millia necat. Fugiens in Aſſyriam Sennacherib à filiis occiditur, ſuccedente ad aliquot annos Aſſaraddone.

Anno Vrbis conditæ XXVIII. Lacedæmonij ab Ariſtodemo victi proſtituunt vxores, vnde nati Parthenij, quos alij Parthenias appellare malunt.

Anno Vrbis conditæ XXX. Olymp. XIV. primo, Ariſtodemus ad filiæ ſepulcrum ſe iugulat, euerſáque tandem à Lacedæmoniis anno proximè ſequenti Ithome, Alcidamidas cum paucis Meſſeniis Rhegium in Italiam migrat, eodémque anno Tobias excæcatur ætatis 56.

Anno Vrbis conditæ XXXIII. mundi MMMCCCXXXIII. Merodach, quem Mardokempadum profani Scriptores appellant, Aſſyriis in poteſtatem redactis, imperium Babyloniorum inſtaurat. Hic, cùm adhuc Aſſyriis vectigalis eſſet atque obnoxius, Legatos ad Ezechiam miſerat ante aliquot annos.

Anno Vrbis conditæ XXXIV. Olymp. XV. primo, Orſippus currens in ſtadio Olympico cingulum, quo præcinctus erat, abiecit; vnde mos inualuit, vt currerent nudi.

Anno Vrbis conditæ XXXV. Tobias viſum recipit beneficio Raphaëlis Archangeli, qui Tobiæ iuniori fuerat in peregrinatione comes.

Anno Vrbis conditæ XXXVIII. MANASSES Ezechiæ filius poſt patrem Rex Iuda annis 55. Midas Phrygiæ Rex, à fabuloſo planè diuerſus, Olymp. XVI. primo, epoto tauri ſanguine obit. Archonti Athenienſium Hippomeni ob filiæ necem à magiſtratu ante legitimum adminiſtrationis tempus depulſo, ſucceſſit Leocrates ad annos decem. Manaſſes

Anno Vrbis conditæ XXXIX. *Romulus ad Capreæ paludes à Senatoribus diſcerpitur, & poſt vnius fermè anni interregnum,*

Numa Pompilius ſecundus Romanorum Rex annis 43. *iniit anno Romæ* XL. *Periodi Iulianæ* MMMM. *Hic ſacra inſtituit, Ianuarium, Februariúmque anno addidit, &c.* Gyges apud Lydos regnat ad

annos 38. Isaias Propheta Manassis Regis iussu ferrâ sectus interiit.

ANNO ROMÆ XLII. Olympiadis XVII. primo, Astacus in Bithynia condita.

Anno Vrbis conditæ XLIV. Manasses Rex Iuda captiuus ducitur Babylonem iussu Merodachi Regis, qui Nabuchodonosor nominatur in libro Iudith, idémque paullò pòst Medorum Rege Arbiane siue Arphaxado deuicto, Manassem vinculis soluit, liberúmque dimittit in regnum.

Anno Vrbis conditæ XLVI. Olymp. XVIII. Croton, Parium, & Sybaris vrbes in maiore Græcia conditæ. Holofernes ad Bethuliam obtruncatur à Iuditha.

Anno Vrbis conditæ LI. Olymp. XIX. secundo, Corcyra vbs à Corinthiis condita.

Anno Vrbis conditæ LIV. ante Christum DCC. Olymp. XX. primo, Archilochus Poëta floret.

Anno Vrbis conditæ LVIII. Olymp. XXI. Parthenij, cùm annum ætatis trigesimum attigissent, Lacedæmone egressi, duce Phalantho Tarentum in Italia occupant incolúntque. Glaucus Chius ferrum glutinare incipit. Medorum Rex post Arbianem Deioces.

ANNO ROMÆ LXII. Olymp. XXII. primo, Gela & Phaselicis vrbes in Sicilia conditæ.

Anno Vrbis conditæ LXVI. Olymp. XXIII. primo, Hipponax Poëta clarus habetur.

Anno Vrbis conditæ LXVIII. Olymp. XXIII. tertio, primus annuorum Athenis Prætorum siue Ἀρχόντων fuisse dicitur Creon. Sequentis verò anni Præturam gessit Tlesias, quo Chalcedon à Megarensibus condita, & Messenij à Lacedæmoniis deficiunt anno trigesimo nono à prima expugnatione Ithomes.

Anno Vrbis conditæ LXX. Olymp. XXIV. primo, Aristomenes Messenius vincit Lacedæmonios: & seq. Cyzicus ex quorumdam sententia & Locri vrbes conduntur; hæc in Italia, illa in Asia ad Hellespontum.

Anno Vrbis conditæ LXXII. Messenij à Lacedæmoniis Tyrtæo Poëtâ duce prœlio victi, annis vndecim in Ira monte fortissimè restiterunt.

Anno Vrbis cond. LXXV. Olymp. XXV. ſecundo, Merodach Babyloniorum Rege mortuo anno imperij ſui 42. ſuccedit filius eius Ben-Merodach annis 32.

Anno Vrbis cond. LXXVII. Tobias ſenior obit anno ætatis 102. Manaſſis Regis Iuda 40.

Anno Vrbis cond. LXXVIII. Olymp. XXVI. primo, Carnia ludi in honorem Apollinis inſtituti; vt ex Athenæo conſtat.

ANNO ROMÆ LXXXIII. Olymp. XXVI. ſecundo, *Tullus Hoſtilius poſt Numam Pompilium Romæ regnat annis* 32. Expugnatâ tandem à Lacedæmoniis poſt diuturnam obſidionem Irâ, Meſſenij extorres Zanclem, quæ & Meſſana Μεσσήνη dicta eſt, in Sicilia anno ſequenti incolere incipiunt: niſi malis cum Pauſania differre in Olymp. XXX. annum 2. Archonte Athenis Miltiade.

Anno Vrbis cond. LXXXVI. Olymp. XXVIII. primo, *poſt Tergeminorum celebrem ac decretoriam pugnam, Alba à Romanis victoribus diruta, Metius Suffetius ob violatum fœdus quadrigis diſtractus, Albani Romam traducti.*

Anno Vrbis cond. XC. Olymp. XXIX. primo, *Tullus Hoſtilius de Sabinis triumphat.*

Anno Vrbis cond. XCIII. Poſt Manaſſem filius eius AMON Rex Iuda duobus duntaxat annis, eóque occiſo Olympiad. XXX. anno primo, Romæ XCIV. IOSIAS filius eius octennis locatur in ſolio ad annos vnum ac triginta. Amon. Ioſias.

Anno Vrbis cond. XCVI. Cypſelus Corinthi tyrannidem obtinet annis omninò triginta. ſeq. *Demaratus Corintho profugus Tarquiniis Etruriæ oppido ſedem fixit.*

Anno Vrbis cond. XCVIII. Olymp. XXXI. primo, Abdera, Lampſacus, Clazomenæ, Acanthus, Stagira, Iſtrus, aliæque vrbes, aut inſtauratæ, aut primùm conditæ.

Anno Vrbis cond. C. *adſcribitur initium belli quinquennalis Romanorum contra Latinos.*

SECVNDVM ROM. VRBIS SÆCVLVM,

MVNDI TRIGESIMVM-QVINTVM.

Ab anno Vrbis conditæ 101. M. 3401. *ante Chr.* 653.
ad ann. Vrb. cond. 200. M. 3500. *ante Chr.* 554.

CENTESIMO-SECVNDO ROMÆ ANNO, Olympiadis XXXII. primo, Ioſias Rex Iudæorum annum agens ætatis decimum-ſextum pietatem erga Deum impensè coluit.

Anno Vrbis cond. CVI. Olymp. XXXIII. primo, Lygdâmus pancratio vicit in ludis Olympicis, cuius oſſa medullâ caruiſſe aiunt; & Selinus vrbs in Sicilia condita.

Anno Vrbis cond. CVIII. Nabopolaſſarus Ben-Merodachi Babyloniorum Regis, ſin minùs filius, certè ſucceſſor, & Magni Nabuchodonoſoris pater, regnum Babylonis adminiſtrat annis 21.

Anno Vrbis cond. CX. Olymp. XXXIV. primo, polluitur altare Bethel à Ioſia iuxta vaticinium ante annos 349. à Propheta editum. Moritur iunior Tobias. Boryſthenes vrbs conditur in Ponto.

Anno Vrbis cond. CXII. Templum inſtaurat Ioſias, & Paſcha magno apparatu celebrat.

Anno Vrbis cond. CXIV. Olymp. XXXV. primo, *Tullus Hoſtilius fulmine perit cum tota familia, ſucceſſit Ancus Martius quartus Romanorum Rex annis* 24. *qui Auentinum montem vrbi addidit, & ſublicio ponte Tiberim iunxit.*

Anno Vrbis cond CXVIII. Olymp. XXXVI. primo, moritur Iuditha.

Anno Vrbis cond. CXIX. Medorum Rex Phraortes in Niniues obſidione perit: ſuccedit ei Cyaxares annis 40. Hic Aſſuerus & Axares quoque dictus Niniuen iterùm obſedit, ſed fruſtra: Scythæ enim eo victo Aſiam obtinuere annis 28.

ANNO ROMÆ CXXII. Olymp. XXXVII. primo, pueris propoſita fuêre ab Eleis præmia. *Tarquinius Demarati Corinthij filius relictâ Etruriâ cum ſuis Romam migrat.*

Anno Vrbis cond. CXXIII. *Bellum gerit Ancus cum Latinis, Fidenatibus, & Sabinis.*

Anno Vrbis cond. CXXIV. Cyrene in Africa conditur à Batto (quamquam alij cum Solino in annum Vrbis conditæ CLVI. differant à Troia DLXXXVI.) tum Sinope in Ponto sequenti anno, quo occiso Iosiâ in prœlio aduersùs Pharaonem Nechao Ægypti Regem Psammitichi filium, IOACHAZ eius filius regnat mensibus tribus, & post eum IOAKIN frater eius annis vndecim. Ioachaz. Ioakin.

Anno Vrbis cond. CXXVI. Olymp. XXXVIII. primo, Periander Cypseli filius tyrannidem Corinthi obtinet annis 44. in Ægypto Psammis regnat annis sex.

Anno Vrbis cond. CXXVIII. Prima Iudæorum transmigratio anno mundi MMMCCCCXXVIII. cùm Magnus Nabuchodonosor à patre missus aduersùs Ægyptios Ioakinum tertio regni sui anno captiuum abduxit Babylonem, cum Daniele, aliísque quàmplurimis, eúmque paullò pòst liberum in Iudæam redire permisit. *Ostia vrbs ad Tiberina ostia ab Anco Martio condita.*

Nabopolassarus obit, post quem filius eius Nabuchodonosor Babyloniis imperauit annis solidis 43. quorum primus cum Ioakini Regis Iuda anno quarto, Vrbis conditæ CXXIX. concurrit.

Anno Vrbis cond. CXXX. Olymp. XXXIX. primo, Epidamnus à Corcyræis condita. Draco Athenienſibus leges scribit sanguine, vt aiunt Cicero, aliique ex Demade, maceratas.

Anno Vrbis cond. CXXXIII. Ioakin Iudæorum Rex, reclamante necquicquam Ieremiâ Prophetâ, deficit à Magno Nabuchodonosore, cuius hic quintus erat annus, Nabonassari 127. Iulianæ Periodi 4093. quo contigit eclipsis Lunæ à Ptolemæo ex antiquorum obseruationibus memorata. Sadyattes Lydorum Rex cum Milesiis bellum gerere incipit ad annos vndecim.

Anno Vrbis cond. CXXXV. Olymp. XL. secundo, obsidetur Hierosolymis Ioakin, tum occiditur, admisso in vrbem Nabuchodonosore Babyloniorum Rege, à quo substitutus in patris locum filius IECHONIAS, cùm solus regnasset mensibus tribus & diebus decem, perductus est Babylonem cum matre & decem millibus captiuorum, quæ fuit secunda Iu- Iechonias

dæorum transmigratio anno Vrbis conditæ CXXXVI. Ma-
Sedecias. thanias Iechoniæ patruus, Iosiæ filius, SEDECIAS à Victore nominatus, regnauit vltimus in regno Iuda annis II.

Anno Vrbis cond. CXXXVIII. Olymp. XLI. primo, Susanna innocens à Daniele liberatur.

Anno Vrbis cond. CXXXIX. Sedecias Babylonem adit. Coniicitur in carcerem Ieremias Propheta *Post Ancum Martium Lucius Tarquinius, Priscus vulgò dictus, Romanorum Rex quintus eligitur, regnúmque obtinet annis* 38.

Anno Vrbis cond. CXL. Obsidetur Tyrus à Magno Nabuchodonosore anno septimo Ithobali Regis Tyriorum ante Cyrum Persarum Regem quarto & quinquagesimo. Arion Methymnæus Lyricen delphino per mare vectus defertur in Tænarum.

ANNO ROMÆ CXLI. Ezechielis filij Buzi variæ deinceps, tum prophetiæ celebrantur, tum visiones prorsus mirandæ.

Anno Vrbis cond. CXLII. Olymp. XLII. primo, clarent Stesichorus & Aleman Poëtæ, necnon Pittacus Mitylenæus, & plerique ex septem Græciæ Sapientibus nominis sui famam spargere incipiunt.

Anno Vrbis cond. CXLIII. Sedecias Rex Iuda anno regni octauo deficit à Chaldæis, qui obsidionem Hierosolymitanam propter aduentum Waphreæ Ægypti Regis intermissam renouarunt anno sequenti *Vrbis conditæ* CXLIV. *quo ludi Maximi Romæ à Tarquinio Prisco Rege instituti.*

DESOLATIO SEPTVAGENARIA & Iudaici populi captiuitas incipit ab anno primo Olymp. XLIII. *Vrbis conditæ* CXLVI. Templi Salomonici CCCCXXIV. ante Christianam æram DCVIII. Sedeciæ Regis vndecimo, quo labente, die mensis quarti quinto, irrumpentibus per portam piscium Chaldæis, vrbs Hierosolymitana capta est, & post elapsum mensem cum Templo ac Regiâ concremata. Sedecias in Re-
Nabuchodonosor. blara ad NABVCHODONOSOREM ductus, occisis coram ipso priùs liberis, excæcatur, & in carcerem truditur. Sicque à sacra Historia paulatim ad profanam nostra delabitur Chronologia; & margini deinceps inscribentur à nobis Babylonij, Persæ, ac Græci Ægyptiorum Reges, vsque ad Augu-

ſtum Cæſarem orbis Monarcham potentiſſimum, quo imperante natus eſt IESVS CHRISTVS deſideratus omnibus gentibus.

Anno Vrbis cond. CXLVII. Ieremias Propheta inuitus in Ægyptum à Iudæis, qui Godoliam in Iudæa occiderant, abducitur, & ab iiſdem paullò pòſt lapidibus obruitur.

Anno Vrbis cond. CXLVIII. Cyaxares Medorum Rex, deletis tandem in conuiuio Scythis, multas Aſiæ prouincias ſibi ſubiicit.

Anno Vrbis cond. CL. Olymp. XLIV. primo, Nabuchodonoſor Babyloniorum Rex multis deinceps augetur victoriis. *Etruſci victi à Tarquinio Romanorum Rege pacem petunt, & inſignia ſummæ poteſtatis offerunt.*

Anno Vrbis cond. CLI. Cyaxares Medus transfugas Scythas tanquam iure ſuo repoſcens, Alyatti Lydorum Regi bellum infert, quod durauit ſex annos. Seq. ex Suida Epimenides Athenas luſtrat, verum alij rectius ad ſeptennium differunt.

Anno Vrbis cond. CLIII. Daniel exponit Nabuchodonoſori ſtatuam viſam in ſomnis.

Anno Vrbis cond. CLIV. Olymp. XLV. primo, ante Chriſtianam æram ſexcenteſimo, Camarina in Sicilia condita: Athenísque contigit, quod dici ſolet Cylonium piaculum Κυλώνειον ἄγος, ſupplicibus ad aram Eumenidum flagitiosè occiſis.

Anno Vrbis cond. CLV. Clarent Sappho Poëtria Leſbia, & Alcæus Lyricus vates.

Anno Vrbis cond. CLVI. Babylone tres, dicti vulgò pueri, Miſach, Sidrach & Abdenago, in fornacem accenſam, iuſſu Regis Nabuchodonoſoris, immiſſi diuinitus liberantur.

Anno Vrbis cond. CLVIII. Olymp. XLVI. primo, Epimenides Cnoſſius Cretâ accitus, Athenas Cylonio ſcelere pollutas expiat. Defectionem Solis prædicit Thales Mileſius Examij filius, vnde pax inter Medos Lydóſque, poſitis vtrinque armis, ſancita.

Anno Vrbis cond. CLX. *Tarquinio Priſco Romæ regnante circa Olympiadis XLVI. annum tertium, Celtarum penes Bituriges erat Imperij ſumma. Ii Regem Celtico dabant, &c. apud T. Liuium libro 5. Decadis primæ, vbi de Ambigato, eiúſque ex ſorore nepotibus Segoueſo ac Belloueſo bellicoſiſſimis Principibus plura per otium legi poſſunt.*

Astyages vltimus Medorum Rex annis 35. Solon præturam annuam Athenis gerit, legésque ciuibus suis condit.

ANNO ROMÆ CLXII. Olymp. XLVII. primo, Anacharsis Scytha Athenas à quibusdam venisse dicitur.

Anno Vrbis cond. CLXIII. Nabuchodonosor, paullò pòst visionem mirabilis arboris in somnis sibi oblatæ, eiúsque à Daniele Propheta expositionem, versus in furorem, cum feris septennio versatur, regnum interim administrante Euilmerodacho filio.

Anno Vrbis cond. CLXIV. *Primi omnium mortalium Bituriges, duce Bellouesо, iuncta cælo Alpium iuga transcendunt, Tuscos ad Ticinum amnem fundunt, Mediolanum in Insubribus condunt, ducentis annis antequàm Galli Clusium oppugnarent, & vrbem Romam caperent. Prima Massiliæ fundamenta à Phocæis primùm ex Asia profectis iacta, cùm isti Biturigum ope Salyas obnitentes armis superassent.*

Anno Vrbis cond. CLXVI. Olymp. XLVIII. primo, Pythius Agon Delphis pecuniarius factus est ab Amphictionibus.

Anno Vrbis cond. CLXIX. moritur Corinthiorum tyrannus Periander, quem quidam beato septem Sapientium numero accensent.

Anno Vrbis cond. CLXX. Olymp. XLIX. primo, restitutus pristinæ sanitati Nabuchodonosor paullò pòst obit, succedente EVILMERODACHO filio ad annos 23. qui Iechoniam eduxit è carcere anno à secunda Iudæorum in Babyloniam transportatione 37.

Euilmerodach.

Anno Vrbis cond. CLXXIV. Olympiadis quinquagesimæ primo, septem Græciæ Sapientes omnibus noti, Thales, Solon, Myson, Cleobulus, Chilon, Bias, & Pittacus; quamquam sunt, qui alios quoque subrogent, & in alia tempora differant, floruisse dicuntur.

Anno Vrbis cond. CLXXVII. *Occiso ab Anci Martij filiis Tarquinio Prisco, Seruius Tullius Ocrisiâ matre captiuâ natus, vir sapientissimus, Romanorum regnum nactus est, obtinuítque annis* 44. *bellum cum Etruscis diuturnum gessit, & Vimenalem atque Esquilinum montes vrbi addidit.*

Anno Vrbis cond. CLXXVIII. Olymp. LI. primo, Nemeacus Agon primùm ab Argiuis actus est.

Anno

Anno Vrbis cond. CLXXXII. Olymp. LII. primo, Æsopus fabulator celebris habetur.

Anno Vrbis cond. CLXXXVI. Olymp. LIII. primo, Solon excitatam Athenis seditionem placat.

Anno Vrbis cond. CLXXXVII. Phalaris crudelissimus Agrigenti in Sicilia tyrannidem obtinet annis 16.

Anno Vrbis cond. CLXXXVIII. *Seruius Tullius anno regni duodecimo censum Romæ egit, & lustrum primum fecit.*

Anno Vrbis cond. CXC. Olymp. LIV. primo, Æsopus à Delphis occiditur.

Anno Vrbis cond. CXCIV. Olymp. LV. primo, Archonte Athenis Comiâ Pisistratus tyrannidem primò occupat. Daniel ob discerptum Belis draconem in foueam leonum missus, illæsus egreditur: notandúmque appendicem illam capitis 13. *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius*, esse titulum capitis 15. quo narratur historia draconis. Post Euilmerodachum Babylone imperat filius eius BALTHASAR, quem profani Scriptores Nerigliſſarum vocant, & quatuor regni annos eidem rectè assignant. Laborosoarchodus autem nescio quis ex Berosо Chaldæo intrusus à quibusdam, non modò Ieremiæ capiti 27. & Danielis capiti 8. sed etiam Mathematico, quem vocant, Canoni, cuíque plurimùm tribuere solent, aduersatur. Balthasar

Astyages Medorum Rex nonus exuitur regno à nepote Cyro Cambysis Persæ & Mandanes filio, qui primus Persis præfuit, regnúmque obtinuit annis triginta, quorum initium sumitur ab annomundi MMMCCCCXCV. Vrbis conditæ CXCV. Seruij Romanorum Regis sexti XIX. Iromi Tyriorum Regis XIV. ante Christi vulgarem æram DLIX. Olympiadis LX. anno primo labente, necdum plenè exacto.

Anno Vrbis cond. CXCVI. Crœsus Lydorum Rex vltimus post Alyattem patrem regni habenas susсipit ad annos quatuordecim, multásque Asiæ prouincias initio sibi subiicit. *Pax Etruscis à Tullio Rege data.* Solon Athenienſium Legislator moritur in Cypro annos natus 80.

Anno Vrbis cond. CXCVII. Pisistratus secundò tyrannidem Athenis occupat, subornatâ in speciem Mineruæ Phye.

Anno Vrbis cond. CXCVIII. Pisistratus ab Alcmæonidis eiicitur Olympiadis LVI. primo, quo Chilon vnus è septem

Sapientibus Lacedæmone factus est Ephorus. Balthasar mediis in epulis manum scribentem videt, & eadem nocte suorum conspiratione occiditur. Huic in regno successit electus
Darius Medus. à coniuratis Nabonnidus seu DARIVS MEDVS annos natus 62. regnauítque annis septemdecim ex Beroso, Iosepho, Ptolemæo, Seuero Sulpitio, ac nonnullis recentioribus. Porrò magnâ apud eum auctoritate valuit Daniel.

TERTIVM ROM. VRBIS SÆCVLVM, MVNDI TRIGESIMVM SEXTVM.

Ab anno Vrbis conditæ 201. M 3501. *ante Chr.* 553.
ad an. Vrb. cond. 300. M. 3600. *ante Chr.* 454.

DVCENTESIMO PRIMO ROMÆ ANNO, Xenophanes Colophonius & Anaximenes Milesius ad hæc tempora à quibusdam Chronographis reuocantur.

Anno Vrbis cond. CCII. Olymp. LVII. primo, Phalaris Agrigentinorum tyrannus moritur, & Camarina vrbs euersa.

Anno Vrbis cond. CCV. Crœsi filius Atys in venatione occiditur.

Anno Vrbis cond. CCVI. Olymp. LVIII. primo, florent Theognis Megarensis Poëta, & Anaximander Milesius Philosophus, qui primus obliquitatem Zodiaci reperisse dicitur.

Anno Vrbis cond. CCIX. Pisistratus tertiò dominatum Athenis vi recuperat, tenétque annis septemdecim. Crœsus expeditione in Persas susceptâ, Halym traiicit sine ponte. Thales Milesius Ionicæ author Philosophiæ moritur ætatis 96.

Anno Vrbis cond. CCX. Olymp. LIX. primo, Cyrus Persarum Rex Sardes primariam Lydorum vrbem decima quarta die expugnat, Crœsum pyræ impositum, & Solonem inclamantem incendio liberat, Harpagum Asiæ præficit, &c.

Anno Vrbis cond. CCXI. Pherecydes Syrius Pythagoræ præceptor, & Hippicus Poëta florent.

Anno Vrbis cond. CCXIV. Olymp. LX. primo, Cyrus aduersùs Babylonios mouens Gyndem in 360. alueos secat, tum anno sequenti, Desolationis septuagenariæ vltimo, Babylonem per Euphratis vada occupat, & Darium Medum seu Na-

bonnidum Regem in poteſtatem redactum, Carmaniâ donat iam penè octogenarium. Abdera eodem anno Iphitæo 238. ante Chriſtum 539. à Teiis inſtaurata, & Maſſilia à reliquis Phocæis Perſici dominatus tædio ex Aſia egreſſis, & nouas ſedes quærentibus, plurimùm aucta.

SEXTA MVNDI ÆTAS *ad natalem Chriſti Domini annum, & Dionyſianam æram per annos* DXXXVIII. *explicata, initium ducit à monarchia Perſarum*, ſiue ab anno Vrbis conditæ CCXVI. mundi MMMDXVI. Olympiadis LX. ſecundo in tertium vergente, quo CYRVS anno Perſici regni vigeſimo ſecundo, toti pænè Aſiæ imperare cæpit, Iudæis in patriam reditum edicto conceſſit, Templúmque ac vrbem Hieroſolymitanam iuſſit inſtaurari. Dux Iudæorum Zorobabel Salathielis filius, Iechoniæ nepos, Pontifex verò Ioſue filius Ioſedech. *Tullia Seruij Regis filia Aruntem maritum ſuum occidendum curat, & Tarquinio Superbo impotentis audaciæ iuueni nubit.* Cyrus.

Anno Vrbis cond. CCXVII. Extructo Hieroſolymis altari, primo die ſeptimi menſis ſacrificium iuge cœpit offerri, tum vrgeri cœpta Templi ædificatio.

Celebres tum habebantur Simonides Ceus, Pythagoras Samius, Anacreon Teius, & Phocylides, circa Olympiadis primæ ac ſexageſimæ annum primum, Romæ CCXVIII.

ANNO ROMÆ CCXXI. *Cæſo per ſummum nefas Seruio Tullio Rege, Tarquinius Superbus, Priſci Tarquinij nepos, Romæ regnat annis viginti quatuor integris.*

Anno Vrbis cond. CCXXII. Olymp. LXII. primo, Polycrates Sami tyrannidem occupat.

Anno Vrbis cond. CCXXIV. Cyrus anno regni Perſici trigeſimo, Monarchiæ ſiue Imperij Babylonici nono, à Tomyri Scytharum ſeu Maſſagetarum Regina Sargapiſi matre prœlio victus interficitur. Succedit CAMBYSES filius ſecundus Perſarum Rex annis ſeptem & menſibus quinque. Cambyſes.

Anno Vrbis cond. CCXXVI. Olymp. LXIII. primo, Samij Dicæarchiam in Italia condunt, quæ poſtea Puteoli dicta eſt.

Anno Vrbis cond. CCXXVII. Piſiſtrato Athenienſium tyranno mortuo, ſuccedit filius eius Hippias Hipparchi & Theſſali frater ad annos 18.

Anno Vrbis cond. CCXXVIII. Amasi mortuo, Psammenitus filius eius regnat in Ægypto mensibus duntaxat 5.

Anno Vrbis cond. CCXXIX. Cambyses Persarum Rex per Arabiæ deserta Ægyptum inuadit, & Crœsum Lydorum quondam Regem bene monentem iubet interfici.

Anno Vrbis cond CCXXXII. Olymp. LXIV. tertio, Cambyses in furorem versus sibi mortem affert, & post eum
Smerdis. SMERDIS Magus siue Tanyoxarces suppositititius regnat mensibus 7. Polycrates Sami tyrannus ab Oræte Sardium Præfecto cruci suffigitur, anno tyrannidis seu regni 11.

Anno Vrbis cond. CCXXXIII. Sublato à coniuratis Smer-
Darius. di Mago DARIVS Hystaspis filius fausto equi ad Orientem Solem hinnitu electus, quartus in Persida regnat annis septem & triginta.

Anno Vrbis cond. CCXXXIV. Olymp. LXV. primo, Iudæi intermissam Templi ædificationem repetunt, nouo Darij Regis decreto, & Aggæi ac Zachariæ Prophetarum hortatu animati, quod post triennium, die tertio mensis Adar, perfectum est anno ante Christi æram 516. qui cum anno Vrbis cond. CCXXXVIII. & Olympiadis LXVI. primo concurrit.

ANNO ROMÆ CCXLI. Harmodius & Aristogiton Hipparchum occidunt Pisistrati filium, & Hippiæ fratrem, eruditione præstantem.

Anno Vrbis cond. CCXLII. Olymp. LXVII. primo, Syloson à Dario Persarum Rege, cui vestes priuato dederat, Sami tyrannidem obtinet. Huius fastum pertæsus Pythagoras, in Italiam venisse dicitur; vnde patet Ouidij aliorúmque error, qui Numæ Pompilij Romanorum Regis ἀνάχυσιν statuere.

Anno Vrbis cond. CCXLIV. Babylon Zopyri fraude post viginti mensium obsidionem in Darij Regis potestatem redit. Hippias tyrannus Athenis tandem pulsus ad Darium confugit in Asiam, totis viginti annis ante pugnam Marathoniam. Harmodio & Aristogitoni fratribus Hipparchi interfectoribus statuæ positæ.

Anno ante Christi Domini vulgarem æram DIX. *& ante diem sextum Kalendas Martias, proindeque ad finem vergente anno Vrbis conditæ* CCXLIV. *Tarquinius Superbus septimus atque vltimus Romano-*

rum Rex, dum Ardeam obſidet, ob vim ab Arunte filio Lucretiæ illatam, conſpiratione proterum, ac Senatûs decreto abſens exactus eſt: unde Regifugio nomen.

CONSVLES *primi creati anno Vrbis conditæ* CCXLV. *ineunte, mundi* MMMDXLV. *Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus: ſed hoc abdicare ſe coacto, illo in acie mortuo, ſuffecti ſunt P. Valerius Poplicola, & M. Horatius Puluillus. Fœdus à Romanis eodem tempore primùm cum Pœnis initum memorant.* Æginetæ mari dominantur annis decem.

Anno Vrbis cond. CCXLVI. Olymp. LXVIII. primo, Darius ponte Boſporum & Danubium iungit, tum contra Scythas infeliciter pugnat. *P. Valerius Kalendis Martiis triumphat de Tarquiniis & Etruſcis. Cenſa puberum centum viginti millia.* Sybaritarum trecenta millia ad Sagram fluuium à centies mille Crotoniatis Milone duce in prœlio cæſa: Sybaris ſolo æquata.

Anno Vrbis cond. CCXLVII. *In bello contra Porſennam Etruſcorum Regem celebrantur Horatius Cocles, Mutius Scæuola, & Cœlia virgo. Capitolium, quod ab anno Tarquinij Superbi Regis vigeſimo primo conſtrui cœptum fuerat, ab Horatio Puluillo dedicatur.* Megabyzus à Dario Perſarum Rege cum copiis in Europa relictus, Thraciam & Macedoniam ſibi ſubiicit.

Anno Vrbis cond CCL. Olymp. LXIX. primo, *Poplicola quartùm Conſul de Sabinis & Veientibus triumphat. Appius cum familia ex Regillis Sabinorum oppido Romam migrat, & in Patricios cooptatur.* Athenienſes Mileſiis cæteríſque Ionibus contra Perſas auxilio veniunt, captáſque Sardes Lydiæ metropolim incendunt: Heraclitus Epheſius Philoſophus, cognomento σκοτεινὸς, Darium ad ſe vocantem aſpernatur.

Anno Vrbis cond. CCLI. *Poſtumius Conſul primus Romæ ouat myrto coronatus.*

Anno Vrbis cond. CCLII. *De Sabinis triumphat Sp. Caſſius.* Perſæ Ionas fundunt. Athenienſes Byzantium capiunt, ad eos deficiunt Cyprij.

Anno Vrbis cond. CCLIV. Olymp. LXX. primo, ante Chriſti vulgarem æram quingenteſimo, *Fidenæ obſeſſæ à Romanis, Cruſtumeria capta, Præneſte ad eoſdem deficit.* Ariſtagoras contra Perſas dimicans perit. Heſtiæus à ſuis eiicitur, tum à Perſis captus in crucem agitur.

Anno Vrbis cond. CCLVI. *Cùm plebs ære alieno oppreſſa nomen*

militiæ dare detrectaret, Dictator primus omnium Titus Lartius creatur à collega Consule. Iones tandem à Persis deuicti, & Miletus euersa.

Anno Vrbis cond. CCLVII. *Saturnalia Romæ instituta.* Pythagoras Crotone magna in Græcia moritur ætatis 80. à Metapontinis pro Deo habitus.

Anno Vrbis cond. CCLVIII. Olymp. LXXI. *Postumius secundus Romanorum Dictator, re bene gestâ, contra Latinos ad Regillum lacum triumphat.* Mardonius à Dario socero suo mittitur cum exercitu aduersùs Græcos. Æschylus Poëta floret.

Anno Vrbis cond. CCLIX. Æginetæ aquam & ignem exigentibus Persis, se dedunt.

ANNO ROMÆ CCLXI. *Romana plebs fœnebri malo afflicta secedit in Montem sacrum, & à Menenio Agrippa reuocatur. Tribuni plebis primùm duo creati sunt IV. Idus Decembris.*

Anno Vrbis cond. CCLXII. Olymp. LXXII. primo, Athenienses Piræeum portum extruunt.

Anno Vrbis cond. CCLXIII. *Martius Coriolanus abit in exilium.* Gelo Syracusis in Sicilia tyrannidem occupat annis 17.

Anno Vrbis cond. CCLXIV. Eretria Euboeæ insulæ vrbs à Persis ingenti classe aduectis succensa. Pugna Marathonia haud procul Athenis eodem anno contigit ante Christum CCCCXC. mundi MMMDLXIV. die sexto mensis Boëdromionis, hoc est 29. Septembris, in qua cum Hippia tyranno Pisistrati filio, quem tamen aufugisse quidam volunt, cæsa Persarum sexaginta quatuor millia à paucis Platæensibus & Athenienſibus duce Miltiade, qui paullò post Parum in mari Ægæo aggressus moritur.

Anno Vrbis cond. CCLXVI. Olymp. LXXIII. primo, *Martius Coriolanus maternis precibus victus, obsidionem patriæ dimittit, & à Volscis interimitur.*

Anno Vrbis cond. CCLXVII. Ægyptus à Persis deficit. Darius secluso Artabazane maiore natu filio, minorem Xerxem Regem designat. Aristides Iustus Athenis ostracismo pellitur.

Anno Vrbis cond. CCLXVIII. *Sp. Cassius legem Agrariam fert omnium primus, tum accusatus quòd regnum affectasset, e Tarpeia rupe præceps actus est, post Consulatus tres, duósque triumphos.*

Anno Vrbis cond. CCLXIX. Dario Hyſtaſpidâ mortuo, Perſarum Rex XERXES annis viginti. Xerxes.

Anno Vrbis cond. CCLXX. Olymp. LXXIV. primo, Ægyptum recuperat Xerxes.

Anno Vrbis cond. CCLXXIII. Idem Princeps contra Græcos mouens Sardibus hyemat, dum Cimon Miltiadis filius Athenas Theſei oſſa è Scyro inſula refert, & Tragœdorum agon in eadem vrbe inſtituitur.

Anno Vrbis cond. CCLXXIV. Olymp. LXXV. primo; Xerxes Helleſpontum ponte traiicit, Athon montem perfodit, in exercitu dictus habuiſſe octingenta hominum millia, & in claſſe naues ſupra mille ducentas. Spartani numero trecenti Thermopylarum anguſtos aditus ſtrenuè defendunt, Leonidâ duce. Athenæ cremantur à ciuibus. Cleombrotus Lacedæmoniorum Rex Iſthmum munire volens deterretur, viſo Solis defectu. Prœlio nauali ad Salaminem victi Perſæ die 20. Boëdromionis, ipſo eorum Rege Xerxe fugere coacto. Pœni eodem anno à Gelone Syracuſano ad Himeram in Sicilia magno numero cæſi.

Anno Vrbis cond. CCLXXV. Mardonius pugnâ ad Plataeas victus occiditur. Perſæ iterum ad Mycalem claſſe ſuperantur. Seſtos ad Helleſponti anguſtias obſidetur ab Athenienſibus, qui Themiſtoclis conſilio deiectos vrbis Athenienſis muros inſtaurare aggreſſi ſunt, quarto demùm anno poſt Salaminiam pugnam.

Anno Vrbis cond. CCLXXVI. Geloni in regno Syracuſano ſuccedit Hiero frater.

Anno Vrbis cond. CCLXXVII. *Fabij trecenti à Veientibus vno eodémque die ad Cremeram fluuium cæſi.* Floret Anaxilaus Philoſophus. Ἑλλωτοπωλίαι ad commune Græcorum ærarium in Delo inſula conſtituti.

Anno Vrbis cond. CCLXXVIII. Olymp. LXXVI. primo, qui Iphitæus eſt CCCI. *Conſules Romani æſtiuo demùm ſolſtitio creati.* Æſchylus Tragicus poëta in Sicilia moritur caſu teſtudinis ab aquila fortè ex alto demiſſæ, cùm natus eſſet annos 65.

Anno Vrbis cond. CCLXXIX. Athenienſes maris imperium obtinent.

ANNO ROMÆ CCLXXXI. Artaxerxem filium in regni communionem Xerxes adſciſcit.

Anno Vrbis cond. CCLXXXII. Olymp. LXXVII. primo, Sophocles primùm tragœdias docet.

Anno Vrbis cond. CCLXXXIII. Themiſtocles falsò proditionis apud Athenienſes inſimulatus ad Perſas confugit, nono anno poſt pugnam Salaminiam. *Lex de plebeiis magiſtratibus Romæ creandis perlata fuit, Appio Claudio & Tito Quinctio Conſulibus.*

Anno Vrbis cond. CCLXXXIV. Cimon Miltiadis filius Perſas terrâ marique delet. Sparta crebris terræ motibus quaſſata eſt.

Anno Vrbis cond. CCLXXXVI. Olymp. LXXVIII. primo, florent Bacchylides Poëta, Diagoras Philoſophus, & Zeuxis Pictor. Mycenæ ab Argiuis euerſæ. Simonides obit. *Quinctius Conſul Ancio capto de Volſcis triumphat.*

Anno Vrbis cond. CCLXXXVII. Lapis in Ægoſpotamon decidit. Hieroni Catanæ mortuo, Thraſybulus frater ſuccedit, ſed anno ſequenti à Syracuſanis bello appetitus, exulatum Locros abiit: itáque Syracuſæ ad annos ſexaginta tyrannis caruêre.

Anno Vrbis cond. CCLXXXIX. Artabanus Regem Xerxem occidit, & ab ARTAXERXE Longimano eius filio necatur, qui regnauit in Perſide ſolus poſt patris necem annis quadraginta. Artaxerxes.

Anno Vrbis cond. CCXC. Olymp. LXXIX. primo, Thaſij & Æginetæ ab Athenienſibus victi.

Anno Vrbis cond. CCXCI. *Romani Conſules ambo, L. Æbutius, & P. Seruilius peſte mortui.* Artaxerxes Perſarum Rex aduersùs Inarum Ægypti Regem miſit patruum ſuum Achæmenem, & repudiatâ Vaſthi Reginâ, Eſtheram ducit vxorem. Hunc enim eſſe ſacrorum Codicum Aſſuerum cum Saliano, Petauio, aliíſque probabiliùs iudicamus. Themiſtocles epoto tauri ſanguine obit.

Anno Vrbis cond. CCXCII. Perſæ Memphim in Ægypto occupant, ſed ab Athenienſibus claſſe vincuntur.

Anno Vrbis cond. CCXCIV. Olymp. LXXX. primo, *Caſo Valerio Conſule, occupatum Romæ ab Herdonio Sabino Capitolium, tandem recuperatur.* Cimon oſtraciſmo relegatur ab Athenienſibus,

sibus; quasi μισθοτὰς & φιλελλήνων. Esdras venit Hierosolymam è Persida.

Anno Vrbis cond. CCXCV. *Ambo Romani Consules triumphant de Volscis & Æquis ad Antium victis.* Corinthios & Epidaurios vincunt Athenienses sub auspiciis Leocratis.

Anno Vrbis cond. CCXCVI. *Titus Quinctius Dictator ab aratro vocatus Æquos sub iugum mittit, & 16. die Dictaturâ se abdicat.*

Anno Vrbis cond. CCXCVIII. Olymp. LXXXI. primo, *Seculares ludi primùm Romæ acti.* Ægyptus ab Artaxerxe tandem recipitur, Inaro capto & in cruce necato.

Anno Vrbis cond. CCXCIX. Pericles Athenienſium dux Peloponnesum populatur.

Anno Vrbis cond. CCC. *Legati tres à Romanis missi sunt ad Græcorum leges cognoscendas.* Hunc quoque annum Artaxerxis Persarum Principis à primo regni exordio vigesimum eruditi viri initium fecisse volunt Septuaginta celeberrimis hebdomadibus, quas Propheta Daniel capite nono ab instauratione vrbis Hierosolymitanæ ad Christi necem euoluendas affirmat. Ab hoc quippe anno Romæ trecentesimo, ad annum Christi Domini trigesimum, Iulianum 75. qui concurrit cum anno Vrbis conditæ 783. quo baptizatus à S. Ioanne Zachariæ filio, Christus Dominus primùm prædicare cœpit, anni numerantur 483. siue sexaginta nouem annorum hebdomades, & in dimidia parte septuagesimæ hebdomadis, id est post annos tres, totidémque menses, anno scilicet vitæ labente trigesimo tertio passus est, & resurrexit. Neemias in Iudæam ex aula Regis profectus venit, atque frementibus necquicquam inimicis, muros ædificat; festum Tabernaculorum instituit &c.

QVARTVM ROM. VRBIS SÆCVLVM,
MVNDI TRICESIMVM SEPTIMVM.

Ab anno Vrbis conditæ 301. M. 3601. *ante Chr.* 453.
ad an. Vrb. cond. 400. M. 3700. *ante Chr.* 354.

TRECENTESIMO PRIMO ROMÆ ANNO, Pericles Athenienſium dux Acarnaniam vexat, & frustra Sicyonen tentat. Palica vrbs à Ducetio in Sicilia condita.

Anno Vrbis cond. CCCII. Olymp. LXXXII. primo, Sybaris, poſt annos octo & quinquaginta quàm fuerat à Crotoniatis euerſa, à Theſſalo inſtaurata eſt.

Anno Vrbis cond. CCCIII. *Decemuiri Romæ creantur ad condendas leges:* ſequenti verò, Templum Iunonis in Argis crematum.

Anno Vrbis cond. CCCV. *Decemuiris ob nefandum Appij Claudij facinus Romæ abdicatis, Conſules ac Tribuni plebis reſtituti ſunt: illi autem ſuperatis hoſtibus inuito, qui obſtiterat Senatu, primi à populo triumphum impetrarunt.* Cimon Miltiadis filius, deuictis Perſis, vrbes Cypri ſibi ſubiicit, eóſque ad indecoram pacem adigit: tum Citium eiuſdem inſulæ vrbem obſidens moritur.

Anno Vrbis cond. CCCVI. Olymp. LXXXIII. Eubœa & Megara vrbes deficiunt ab Athenienſibus, eorúmque dux Tolmides, cùm Chæroneam expugnaſſet, ad Coroneam occiditur.

Anno Vrbis cond. CCCVIII. Tricennalia fœdera Athenienſes inter ac Lacedæmonios ſancita. Illi Pericle duce Eubœam ſibi ſubiiciunt. Charondas inſtauratam à Sybaritis & Athenienſibus Thuriorum vrbem in magna Græcia legibus optimis temperat.

Anno Vrbis cond. CCCX. Olymp. LXXXIV. primo, Herodotus Halicarnaſſeus Hiſtoricus, & Lyſias Athenienſis orator, cum aliis colonis Thurios migrant. Florent Meliſſus, Parmenides, Protagoras, Empedocles, Euripides, &c.

Anno Vrbis cond. CCCXI. *Cenſores tum primùm Romæ creati.*

Anno Vrbis cond. CCCXIII. Obſidionales machinæ ab Artemone Clazomenio in expeditione Periclis aduersùs Samios primùm dicuntur fuiſſe repertæ.

Anno Vrbis cond. CCCXIV. Olymp. LXXXV. primo, *vrgente fame multi ſe Romani in Tiberim præcipitarunt.*

Anno Vrbis cond. CCCXIV. *Sp. Melius, cùm rebus nouis ſtuderet, à Seruilio Hala Magiſtro Equitum occiditur.* Corcyræi à Corinthiis ad Athenienſes deficiunt, vnde initium belli Corinthiaci.

Anno Vrbis cond. CCCXVI. *Fidenates populi Romani Legatos occidunt, quibus ſtatuæ in foro poſitæ; tum ad Veientes eiuſdem populi Romani hoſtes deficiunt: illis prælio ſuperatis, & Larte Tolumnio occiſo, Coſſus alter à Romulo ſpolia opima retulit Ioui Feretrio.*

Anno Vrbis cond. CCCXVIII. & circa Olympiadem LXXXVI. florebant Athenis, diuersísque Græciæ locis, Democritus Abderites, Zeno Eleates, Hippocrates Cous Medicorum princeps, Hippias, Prodicus, Socrates, Philoxenus, Aristophanes, Eupolis, Cratinus, &c. de quibus plura sigillatim & accuratè dicentur in nostra Bibliotheca Chronologica vniuersali omnium fermè Scriptorum, doctorúmque virorum, qui ab Orbe condito ad Christianam æram, & à Christo nato ad nostra tempora, libris præsertim in lucem editis, claruerunt.

Anno Vrbis cond. CCCXIX. *Fidenæ à Dictatore Seruilio captæ.* Potidæa & Chalcis ab Athenienſibus deficiunt. Pindarus Thebis moritur.

Anno Vrbis cond. CCCXX. *Censura Romæ à quinquennio ad sesquiannum contracta.* Nehemias è Perside redit in Iudæam, réſque populi ſui afflictas reſtituit meliorem in ſtatum.

ANNO ROMÆ CCCXXI. Meton Pauſaniæ filius Enneadecaeteridem Athenis publicat. Heraclia à Tarentinis conditur.

Anno Vrbis cond. CCCXXII. Olymp. LXXXVII. primo, Phidias Mineruæ ſimulachrum abſoluit. Callias ad Potidæam moritur.

Anno Vrbis cond. CCCXXIII. ante Chriſtum CCCCXXXI. Archonte Athenis Pythodoro verno tempore à Platæarum inuaſione cœpit Peloponneſiacum bellum Lacedæmoniorum aduersùs Athenienſes, quod durauit annis 28. vſque ad captas à Lyſandro Athenas. *Aulus Poſtumius Dictator de Æquis & Volſcis triumphat, filiúmque ſuum, quòd contra iuſſum pugnaſſet, ſecuri percuti iubet.*

Anno Vrbis cond. CCCXXV. Pericles moritur. Agnon Potidæam expugnat. Phormio Lacedæmonios bis claſſe ſuperat.

Anno Vrbis cond. CCCXXVI. Olymp. LXXXVIII. naſcitur Plato die ſeptimo menſis Thargelionis. Anaxagoras moritur ætatis 72. Recipitur ab Athenienſibus Mitylene, quæ cum Leſbiis defecerat. *Romæ verò ſuperſtitiones peregrinæ, quæ plurimùm inualuerant, per Ædiles repreſſæ.*

Anno Vrbis cond. CCCXXVII. Gorgias Leontinus Athe-

nienſium auxilium ſuis popularibus impetrat. Platææ à Lacedæmoniis captæ ac dirutæ. Corcyræ ingens exorta ſeditio.

Anno Vrbis cond. CCCXXVIII. *Fidenæ à Romanis direptæ.*

Anno Vrbis cond. CCCXXIX. Artaxerxi Perſarum Regi, qui Μακρόχειρ cognominatus eſt, mortuo ſuccedit filius eius XERXES, huius nominis ſecundus, ſiue Iunior, menſibus duntaxat 2. Huic SOGDIANVS menſibus 7. Demoſthenes Athenienſium dux Pylum munit, pacem orant Lacedæmonij.

Xerxes.

Sogdianus.

Anno Vrbis cond. CCCXXX. Olymp. LXXXIX. Perſarum Rex nonus DARIVS Nothus init ad annos 19. Solis defectio ineunte octauo anno belli Peloponneſiaci, die 21. Martij ex Thucydide & Aſtronomis. Demoſthenes Naupactum, Braſidas Amphipolim capit.

Anno Vrbis cond. CCCXXXII. Occiſis ad Toronam Cleone & Braſidâ Lacedæmoniorum ducibus, induciæ in quinquaginta annos Athenienſes inter ac Lacedæmonios pactæ, quæ poſt octo annos violatæ ſunt. *Romæ loco Conſulum Tribuni militares quatuor præfuerunt ab hoc anno ad* CCCXLI. *ſingulis annis electi.*

Anno Vrbis cond. CCCXXXIII. Lacedæmonij ver ſacrum Heracleam deſtinant.

Anno Vrbis cond. CCCXXXIV. Olymp. XC. primo, Eleis à certamine Olympico excluſis, dicta eſt à pleriſque hæc ſecunda Anolympias.

Anno Vrbis cond. CCCXXXV. *Serui de occupanda Roma cogitant, ac detecti variis mulctantur ſuppliciis.*

Anno Vrbis cond. CCCXXXVI. Recrudeſcente bello Peloponneſiaco ruptiſque induciis, Lacedæmonij Argiuos & Mantineenſes vincunt. Himera Siciliæ vrbs à Carthaginenſibus euerſa. *Volæ à Romanis captæ.*

Anno Vrbis cond. CCCXXXVIII. Olymp. XCI. primo, Siculis indicto ab Athenienſibus bello, miſſóque cum copiis Alcibiade, qui abſens capitis damnatus eſt, Gylippus dux ſcientiſſimus à Spartanis Syracuſas mittitur.

Anno Vrbis cond. CCCXXXIX. Nicias Athenienſium dux à Syracuſanis in ſummas redigitur anguſtias, anno belli Peloponneſiaci 18.

Anno Vrbis cond. CCCXL. *Poſtumius Regillus Tribunus militaris lapidibus obruitur.*

ANNO ROMÆ CCCXLI. *restituti tandem Consules Rempublicam ordinant, & quæstionem de Postumij cæde instituunt.* Athenienſes nauali prœlio Siculos vincunt, mox vincuntur, occiſis Demoſthene & Niciâ ducibus. Celeberrima Lunæ eclipſis die 28. Auguſti.

Anno Vrbis cond. CCCXLII. Olymp. XCII. primo, Lacedæmonij cum Dario Notho Perſarum Rege fœdus ineunt.

Anno Vrbis cond. CCCXLIII. Alcibiades è Sicilia redit Athenas, vbi oligarchia conſtituta: verùm quadringenti illi Reipublicæ Curatores anno ſequenti Vrbis conditæ CCCXLIV. in ordinem fuêre redacti. *Romæ peſtis ac fames ſæuiunt*, & Mindaro Perſarum duce ſuperato, Cyzicum in Helleſponto capiunt Athenienſes. Hic verò deficit Thucydidis hiſtoria.

Anno Vrbis cond. CCCXLV. Hannibal ſenior ab Egeſtanis vocatus in Siciliam, Selinuntem diripit. Lacedæmonij poſt tentatam fruſtra pacem Pylum obſident, capiúntque: Athenienſes verò Byzantium, reliquáſque deinceps Helleſponti vrbes ſibi adiungunt, præter Abydum.

Anno Vrbis cond. CCCXLVI. Olymp. XCIII. primo, Alcibiades iterum Athenis fugit. Plato Socratem audire incipit ætatis anno vigeſimo. *Tribuni militares tertiò Romæ creati per annos quindecim Rempublicam regunt, ab hoc anno ad* CCCLXI.

Anno Vrbis cond. CCCXLVII. Agrigentum in Sicilia à Carthaginenſibus captum.

Anno Vrbis cond. CCCXLVIII. Athenienſes Conone duce ad Arginuſas inſulas Spartanos vincunt. Sophocles Æſchylo annis 17. iunior hoc anno obiit ætatis 90. & ſecundùm aliquos etiam Euripides, quem alij ſexto antè anno defunctum in Macedonia volunt.

Anno Vrbis cond. CCCXLIX. Dionyſius ſenior Syracuſis tyrannidem occupat. Athenienſes ſpreto Alcibiadis conſilio victi ſunt ad Ægoſpotamon à Lyſandro Spartanorum duce, qui paullò pòſt ipſas etiam Athenas obſedit. Poſt Darium Nothum Arſaces eius filius, qui & ARTAXERXES MNEMON, ſeu Memorioſus, decimus Rex Perſis imperat annis quadraginta: ſub eo floruit Cteſias Cnidius Hiſtoricus ac Medicus. Artaxerxes Mnemon.

Anno Vrbis cond. CCCL. ineunte, qui fuit XXVIII. & vltimus belli Peloponneſiaci, ab euerſa Troia DCCLXXX. ante vulgarem Chriſti æram CCCCIV. Athenæ captæ ſunt à

Lysandro Lacedæmoniorum duce, & muri Piræei diruti. Munichionis decimo sexto die siue Aprilis nostri 18. Defectio Solis contigit, & sub æstatem celebrata est Olympias XCIV. eodem anno mortuus est Alcibiades.

Anno Vrbis cond. CCCLI. Lysander Spartæ regnum Heraclidis abrogare contendit, sed frustra. *A Romanis in Veientum obsidione hiems sub pellibus acta, atque Equites tum primùm equis merere cœperunt.*

Anno Vrbis cond. CCCLIII. Cyrus Darij Nothi filius iunior natu in Artaxerxem fratrem insurgit, & in prœlio vincitur. Græci, qui suppetias venerant, duce Xenophonte, per Armeniam, Paphlagoniam, Thraciámque redeunt. Democratia Athenis restituta, sublatis à Thrasybulo triginta tyrannis, quos Lysander constituerat.

Anno Vrbis cond. CCCLIV. Olymp. XCV. primo, ante vulgarem Christi æram CCCC. accusatus ab Anyto, Melito, & Polyeucto Socrates moritur hausta cicutâ.

Anno Vrbis cond. CCCLV. *Lectisternia ex libris Sibyllinis Romæ instituta, pestis abigendæ causâ.* Penteres Syracusis hoc primùm tempore facta.

Anno Vrbis cond. CCCLVI. *Ob crebra in Vrbe prodigia Legati Româ Delphos missi.*

Anno Vrbis cond. CCCLVIII. Olymp. XCVI. primo, *Camillus Dictator Veios expugnat.*

Anno Vrbis cond. CCCLX. *Falisci deditionem faciunt.* Lacedæmonij à Conone Persarum duce ad Cnidum victi sunt nauali certamine.

ANNO ROMÆ CCCLXII. Olymp. XCVI. primo, *Ludi magni Romæ facti.*

Anno Vrbis cond. CCCLXIII. *Tribuni militares quartò ineunt ad annos quinque ac viginti* (habitâ etiam ratione eorum annorum, quibus fuit Anarchia) *ab hocce anno ad* CCCLXXXVIII. *Galli duce Brenno, solutâ Clusij in Etruscis obsidione, Romam contendunt.*

Anno Vrbis cond. CCCLXIV. ante Christum CCCXC. *Galli Romanos ad Alliam fluuium concidunt, vrbem occupant, populantúrque; dein Capitolium obsident, quod à Tito Manlio strenuè defenditur. Camillus, qui bis fuerat Dictator, Ardeæ exulans, laboranti patriæ suppetias venit, & Gallos vincit.*

Anno Vrbis cond. CCCLXV. *Idem Camillus tertiùm Dictator de Volſcis triumphum agit, anno ſeptuageſimo quàm bellum mouerant.*

Anno Vrbis cond. CCCLXVI. Olymp. XCVIII. primo, *Capitolium quadrato lapide à Romanis conſtrui cœptum.* Pacem Lacedæmonij cum Perſis ineunt.

Anno Vrbis cond. CCCLXVII. Rhegium recipit Dionyſius Siculorum tyrannus, eiúſque poëmata pergit contemnere Philoxenus.

Anno Vrbis cond. CCCLXX. Olymp. XCIX. primo, Ariſtoteles Stagirita naſcitur. *Manlius Capitolinus ob affectatum regnum coniectus in carcerem, de ſaxo Tarpeio deiicitur.*

Anno Vrbis cond. CCCLXXIV. Olymp. C. primo, *Quinctius Cincinnatus Dictator Prænestinos ſuperat, & Velitras expugnat intra vigeſimum diem.*

Anno Vrbis cond. CCCLXXV. *Romani à Volſcis ducum temeritate victi.*

Anno Vrbis cond. CCCLXXVI. *Lex de plebeio altero Conſule fertur à Caio Licinio Stolone, multáſque turbas Romæ excitat.* Bœoticum bellum incipit aduersùs Lacedæmonios, cùm Pelopidas Cadmeam arcem recuperaſſet.

Anno Vrbis cond. CCCLXXVIII. Olymp. CI. primo, *incipit Romanæ Anarchiæ quinquennium, C. Licinio Stolone & L. Sextio Tribunis plebis curules creari magiſtratus vetantibus.*

Anno Vrbis cond. CCCLXXX. Perſarum in Ægypto irrita expeditio. Euagoras à Nicocle cæſus in Cypro.

ANNO ROMÆ CCCLXXXI. Elice & Bura in Achaia vrbes maris inundatione pereunt, quarum Corintho Patras nauigantibus ad ſiniſtram patent veſtigia.

Anno Vrbis cond. CCCLXXXII. Olymp. CII. primus *fuit Anarchiæ Romanæ poſtremus.*

Anno Vrbis cond. CCCLXXXIII. in pugna Leuctrica Lacedæmonij duce Cleombroto profligati ſunt ab Epaminonda Thebanorum copiis Præfecto. *Tribuni militares Romæ creati.*

Anno Vrbis cond. CCCLXXXV. Thebani Spartam obſident, Meſſenen inſtaurant.

Anno Vrbis cond. CCCLXXXVI. Olymp. CIII. primo, *Nulli fuerunt Romæ magiſtratus curules.* Incruenta Lacedæmoniorum victoria memoratur, cæſis Arcadum decem millibus.

Dionysius moritur anno tyrannidis 18. succedit ei Dionysius iunior. Aristoteles Stagirita Platonem disputantem audire incipit ab anno ætatis 17. ad 37.

Anno Vrbis cond. CCCLXXXVII. *Camillus quintùm Dictator de Gallis triumphat.* Eudoxus Cnidius Astrologus claret.

Anno Vrbis cond. CCCLXXXVIII. *Sextius primus à plebe Consul creatus est, collegámque habuit Æmilium Mamercum.* Post Artaxerxem Mnemonem Persarum Rex vndecimus ARTAXERXES OCHVS annis 26.

Artaxerxes Ochus.

Anno Vrbis cond. CCCLXXXIX. *Romæ cum multis alijs Camillum lues sustulit.*

Anno Vrbis cond. CCCXC. Excluſi iam tertiò à Pisatis Elei ludorum Olympicorum Præsides hanc Olympiada CIV. inter ἀπολυμπιάδας annumerarunt. Pelopidas Thebanorum dux de Spartanis victor interiit.

Anno Vrbis cond. CCCXCI. *pangendo ad sedandam pestilentiam clauo, Dictator Romæ creatur Lucius Manlius Imperiosus.* Pugnâ ad Mantineam Lacedæmonij à Thebanis deleti, Epaminondâ duce, qui victor ex insigni vulnere obiit. Nec vlteriùs progreditur Xenophontis Apis Atticæ historia de rebus gestis Græcorum.

Anno Vrbis cond. CCCXCII. *Curtius Eques Romæ in voraginem insilit. Genucio Consule plebeio ab Hernicis occiso, Dictator creatur Appius.* Agesilai Lacedæmoniorum Regis mors contigit anno ætatis 84. regni 41.

Anno Vrbis cond. CCCXCIII. *Titus Manlius Torquati cognomen in pugna ad Anienem fluuium aduersùs Gallos obtinet.* Democritus Abderites Philosophus obiit annos natus nouem supra centum.

Anno Vrbis cond. CCCXCIV. Olymp. CV. primo, *ad portam Collinam cum Gallis pugnatum acriter, post Romam ab iisdem duce Brenno captam anno trigesimo.* Perdiccas Amyntæ filius Macedonum Rex ab Illyriis occiditur: cui succedit frater eius Philippus annis tribus ac viginti. Hic pace primùm cum Athenienſibus ad Methonem victis initâ, Pæonas subiugat, & Illyricos vincit. Xenophon Corinthi moritur. Hellanodicæ nouem constituti, cùm duo tantùm fuissent hactenus ab Olympiadis quinquagesimæ anno primo, quo illi primùm sorte ex Eleis electi Agonothetæ Olympionicarum.

Anno

Anno Vrbis cond. CCCXCVI. Tauromenium in Sicilia conditur. Sociale bellum exoritur aduersùs Athenienſes, de quo Theopompus libros 58. reliquerat, licet quadriennium non exceſſerit. *Romæ lex Petilia de ambitu fertur.*

Anno Vrbis cond. CCCXCVII. Philippus Macedonum Rex Olympiadem ducit vxorem Neoptolemi Moloſſorum Regis filiam. Alexander Pheræus tyrannus ab vxore occiditur. Dionyſius iunior Syracuſanorum tyrannus à Dione vincitur, fugatúrque. *Vincuntur à Romanis Priuernates.*

Anno Vrbis cond. CCCXCVIII. Olymp. CVI. primo, ante Chriſtum CCCLVI. naſcitur Alexander Magnus die ſexta Hecatombæonis, quâ Templum Dianæ Epheſi conflagraſſe dicitur. *C. Martius Rutilius primus è plebe Dictator creatus Faliſcos fudit.* Philippus Dionyſij tyranni dux Syracuſis pellitur, ſéque interficit.

Anno Vrbis cond. CCCXCIX. Phocenſes, auctoribus Philomelo, Inomarcho, & Phayllo Delphicum templum occupant expilántque, vnde exortum bellum Sacrum dictum, quod ex Diodoro Siculo durauit annis decem.

Anno Vrbis cond. CCCC. *ambo Romani Conſules fuêre Patricij. Primum fœdus ab iis cum Samnitibus ſancitum.* Victus à Thebanis Philomelus ſe ipſe præcipitio necat. Dio à Zacynthiis mercenariis militibus trucidatur.

QVINTVM ROM. VRBIS SÆCVLVM,
MVNDI TRIGESIMVM OCTAVVM.

Ab anno Vrbis cond. 401. M. 3701. *ante Chriſt.* 353.
ad an. Vrb. cond. 500. M. 3800. *ante C.* 254.

QVADRINGENTESIMO PRIMO ROMÆ ANNO, *Carites centum annorum inducias à Romanis impetrant.* Mauſolo poſt annos regni viginti quatuor defuncto, Artemiſia eius vxor regnat in Caria annis duntaxat duobus tribúſve.

Anno Vrbis cond. CCCCII. Olymp. CVII. primo, Philippus Macedonum Rex Pheras tyrannide liberat.

Anno Vrbis cond. CCCCIII. *Concedunt Romani Faliſcis ac Tarquiniis quadraginta annorum inducias.*

Anno Vrbis cond. CCCCIV. Artaxerxes Ochus Perſarum Rex, ejecto in Æthiopiam Nectanebo, Ægyptum recipit induſtria Mentoris Rhodij. *Popilius Conſul Gallos caſtris exuit.*

Anno Vrbis cond. CCCCVI. Olymp. CVIII. primo, moritur Plato Philoſophus annos natus vnum & octoginta. Philippus Olinthum capit, variáſque Helleſponti vrbes. *Valerius paullò antè ex euentu cognomen Coruini adeptus, Conſul eligitur anno ætatis* 23.

Anno Vrbis cond. CCCCVII. Dionyſius iunior poſt decem exilij annos Syracuſas recuperat.

Anno Vrbis cond. CCCCVIII. Philippus Macedonum Rex à Thebanis euocatus Phocenſium ſacrilegorum vrbes euertit, & decreto Amphictyonum gemini ſuffragij iure donatur: ſicque finis bello ſacro impoſitus poſt decennium.

Anno Vrbis cond. CCCCIX. *Bello Aurunco ædes Iunoni Monetæ vota fuit à Romanis.*

Anno Vrbis cond. CCCCX. Olymp. CIX. primo, Illyrios Philippus Macedo ſæpe vincit.

Anno Vrbis cond. CCCCXI. Timoleon Syracuſis Dionyſium eiicit, mittitque Corinthum, vbi aperuiſſe ludum, & pueros docuiſſe perhibetur. Idem Timoleon Syracuſis Archontas Amphipolos ſtatuit, qui trecentis annis durarunt vſque ad Diodori Siculi tempora. *Bellum Samniticum annorum vnius & ſeptuaginta initium duxit ab hoc anno mundi* MMMDCCXI. *quo Valerius Coruinus tertiùm Conſul Samnites ad Gaurum montem vicit.* Alexandrum quindecennem docere incipit magnus Ariſtoteles.

Anno Vrbis cond. CCCCXIII. Philippus Perinthum obſidet, & mox Byzantium. *Interreges Romæ facti ſunt, Conſulibus ſe abdicantibus.*

Anno Vrbis cond. CCCCXIV. Olymp. CX. primo, Philippus cum Byzantinis pacem init. Timoleon in Sicilia inſigni prœlio Carthaginenſes vincit, die ſeptimâ Targelionis.

Arſes. Artaxerxe Ocho à Bagoa Eunucho interfecto, ARSES regnat in Perſide annis quatuor. Iſocrates Orator moritur annos natus 99. cuius diſcipuli celebres duo, Ephorus & Theopompus; hic fræno, ille ſtimulo indigebat. *Romæ Conſules creati Manlius Torquatus & Decius Mus. Hic ſe pro legionibus deuouet; ille filium ſecuri percuti iubet. Latini & Campani deditionem faciunt.*

Anno Vrbis cond. CCCCXVI. Pugna ad Chæroneam, in qua Athenienſes & Thebani à Philippo eiúſque filio Alexandro profligati. *Latinis penitùs deuictis ex nauibus Antiatum Roſtra in Foro Romano facta.*

Anno Vrbis cond. CCCCXVII. Philippus dux belli aduersùs Perſas eligitur à Græcis. Timoleon Pœnos in Sicilia iterum ingenti prœlio ſuperat. *Minucia Veſtalis Romæ ob ſtuprum viua defoſſa eſt.*

Anno Vrbis cond. CCCCXVIII. Olymp. CXI. primo, Philippo Amyntæ filio in Cleopatræ filiæ nuptiis à Pauſania audaciſſimo iuuene Ægis occiſo anno regni ſui 24. Archonte Athenis Pythodoro, Alexander magnus Macedoniæ regnum obtinet ad annos duodecim. Eodem quoque anno vltimus Perſarum Rex poſt Arſem à Bagoa Eunucho extinctum DARIVS CODOMANNVS Arſami filius, Darij Nothi pronepos, iniit ad annos ſex, & Bagoam Regum parricidam peremit. *Auſones & Sidicini à Romanis victi.* Darius Codomãnus.

Anno Vrbis cond. CCCCXIX. Alexander Græcorum aduersùs Perſas Imperator decernitur; circa myſteria Boëdromionis Thebas exſcindit, & Pindari parcit ædibus. Ariſtoteles in Lyceo Athenis docet. *Galli Ciſalpini cum Romanis fœdus ſanciunt.*

Anno Vrbis cond. CCCCXX. Alexander per Helleſpontum in Aſiam traiicit cum peditum quinquaginta millibus, & equitum quatuor duntaxat millibus, vincit Perſas ad Granicum amnem in maiore Phrygia, capit Sardes, Epheſum, Miletum, Halicarnaſſum: nodum Gordium ſecat.

ANNO ROMÆ CCCCXXI. Memnon Rhodius egregius Darij dux moritur. Ad Iſſum Ciliciæ vincitur Darius, captis matre, vxore, liberis. Captæ quoque vrbes Damaſcus, Sidon, &c. *Nulli hoc anno Romæ Conſules.*

Anno Vrbis cond. CCCCXXII. Olymp. CXII. primo ineunte, Tyrus ſeptimo obſidionis menſe circa ſolſtitium ab Alexandro expugnatur. Deditur Gaza; Sannaballat templi in monte Garizim exſtruendi licentiam obtinet. Iaddus Pontifex Hieroſolymis Alexandrum excipit, cui Græci coronam auream mittunt. Soli Lacedæmonij fortunam Principis adorare renuunt, eorúmque Rex Agis Cretam occupat.

Anno Vrbis cond. CCCCXXIII. Alexander adit Hammonem, Alexandriam in Ægypto extruit. Eclipsis Lunæ contigit diebus vndecim ante celebrem ad Arbela siue Gaugamela pugnam, quâ profligatæ omnes Darij copiæ. *Alexander Epiri Rex interim fœdus init cum Romanis, qui ancillæ vnius indicio veneficia centum & septuaginta matronarum reprimunt.*

Alexander Magnus.

Anno Vrbis cond. CCCCXXIV. ante Christianam æram CCCXXX. tribuitur initium MONARCHIÆ GRÆCORVM, quo Susianâ & Persidе ab ALEXANDRO MAGNO Macedonum Rege occupatis, Darius Codomannus à Besso necatus est, & finis Persico regno impositus post annos 229. siue 230. à primis Cyri auspiciis. Antipater ab Alexandro in Europa relictus Agidem cum Lacedæmoniis vincit. Prima Periodus Calippica cœpit die 29. Iunij eiusdem anni, ad annos 76. hoc quatuor Metonis Enneadecaeteridas propagata.

Anno Vrbis cond. CCCCXXV. Alexander Philotam eiúsque patrem Parmenionem, aliósque è suis amicis ducibúsque occidit, in Persicos ritus, luxúmque degenerat, Arimaspos, & Arachosios subigit.

Anno Vrbis cond. CCCCXXVI. Olymp. CXIII. primo, Caucasum idem generosissimus Princeps transit, victis Paropamisadis Scythas fugat, Bessum occidi iubet, Aornum petram expugnat, Roxanem ducit vxorem.

Sequenti, Indum transmittit, Porum vincit, Ptolemæum sanat, in Oceano nauigat, atque vrbes ad oram Hydaspis condit. Calanus Philosophus rogum conscendit. Harpalus Babylone fugit cum quingentis talentis, quibus Oratores Athenis corrumpit; sed ab Antipatro repetitus fugit, & necatur in Creta.

Anno Vrbis cond. CCCCXXVIII. Alexander venit Ecbatana vrbem ambitu stadiorum 250. Hephæstionem nimiâ crapula mortuum sumptu duodecim millium talentorum magnificè sepeliri mandat. *Alexander Epiri Rex frater Olympiadis ad Acherontem fluuium in Italia sic dictum occiditur à Lucanis, qui cum Appulis permittunt se Romanis. Captâ Palæpoli, quæ modò dicitur Neapolis, primus pro Consule Publilius triumphauit.*

Anno Vrbis cond. CCCCXXIX. *damnatum à Dictatore Papyrio Cursore Q. Fabium Magistrum Equitum, quòd iniussus contra Samnites pugnasset, populus Romanus absoluit.*

Anno Vrbis cond. CCCCXXX. ante Christi vulgarem æram CCCXXIV. Olymp CXIV. primo, *quo nulli Romæ creati sunt Consules*, Archonte Athenis Hegesiâ, ALEXANDER Magnus spretis vatum prædictionibus Babylonem ingressus, ex crapula, vel, vt quidam scripserunt, veneno extinctus est, ætatis trigesimo tertio ineunte, Dæsij mensis die 28. siue Iulij Iuliani 22. quo etiam die dicitur obiisse Corinthi Diogenes Cynicus. Sisygambis Darij mater vitam inediâ finiit. Philippo Aridæo Alexandri fratre ac successore consentiente, Satrapiæ in Principes exercitus diuisæ sunt. Ægyptus PTOLEMÆO LAGI FILIO cessit, in qua regnare cœpit ad annos 40. Hic Alexandri corpus Alexandriam deportandum curauit. Ptolemæus Lagida.

Anno Vrbis cond. CCCCXXXI. Athenienses Antipatrum Lamiæ in Thessalia obsident, vincuntúrque. Leosthenes eorum dux ictu saxi occisus, ab Hyperide Oratore laudatus est.

Anno Vrbis cond. CCCCXXXII. Demosthenes ab exilio, quo propter pecunias Harpali mulctatus fuerat, reuocatus, iterum Athenis Antipatri metu fugam arripuit, & in Calauria insula veneno se interimit. Aristoteles ætatis 63. moritur in Chalcide ad Euripum. De mortis genere non vna Scriptorum sententia. Perdiccas vnus è Satrapis Ægyptum adit infestus, sed in Nili transitu à suis occiditur.

Anno Vrbis cond. CCCCXXXIII. Ptolemæus Phœniciam expugnat. Antipatro Polysperchon succedit in tutela Regum, Aridæi scilicet fratris ac filiorum magni Alexandri; deinde Cassander Antipatri filius. *Romani ad Furcas Caudinas victi, & à Pontio Samnite sub iugum missi sunt.*

Anno Vrbis cond. CCCCXXXIV. Olymp. CXV. primo, Eumenes vnus è Satrapis, prosperis in Asia rebus modestè vtitur. *Samnites à Papyrio Cursore sub iugum vicissim missi ad septem millia. Satricum in Samnio captum.*

Anno Vrbis cond. CCCCXXXVI. Phocion haustu cicutæ Athenis necatur. Cassander Macedoniæ nondum Rex sed moderator tantùm, Munichiam valido præsidio firmat, & Piræeum insuper occupat, tum Demetrium Phalereum, abrogato populari imperio, Athenienſibus præficit. Philippus Aridæus cum vxore ab Olympiade nouerca occiditur, cùm post Alexandri fratris sui mortem regnasset in Macedonia annis sex & mensibus quatuor.

Anno Vrbis cond. CCCCXXXVII. Agathocles tyrannidem Syracusis in Sicilia occupat anno ab excisa Troia 867. *Theates Romanis se dedunt.*

Anno Vrbis cond. CCCC XXXVIII. Olymp. CXVI. primo, Cassander Tegeâ, quam obsidebat, relictâ in Macedoniam copias transmittit, captáque Pydnâ primariâ vrbe, atque Olympiade interemptâ, Thessalonicam Alexandri sororem in vxorem ducit.

Anno Vrbis cond. CCCCXXXIX. Thebæ restituuntur à Cassandro viginti annis, postquàm fuerant ab Alexandro euersæ. Eumenes ab Argyraspidibus Antigono Asiæ Satrapæ proditus interficitur. *Victi à Q. Fabio Dictatore Samnites.*

Anno Vrbis cond. CCCCXL. Antigonus mouet in Cassandrum. *Romani proditione transfugarum Soram capiunt.*

ANNO ROMÆ CCCCXLII. Ptolemæus Ægypti Rex coniunctis cum Seleuco Antiochi filio copiis, Demetrium Antigoni filium ad Gazam vincit. Seleucus ille Nicanor vulgò dictus Babyloniam, Mediam, Susianam acquirit, Olympiadis CXVII. anno primo, ante Christum CCCXII. mundi MMMDCCXLII. à cæde Darij 20. ab Alexandri verò morte 12. vnde exurgit æra Seleucidarum seu Syromacedonum, quæ frequenter vsurpatur in libris Machabæorum, licet diuersò, vt aliàs monuimus initio: qui anni quoque Græcorum & Dilkarnain siue Contractuum appellantur. *Appius Claudius Censor viam saxis munit Româ Capuam vsque, Aquam Claudiam in Vrbem ducit, fit deinde cæcus.*

Anno Vrbis cond. CCCCXLIII. ab excidio Ilij 873. Cassander Roxanem cum Alexandro filio necat. Agathocles Messanam dolo capit, tum à Carthaginensibus ad Himeram superatur.

Anno Vrbis cond. CCCCXLIV. Agathocles Syracusis obsessus liber euolat, & bello in Africam translato, Pœnos sæpe vicit, vnde factum vt Amilcar è Sicilia euocaretur, & Saturno infantes Carthagine immolarentur. *Fabius Consul Etruscos castris exuit, & Ciminium saltum primus cum copiis penetrat.*

Anno Vrbis cond. CCCCXLV. Nicocles in Cypro, Amilcar Syracusis necantur. Hercules Alexandri Magni & Barsines filius fraude Cassandri occiditur. *Romæ Consules nulli, Dictator Papyrius Cursor Samnites fundit.*

Anno Vrbis cond. CCCCXLVI. Olymp. CXVIII. primo, Cleopatra Alexandri Magni soror Sardibus ab Antigono Asiæ Satrapa necatur. *Umbri Fabio Consuli se dedunt.*

Anno Vrbis cond. CCCCXLVII. Demetrius Antigoni filius libertatem Athenis restituit, σωτηρίῳ, vt vocabant, die 26. mensis Thargelionis, post annum 15. quàm Lamiaco bello seruire cœperant, Salaminem oppugnat, Ptolemæum Lagidam Ægypti Regem nauali prœlio vincit. Agathocles captâ Vticâ redit in Siciliam: eius filij à relictis in Africa militibus iugulati.

Anno Vrbis cond. CCCCXLVIII. Antigonus successu victoriarum elatus Ægyptum, sed frustra, tentat. *Cum Pœnis tertium fœdus sanciunt Romani,* atque ipse Agathocles.

Anno Vrbis cond. CCCCL. Olymp. CXX. primo, Demetrius desperatâ Rhodi, quam omnibus modis vrgebat, expugnatione, pacem cum Rhodiis iniit. Hi Colossum in portu erigunt, ille plerisque Græcorum vrbibus libertatem restituit. *Bellum Samniticum optatâ tandem pace finitur. Æquorum quadraginta oppida intra dies sexaginta à Consulibus capta. Coloniæ Soram, Albam, & in Æquos deductæ.*

Anno Vrbis cond. CCCCLIII. Antigonus in prœlio ad Ipsum in Phrygia occumbit. Demetrius eius filius, Poliorceta dictus, inde fugiens in Græciam, ab Athenienſibus non admittitur. Seleucus Antiochiam condit, tum Laodiceam, Apameam, Berœam, Pellam, Seleuciam, & plures alias. *Romæ hoc quoque anno Consules nulli, Dictatores duo.*

Anno Vrbis cond. CCCCLIV. ante vulgarem Christi æram CCC. Simon Oniæ filius, cognomento Iustus, fit Iudæorum Pontifex. Hoc fermè tempore quidam volunt Iudæos obtinuisse haud procul Babylone nobilissimam de Galatis victoriam, cuius mentio II. Machab. cap. 8. vers. 20. Seleucus Stratonicen Demetrij filiam, Demetrius Ptolemaïdem filiam Ptolemæi Lagidæ ducunt vxores. *Romæ Sacerdotia etiam plebi permissa.*

Anno Vrbis cond. CCCCLV. Crotonem in maiore Græcia expugnat Agathocles.

Anno Vrbis cond. CCCCLVI. Cassandro mortuo anno regni sui Macedonici 19. successit Philippus filius, eóque post annum defuncto, Antipater & Alexander fratres de regno contendunt; ille matrem sibi non satis amicam interficit.

Anno Vrbis cond. CCCCLVIII. Olymp. CXXI. primo, captæ à Demetrio Poliorcetâ Athenæ.

Anno Vrbis cond. CCCCLIX. Pyrrhus Epirotis regnare incipit, & ab Alexandro iuniore Cassandri filio aduersùs fratrem euocatus, magnam Macedoniæ partem occupat: Demetrius Spartam tantumnon capit, tum in Macedoniam conuerso exercitu, & Alexandro è viuis sublato, in ea regnat annis sex. *Decius Mus Consul in prælio contra Gallos & Samnites se pro legionibus Romanis, patris exemplo, deuouet.*

Anno Vrbis cond. CCCCLX. Erasistratus Medicus habetur in pretio. *Attilius Consul ædem Ioui Statori vouet, sistítque fugientes milites.*

ANNO ROMÆ CCCCLXI. Menander poëta Comicus moritur. Dinarchus Orator Athenas redit. *Primum in vrbe Romana Horologium solarium ad ædem Quirini collocatum est.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXII. Olymp. CXXII. primo, Lysimachus vnus è ducibus Alexandri Thraciæ Rex à Dromichate captus, quæ trans Istrum erant Getis cedere coactus est. Demetrius Thebas iterum capit, & Pyrrhum fugat.

Anno Vrbis cond. CCCCLXIII. Demetrius cum Ætolis & Rege Pyrrho pugnat. *Æsculapij simulacrum Epidauro Romam aduehitur. Fabius Gurges patris operâ Samnitium viginti quatuor millia cædit, capit quatuor millia, Pontius eorum dux in triumpho ductus, & securi percussus est.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXIV. Demetrium in Asiam transmittere cogitantem quatuor Reges, Ptolemæus, Seleucus, Lysimachus, & Pyrrhus oppugnant, à quibus regno pulsus, fugere coactus est. *Manius Curius Dentatus Consul de Samnitibus & Sabinis bis eodem anno triumphat.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXV. Demetrius profugus frustra Athenas iterum tentat. Agathocles anno ætatis 72. regni 28. veneno tollitur ab Archagatho nepote.

Anno Vrbis cond. CCCCLXVI. Demetrius ab omnibus reiectus, omnísque consilij inops, tandem genero suo Seleuco Nicatori Syriæ Regi se permittit. Lysimachus Rex Thracum pulso Pyrrho in Macedonia regnat annis sex.

Anno Vrbis cond. CCCCLXVIII. *Romana plebs alieno ære oppressa secedit in Ianiculum. Q. Hortensius primus moritur in Dictatura.*

Ann

Anno Vrbis cond. CCCCLXIX. Philetærus Spado à Lysimacho Thracibúsque deficit, & Pergami ad Caycum amnem in Phrygia dominari incipit ad annos viginti. PTOLEMÆVS PHILADELPHVS Berenices filius à patre Ptolemæo Lagida in regni consortium adscitus regnare incipit ad annos octo & triginta. Historia Septuaginta duorum sacræ Scripturæ Interpretum huic anno à quibusdam illigatur, licet alij in annos consequentes differant. De ea præter Aristeam, Iosephum, Eusebium, aliósque antiquiores, videndi, Salianus, Petauius, Philippæus, Morinus, &c. Eleazarus Oniæ Iusti filius per ea tempora Iudæorum Pontifex erat. Ptolemæus Philadelphus.

Anno Vrbis cond. CCCCLXX. Olymp. CXXIV. primo, paullò post Ptolemæi Lagidæ mortem, Demetrius Phalereus, Philadelpho exosus, aspidis morsu periisse dicitur, quo tempore Sostratus Cnidius Pharum in insula Alexandrinæ vrbi proxima exstruebat. *Galli Aretium in Etruria obsident.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXI. *Dolabella Consul Senonas, Bojósque cum Etruscis vincit. Senam deducta colonia.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXII. Lysimachus pugnans contra Seleucum Nicatorem occiditur, natus annos quatuor & septuaginta; eius vxor Arsinoë cum liberis regnat in Macedonia mensibus septem.

Anno Vrbis cond. CCCCLXXIII. Seleucus, Nicator à multis atque illustribus victoriis dictus, Victórque victorum, ætatis 78. regni 32. mundi MMMDCCLXXIII. occisus est à Ptolemæo Cerauno Ptolemæi Lagidæ ex Eurydice filio. Hic verò decimus Macedonum Rex ferè per sesquiannum fuit, cùm Arsinoës sororis suæ, quam vxorem duxerat, filios interemisset. Antiochus Soter Seleuci Nicatoris filius regnat in Syria annis 19.

Anno Vrbis cond. CCCCLXXIV. Ptolemæus Ceraunus à Belgio Gallorum duce occiditur in prœlio, exeunte vere, sicque intra vnam Olympiadem ordine CXXIV. quatuor periêre Principes potentissimi, Ptolemæus Lagida, Lysimachus, Seleucus, & Ceraunus; post quem filius eius Meleager regnauit in Macedonia mensibus duobus: dein Antipater diebus 45. tum iam inchoato anno primo Olympiadis CXXV. Sosthenes regnum illud administrare cœpit, tenuítque annis circiter duobus. Hoc fermè tempore Callimachus in Ægypto,

aliíque ſex Poëtæ Tragici minores, quos Pleiadis nomen inſignes fecit, floruerunt: in iis Aratus, Lycophron, &c. *Pyrrhus Epirotarum Rex à Tarentinis accitus, venit in Italiam, & primo conflictu Romanos milites inſueto Elephantorum aſpectu territos vicit.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXV. *Cineas Theſſalus Pyrrhi Regis Legatus Romam venit. Pacem diſſuadente Appio Cæco, Pyrrhus ſecundo cum Romanis prœlio vulneratur. Decius Mus patris auíque exemplo ſe pro legionibus deuouet.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXVI. Galli duce Brenno Soſthenem Macedoniæ Principem occidunt, & per Thermopylas Delphos petunt. Macedonum regnum ſuſcipit Antigonus, Gonatas dictus, Demetrij Poliorcetæ filius, ad annos 36. *Pyrrhus relicto Tarenti aduersùs Romanos fortiſſimo præſidio, in Siciliam traiicit, adversùs Pœnos pugnaturus.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXVII. Galli à templo Delphico repulſi Thraciam inuadunt, Comontorio duce; tributum à Byzantinis exigunt, tandémque tranſito ope Nicomedis Boſporo, Galatiam in Aſia obtinent.

Anno Vrbis cond. CCCCLXXVIII. Olymp. CXXVI. primo, Pyrrhus rebus feliciter in Sicilia geſtis, in Italiam reuertitur: verùm anno proximè ſequenti Vrbis conditæ CCCCLXXIX. *caſtris à Manio Curio exutus, victúſque, relicto in arce Tarentina Milone, in Epirum rediit inglorius.*

ANNO ROMÆ CCCCLXXXI. Pyrrhus quietis impatiens Antigonum Gonatam adoritur, è Macedonia fugat, víxque eâ potitus, à Cleonymo Arei filio euocatus in Laconicam irrumpit. *Ptolemæus Philadelphus Ægyptiorum Rex cum Romanis per legatos ſocietatem init.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXXII. Olymp. CXXVII. primo, Pyrrhus Epiri ac Macedoniæ Rex Argis in Peloponneſo pugnans, illisâ in caput tegulâ ab ignota muliere occiditur. *Tarentum Romanis traditur: ſicque anno mundi 3782. finitum eſt bellum Samniticum poſt annos 71. quàm fuerat inchoatum. Pœni fœdus cum Romanis initum violare incipiunt.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXXIII. Epicuri mors anno ætatis ſeptuageſimo ſecundo: ſequenti verò, Polemonis & Stratonis.

Anno Vrbis cond. CCCCLXXXV. Hiero Rex ſalutatur Syracuſis, cùm iam à ſeptennio dux diceretur. *Argento tum primùm vſi dicuntur Romani.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXXVI. Olymp. CXXVIII. primo, *Picentes à Romanis victi: ædes ſacra Telluri vota.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXXVII. *Bruduſium capitur à Romanis.*

Anno Vrbis cond. CCCCLXXXIX. moritur Areus Lacedæmoniorum Rex. *Mamertini Meſſanæ vrbis in Sicilia inuaſores, Romanorum opem aduersùs Pœnos impetrant.*

Anno Vrbis cond. CCCCXC. Olymp. CXXIX. primo, *inchoatum eſt primum Punicum bellum, quod durauit annis 24. Appius Claudius Caudex auxilio Mamertinis veniens, Hieronem Regem Syracuſis obſedit. Primum tunc Romæ Gladiatorum munus exhibitum.* Eumenes poſt Philetærum patruum Pergami præeſſe incipit ad annos 22. Zeno Cittieus Stoicorum Princeps moritur.

Anno Vrbis cond. CCCCXCI. *Hieroni pace cum Romanis initâ, relictæ Syracuſæ: captum ab iiſdem Agrigentum.*

Anno Vrbis cond. CCCCXCII. Antiochi Soteris filius Antiochus, Deus à Mileſiis dictus, regnat in Syria annis 15.

Anno Vrbis cond. CCCCXCIV. Olymp. CXXX. primo, *Caius Duillius Conſul claſſe primus Pœnos vicit. Iidem annis ſequentibus in Sardinia Siciliáque debellati.*

Anno Vrbis cond. CCCCXCVII. *Hannibal ſenior claſſe victus à C. Attilio Serrano Conſule, à ſuis militibus in crucem agitur.*

Anno Vrbis cond. CCCCXCVIII. Olymp. CXXXI. primo, *M. Attilius Regulus in Africa Pœnos ſæpe vincit, miræque magnitudinis Serpentem ad Bagradam fluuium interimit.*

Anno Vrbis cond. CCCCXCIX. *Regulus à Carthaginenſibus duce Xanthippo Lacedæmonio vincitur, cæſis Romani exercitus triginta millibus, captis quindecim; ducitúrque Carthaginem. Clupea obſidione liberatur. Poſt nauale ad Mercurij promontorium de Pœnis reportatam eodem anno victoriam, perierunt naufragio Romanæ naues viginti ſupra ducentas.*

Anno Vrbis cond. D. quo cœpit ſecunda Periodus Calippica annorum 76. *Claſſe refectâ, Conſules Scipio Naſica & Atilius Calatinus Panormum in Sicilia capiunt.*

SEXTVM ROM. VRBIS SÆCVLVM, MVNDI TRICESIMVM NONVM.

Ab anno Vrbis conditæ 501. M. 3801. *ante Chr.* 253. *ad an. Vrbis cond.* 600. M. 3900. *ante Chr.* 154.

QVINGENTESIMO PRIMO ROMÆ ANNO, Punici belli primi duodecimo, *Romanorum naues altero naufragio pereunt ad Syrtes, iisque mari cedere coacti.*

Anno Vrbis cond. DII. Olymp. CXXXII. primo, quo Manasses Hebræorum Pontificatum regebat, *Metellus Consul Asdrubalem Pœnorum ducem ad Lilybæum in Sicilia fundit, cæsis sex & viginti elephantis, captis* 104. *& per Italiam circumductis. Atilius Regulus Romam missus pacem cum Carthaginensibus dissuadet, atque integrâ fide in Africam reuertitur, omnibus supplicíorum generibus excarnificandus.*

Anno Vrbis cond. DIV. Theodotus Bactrianorum Præfectus, & Parthi Arsace duce deficere incipiunt à Syriæ Regibus.

Anno Vrbis cond. DV. *vterque Consul nauali prælio victus est à Pœnis, qui maritima Italiæ loca classibus infestant.*

Anno Vrbis cond. DVI. Olymp. CXXXIII. primo, Antiochus Deus Berenicen Ptolemæi Philadelphi filiam cum ingenti dote ducit vxorem.

Anno Vrbis cond. DVII. Idem Antiochus Laodicen, quam à toro remouerat, reuocat, & ab eadem veneno tollitur. Seleucus, Callinicus dictus, patri succedit annis viginti. Hic Berenicen nouercam cum eius lactente filio interficit, tum à fratre Antiocho Hierace bello appetitur, quem Eumenes Pergami Princeps in Asia turbantem profligauit. Tertius Ægypti Rex ad annos 26. Ptolemæi Philadelphi filius PTOLEMÆVS EVERGETES, sic dictus ob restituta Ægyptiis simulacra, quæ Cambyses in Persidem auexerat, aliáque in eos collocata beneficia. Hic sororem suam Berenicen vltus, spoliat regnum Seleuci Callinici, iuxta prædictionem Danielis cap. XI. commate 7.

Ptolemæus Euergetes.

Anno Vrbis cond. DX. Olymp. CXXXIV. primo, *Brundusium à Romanis deducta est colonia.*

Anno Vrbis cond. DXI. Aratus Sicyonius, qui priùs pulso tyranno patriam suam liberauerat, Corinthi arcem eiecto Macedonum præsidio occupat.

Anno Vrbis cond. DXII. Attalus post Eumenem regnat Pergami annis 43. & Galatas vincit. Antigono Gonatæ succedit in regno Macedonum Demetrius filius annis decem. *Pœni ad Ægatem à Lutatio Consule nauali prœlio superati.*

Anno Vrbis cond. DXIII. *Post 24. belli annos tandem à Romanis pax Carthaginensibus data est:* vnde ortum Libycum bellum cum mercenariis, quos Pœni militiâ soluerant. *Romæ Palladium ab igne ereptum est à Metello Pio Pontifice.*

Anno Vrbis cond. DXIV. Olymp. CXXXV. *Liuius Andronicus Poëta primam dat Romæ fabulam.*

Anno Vrbis cond. DXV. *Q. Ennius Poëta Rudiis in Calabriæ montibus nascitur. Sicilia à Romanis in prouinciæ formam redacta est.*

Anno Vrbis cond. DXVII. Amilcar confecto in Africa Libyco bello nouennem Hannibalem secum ducit in Hispaniam.

Anno Vrbis cond. DXVIII. Cleomenes Leonidæ filius Lacedæmone regnat. *Romæ acti ludi Consulares: pax cum Corsis inita.*

Anno Vrbis cond. DXIX. *Templum Iani clausum alterâ post Numam vice. Spurius Caruilius, cui Ruga cognomentum fuit, primus Romæ diuortium cum vxore fecit, quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur: & Cn. Nœuius Poëta fabulas apud populum fecit;* nisi forte apud Gellium libri 17. cap. 21. pro vndecimo legendum sit vno & vicesimo: tunc enim verissima erunt quæ sequuntur: *ac deinde annis ferè post quindecim bellum aduersùs Pœnos sumptum est.* Idem tamen Scriptor sibi contrarius cap. 3. lib. 4. diuortium illud anno Vrbis conditæ DXXIII. vel vt censeo emendandum DXXVII. adscribit, M. Atilio, & P. Valerio Consulibus.

ANNO ROMÆ DXXI. *Sardi à Romanis cæsi.*

Anno Vrbis cond. DXXII. Olymp. CXXXVII. primo, mortuo Demetrio Antiochus, Promissor dictus siue Profuturus, ὁ Δώσων, tutor potiùs Philippi pueruli, quàm Macedonum Rex, annis duodecim regnum administrauit. *Originem Gallico bello dedit lex Agraria, de Piceno agro diuidendo à Flaminio perlata.*

Anno Vrbis cond. DXXIV. *Teuta Illyriorum Regina Romanorum legatum occidi iubet, vnde exortum bellum, quod anno sequenti feliciter à Fuluio Consule gestum est.*

Anno Vrbis cond. DXXVI. Olymp. CXXXVIII. primo, floret Eratosthenes Medicus ac Philosophus insignis, Beta vulgò cognominatus. Amilcar in Hispania occiditur, cui gener succedit Asdrubal, victisque Iberis nouam condit Carthaginem. *Primæ Romanorum in Græciam legationes.*

Anno Vrbis cond. DXXVII. Post Seleucum Callinicum, Syris imperat filius eius Seleucus, Ceraunus siue Pogon dictus, annis duntaxat tribus.

Anno Vrbis cond. DXXVIII. *exercitum peditum septingentorum millium, equitum septuaginta millium conscribunt Romani aduersùs Gallos.*

Anno Vrbis cond. DXXIX. *Cæsa à Romanis Gallorum quadraginta millia cum Regibus Concolitano & Anteroëstо.*

Anno Vrbis cond. DXXX. Olymp. CXXXIX primo, *Romanorum copiæ tum primùm à Consulibus trans Padum ductæ; Boij, Insubrésque superati.* Seleuco Cerauno à suis interempto, factus est Syriæ Rex frater eius Antiochus, Magnus vulgò dictus, ad annos 36. Colossus Rhodius ruit terræ motu concussus. Megalopolim euertit Cleomenes Lacedæmonius Princeps.

Anno Vrbis cond. DXXXII. Cleomenes pulsus Lacedæmone ab Antigono Macedonum Rege, in Ægyptum fugit ad Ptolemæum Euergetem. *Marcellus Viridomaro Gallorum Gæsatarum duce occiso, opima spolia tertius à Romulo refert, & Mediolanum capit.*

Ptolemæus Philopator.

Anno Vrbis cond. DXXXIII. Ptolemæo Euergetæ successit quartus Ægyptiorum Rex annis 17. PTOLEMÆVS PHILOPATOR sic dictus, quòd patrem, vt aiunt, matrem, fratrem, sororem occiderit, vxorem quoque captus illecebris Agathocliæ meretricis. Mortuo quoque Antiocho tutore ac vitrico, Macedonici regni habenas regendas suscipit Philippus Persei pater, ætatis anno decimo septimo, ad annos vnum & quadraginta. *Istri à Romanis domiti.*

Anno Vrbis cond. DXXXIV. Olymp. CXL. primo, Asdrubal à Gallo quodam per dolum occiditur, succedente Hannibale anno ætatis 26. qui hoc, sequentíque anno Olcadas, Althæam, totámque intra Iberum Hispaniam sibi subiicit,

ac poſt ſeptem menſium obſidionem Saguntum capit. Perit Alexandriæ Cleomenes. *Romæ primus Medicus Archagathus è Peloponneſo profectus inclaruit.*

Anno Vrbis cond. DXXXVI. *Bellum Punicum ſecundum, ſiue Hannibalicum, poſt primum annis ferè 24. per annos 18. ab hoc anno, ad* DLIII. *durauit, vario ſucceſſu. Hannibal, ſuperatis Pyrenæo, Rhodano, & Alpibus, in Italiam venit, P. Cornelium Scipionem ad Ticinum amnem, Sempronium ad Trebiam fundit.* Antigonus magnus & Ptolemæus Philopator de Cæleſyria contendunt: ille ad Raphiam in Phœnicia ingenti vtriuſque clade vincitur; hic verò Hieroſolymis Sancta ſanctorum diuinâ virtute prohibitus ingredi, in Iudæos Ægypti incolas deſæuiit, vt pluribus narrat author libri, qui dicitur Machabæorum tertius.

Anno Vrbis cond. DXXXVII. Finitur bellum ſociale Macedonum & Achæorum aduersùs Ætolos. *Clades ad Thraſymenum lacum, occiſo ab Hannibalis exercitu cum pluribus Romanis Flaminio Conſule. Quintus Fabius Maximus pro Dictatore Rempublicam cunctando reſtituit, ac iuueniliter exultantem Hannibalem conſiliis ac ſenili prudentia coërcuit. Cneus & Publius Scipiones in Hiſpania aduersùs Pœnos rem bene gerunt.*

Anno Vrbis cond. DXXXVIII. Olymp. CXLI. primo, *Hannibal ad Cannas quadraginta Romanorum millia cædit cum Terentio Varrone Conſule: Nuceriam, Acerras, plurimáſque vrbes deditione accipit.*

Anno Vrbis cond. DXXXIX. Hiero Syracuſanorum Rex moritur, cui ſuccedit Hieronymus annum agens decimum quintum, qui paullò poſt peremptus eſt. *Philippus Macedonum Rex aduersùs Romanos cum Hannibale fœdus init, eiúſque claſſis à Læuino Prætore diſiecta.*

Anno Vrbis cond. DXL. Antiochus Magnus Sardes capit, & Achæum occidit. *Scipiones Saguntum in Hiſpania recipiunt.*

ANNO ROMÆ DXLII. Olymp. CXLII. primo, *Syracuſæ poſt diuturnam obſidionem à Marcello captæ, & fruſtra ab Archimede defenſæ, quem miles imprudens Geometrico operi vacantem occidit. Tarentum præter arcem capit Hannibal, eiúſque frater Aſdrubal in Hiſpania Scipiones ambos fortiter obſiſtentes cædit.*

Anno Vrbis cond. DXLIII. *Capua à Romanis recepta. Publius Scipio annum agens ætatis viceſimum quartum Proconſul in Hiſpaniam*

mittitur. Hannibal Romam infestis signis contendit, sed coortâ tempestate multísque prodigiis prohibetur.

Anno Vrbis cond. DXLIV. *Publius Scipio Carthaginem nouam, quæ & Spartaria dicta est, aggressus vno die expugnauit. Fuluius Proconsul ad Herdoniam siluam ab Hannibale cæsus. Capto Agrigento, Læuinus Pœnos Siciliâ pellit.*

Anno Vrbis cond. DXLV. *Q. Fabius Maximus quintùm Consul Tarentum recipit.*

Anno Vrbis cond. DXLVI. Olymp. CXLIII. primo, Chrysippus obit, Cleanthis post Zenonem Citieum Philosophiæ Stoicæ Principis discipulus. *Marcellus quintùm Consul insidiis Hannibalis circumuentus occiditur, Crispinus eius collega vulneratur. Asdrubal ad Bætulam victus Hispania pellitur, & Italiam cogitat.*

Anno Vrbis cond. DXLVII. *Claudius Nero Consul ad Metaurum flumen Asdrubalem cum quinquaginta sex Pœnorum millibus interficit. Scipio Hannonem capit, pulsísque Hispaniâ Carthaginensibus, anno proximè sequenti Syphacem Mauritaniæ Regem cum Lælio adit, reuersúsque multas vrbes subiicit, Masanissam Numidarum Regem Romanis conciliat, & in ærarium quatuordecim millia pondo infert.*

Anno Vrbis cond. DXLIX. *Scipio Consul creatus bellum in Sicilia apparat, traiecturus in Africam.*

Anno Vrbis cond. DL. Olymp. CXLIV. primo, mortuo Ptolemæo Philopatore, quintus Rex PTOLEMÆVS EPIPHANES quadrimus ad annos 23. hic postea ducit vxorem Antiochi Magni, Syriæ atque Asiæ Regis filiam, quam Daniel cap. 21. num. 17. vocat filiam fœminarum, id est formosissimam. *Idæa mater Pessinunte ex Phrygia aduecta, à Scipione Nasicâ Romæ excipitur, actíque Megalenses ludi. Syphax à Romanis ad Pœnos deficit.*

Ptolemæus Epiphanes.

Anno Vrbis cond. DLI. *P. Scipio Asdrubalis & Syphacis castra eâdem die delet, & aperto marte eos iterum vincit in Magnis campis. Syphax in C. Lælij & Masiniſſæ manus venit, & Romam mittitur. Hannibal euocatus à suis, Italiâ relictâ, decimo sexto belli anno Africam inuitus repetere cogitur. Obiit Cn. Næuius Poëta Uticæ in Africa.*

Anno Vrbis cond. DLII. *Hannibal post colloquium cum Scipione habitum funditur, fugatúrque vnà cum Uermina Syphacis Regis filio.*

Anno Vrbis cond. DLIII. *Carthaginenses desperatis rebus à Romanis pacem poscunt, belli anno decimo sexto & vltimo, quo Syphacem in triumpho duxit Scipio, qui Africani nomen merito sibi iure comparauit.*

Anno

Anno Vrbis cond. DLIV. Olymp. CXLV. primo, ante vulgarem Christi æram ducentesimo, *Romanorum bellum aduersùs Philippum Macedoniæ Regem recrudescit.*

Anno Vrbis cond. DLVI. Eumenes post patrem Attalum Pergami regnum suscipit, obtinétque annis 40.

Anno Vrbis cond. DLVII. Antiochus Magnus, Scopâ Ptolemæi Epiphanis duce deuicto, Syriam & Iudæam occupat. *Macedones ad Cynoscephalas vincuntur à Flaminio.*

Anno Vrbis cond. DLVIII. Olymp. CXLVI. primo, *pax Philippo Macedoni, ac libertas Græciæ à Romanis data.*

Anno Vrbis cond. DLIX. Hannibal Romanis meritò suspectus ex Africa fugit ad Antiochum Magnum.

ANNO ROMÆ DLXII. Olymp CXLVII. primo, Antiochus Magnus Græciam & insulas sibi subiicit: tum seq. anno *ad Thermopylas ab Acilio victus, in Asiam redire cogitur. Boij & Insubres à Scipione Nasica victi. Ætoli à Fuluio superati pacem à Romanis petunt.*

Anno Vrbis cond. DLXIV. *Lucius Scipio Consul, Legato vsus P. Scipione Africano fratre, venit in Asiam, Antiochum vincit, pacémque cum eo componit eâ lege, vt Asiâ cis Taurum cedat, filiúmque Antiochum, qui postea dictus est Epiphanes, & à quibusdam Epimanes, obsidem Romam mittat.*

Anno Vrbis cond. DLXV. *Cneus Manlius Consul Gallogræcos in Asia subiicit.*

Anno Vrbis cond. DLXVI. Olymp. CXLVIII. primo, Spartæ muri diruti, Lycurgi leges abrogatæ, sæuientibus in Lacedæmonios Achæis.

Anno Vrbis cond. DLXVII. Antiocho Magno ab Elymæis, cùm Beli templum deprædari vellet, occiso, succedit filius Seleucus Philopator septimus Syriæ Rex, annis duodecim. *Scipiones fratres Romæ à Petilliis Tribunis plebis accusati.*

Anno Vrbis cond. DLXVIII. Heliodorus Hierosolymam à Seleuco Philopatore missus in Templo flagellis cæsus est. *Bacchanalia Romæ repressa. Ligures à Consulibus subacti.*

Anno Vrbis cond. DLXX. Olymp. CXLIX. primo, *Marcus Cato Censor multos Senatu mouet. Obiit M. Accius Plautus Sarsinas Comœdiarum Scriptor.*

Anno Vrbis cond. DLXXI. Philopœmen à Messeniis necatur annos natus 70. *Obit Africanus Literni spontaneus exul.*

Anno Vrbis cond. DLXXII. Hannibal in Bithynia apud Prusiam Regem hausto veneno periit.

Anno Vrbis cond. DLXXIII. mortuo Ptolemæo Epiphane, sextus in Ægypto regnat PTOLEMÆVS PHILOMETOR eius filius annis 35. Huic Aristobulus Iudæus Philosophus Peripateticus explanationes super libros Mosis dedicauit.

Ptolem. Philometor.

Anno Vrbis cond. DLXXIV. Olymp. CL. primo, Philippus Macedoniæ Rex Demetrium minorem natu filium, olim Romæ obsidem, Persei maioris nefandis artibus circumuentus iussit interfici.

Anno Vrbis cond. DLXXV. Philippo ex mœrore mortuo succedit filius eius Perseus vltimus Macedonum Rex, annis 10. *Tiberius Gracchus Prætor trecenta Celtiberorum oppida delet.*

Anno Vrbis cond. DLXXVIII. Olymp. CLI. primo, Antiochus Epiphanes, auditâ Seleuci Philopatoris fratris cæde ab Heliodoro perpetratâ, clam Romæ aufugit, debellatóque ope Eumenis atque Attali Pergami Principum Heliodoro, regnum Syriæ occupat anno Græcorum siue Syromacedonum CXXXVII. mundi MMMDCCCLXXVIII. De eo plura prædixit Daniel capitibus 8. & 11. Iasonem Pontificem creat, exauctorato sancto & legitimo Oniâ, qui post annos octo obtruncatus est.

ANNO ROMÆ DLXXXII. qui fuit Olympiadis CLII. primus, *ambo Consules primùm ex plebe facti:* tum sequenti anno, *denunciatum Perseo Macedoni bellum, cui se post biennium adiunxit Gentius Illyriorum Rex.*

Anno Vrbis cond. DLXXXV. *Q. Ennius Poëta obiit ætatis 70. cui contubernalis fuisse dicitur Cæcilius Statius Comicus.*

Anno Vrbis cond. DLXXXVI. Olymp. CLIII. primo, regnum Macedonicum desiit anno ab Alexandro Magno 246. à Carano 737. *Perseo vltimo Rege multis prœliis à Paulo Æmilio superato, captóque in Samothracia insula. Sulpitius Gallus prænuntiatâ Lunæ defectione, quæ contigit horâ 2. noctis die 21. Iunij, paullò antè decretoriam cum hostibus pugnam, suos plurimùm iuuit.* Antiochus Epiphanes prope Casium montem Ægyptios vincit, & Pelusium vicinam vrbem domat. Ptolemæi fratres Philometor & Physcon, qui priùs diffidebant, in gratiam redeunt, & paciscuntur: cúmque eos ductis in Ægyptum copiis Alexandriæ ob-

seſſurus propediem videretur Epiphanes, *Popilij Legati Romani auctoritate miníſque deterritus eſt*, atque in regnum ſuum redire compulſus, iram vertit in Iudæos, Templum Hieroſolymitanum collocato Iouis ſimulacro profanat circa Nouembrem, die 15. menſis Caſleu, currente iam, vel à vere, vel ab autumno, anno Græcorum Seleucidarum CXLV. Iudæos ad eiurandam auitam religionem cogit; Eleazarum ſenem, ſeptémque Machabæos fratres cum matre Salomona variis cruciatibus enecat. Fugit paullò pòſt Matathias ex oppido Modin, ſuóſque filios, ac cæteros, qui ad eum ex diuerſis locis conuenerant, ad ſtrenuè certandum pro lege diuina patriíſque inſtitutis morti proximus impellit.

Anno Vrbis cond. DLXXXVII. Iudas Maccabæus cum paucis Syros aggreditur, crebríſque velitationibus atterit. *Paulus Æmilius Romæ triumphat, Perſeo ac Gentio Regibus ante currum ductis.*

Anno Vrbis cond. DLXXXVIII. Græcorum CXLVII. *Romam venit Pruſias Bithyniæ Rex.* Iudas Maccabæus Apollonium Epiphanis ducem vincit & perimit.

Anno Vrbis cond. DLXXXIX. victis Lyſiâ & Gorgiâ eiuſdem Regis Antiochi ducibus, Maccabæi Templum purgant die 25. menſis Caſleu.

Anno Vrbis cond. DXC. Olymp. CLIV. Græcorum CXLIX. mundi MMMDCCCXC. Antiocho Epiphane, cùm rediret ex Perſide, ſummis tum animi, tùm corporis cruciatibus extincto anno regni vndecimo, nouus Syriæ Rex Antiochus Eupator annis duntaxat duobus ſub Lyſia tutore, *qui Cneum Octauium populi Romani Legatum occidi mandauit*; & Bethſurâ captâ anno ſequenti Græcorum CL. eodémque Sabbatico, Hieroſolymorum mœnia dirui iuſſit.

Anno Vrbis cond. DXCII. Seleuci Philopatoris filius Demetrius, Soter dictus, *clam Roma dilapſus*, occiſis Eupatore & Lyſiâ, regnum paternum recuperat, regnátque in Syria annis vndecim. Ab eo miſſus aduersùs Iudæos Nicanor, vincitur à Iuda Maccabæo, quem anno ſequenti Bacchides gloriosè pugnantem occidit. Succedit in Pontificatu frater eius Ionathas ad annos decem & ſeptem.

Anno Vrbis cond. DXCV. Olymp. CLV. ſecundo, *Terentius Afer Poëta Comicus fato concedit.*

Anno Vrbis cond. DXCVI. Attalus pro fratris sui Eumenis filio Attalo huius nominis tertio Pergami regnum administrat annis vno & viginti.

Anno Vrbis cond. DXCVIII. Olymp. CLVI. primo, Aristarchus Grammaticus floret, necnon Polybius Megalopolitanus nobilis Historicus. *Dalmatæ victi à Romanis.*

Anno Vrbis cond. DC. *Pacuuius Brunduſinus Poëta clarus habebatur circa finem huius Romani ſæculi, quem ſanctus Hieronymus ait, poſtquàm Romæ picturam exercuit, & fabulas vendidit, Tarentum tranſgreſſum diem obiiſſe prope nonagenarium.*

SEPTIMVM ROM. VRBIS SÆCVLVM,
MVNDI QVADRAGESIMVM.

Ab anno Vrbis cond. 601. M. 3901. *ante Chr.* 153.
ad an. Vrbis cond. 700. M. 4000. *ante Chr.* 54.

SEXCENTESIMO PRIMO ROMÆ ANNO, *Quintus Fuluius Nobilior, & Titus Annius Conſules à Kalendis Ianuariis magiſtratum inire cœperunt. Bellum aduersùs Celtiberos indicitur.* Alexandrum Balam, ſiue vt alij vocant Velem, Antiochi Epiphanis, vt ferebatur, filium, contra Demetrium patruelem ſuum inſurgentem anno Græcorum CLX. cupidè excipiunt Antiochenſes, & cum eo amicitiam Ionathas ſancit, hoc, vel potiùs anno ſequenti, quo cœpit Olympias CLVII.

Anno Vrbis cond. DCIII. mortuo Sotere Demetrio, Alexander Bala regnat in Syria annis quinque. *Scipio Æmilianus in Hiſpania egregiè ſe gerit.*

Anno Vrbis cond. DCV. *Tertium bellum Punicum, poſt ſecundi exitum annis 52. inchoatum, durauit annis duntaxat quatuor. Uticenſes Romanis ſe dedunt. Carthaginem oppugnant Conſules, vbi Scipionis præ cæteris virtus emicuit.*

Anno Vrbis cond. DCVI. Olymp. CLVIII. primo, Maſaniſſa Numidiæ Rex moritur in complexu Scipionis, annos natus 97. relictis 44. filiis. *Moritur quoque M. Porcius Cato, Cenſorinus dictus. Andriſcus, quem Pſeudo-Philippum paſſim vocitant, ſuperatur in Macedonia à Cæcilio Metello, qui inde Macedonici cognomen aſſecutus eſt.*

Anno Vrbis cond. DCVII. *Scipio Æmilianus fit Conſul, in Africam mittitur, Carthaginis portum capit.* Ptolemæus Philometor Ægypti Rex Syriam occupat, & filiam ſuam Cleopatram Balæ ereptam inſigni perfidiâ, Demetrio Nicatori Soteris filio tradit.

Anno Vrbis cond. DCVIII. Occiſo à ſuis Alexandro Balâ, Demetrius Nicator in Syria regnat annis quinque. Poſt Philometorem ſeptimus in Ægypto regnat frater eius PTOLEMÆVS EVERGETES PHYSCON annis 29. magni corporis ſtaturâ, & morum barbarie deformis. Ptolem. Phyſcon. *Scipio Æmilianus Carthaginem funditùs euertit, Minor Africanus inde cognominatus. Mummius Conſul, dictus à victoria Achaicus, captâ incenſáque Corintho, finem bello Achaico imponit. Viriathus Luſitaniam Romanis eripit.*

Anno Vrbis cond. DCIX. Tryphon, qui & Diodorus, Antiochiam occupat nomine Antiochi Enthei Alexandri Balæ filij, & Ionatham Maccabæum, quem ſimulatè ſibi deuinxerat, dolo captum Ptolemaide cum filiis occidit, anno ſequenti Vrbis conditæ DCX. Olympiadis CLIX. primo.

Anno Vrbis cond. DCXI. Simon Ionathæ fratri in Pontificatu Iudæorum ſuccedit ad annos nouemdecim, Gazam expugnat, & Sionis arcem munit, acto cum Demetrio Nicatore fœdere.

Anno Vrbis cond. DCXII. Tryphon ſeu Diodorus, occiſo per ſummum nefas pupillo ſuo Antiocho Entheo Balæ filio, regnat, ſeu potiùs tyrannum agit in Syria annis 2. extra ordinem ac ſtirpem Seleucidarum. Demetrius Nicator Rhodogunen Phraatis Parthorum Regis filiam ducit vxorem.

Anno Vrbis cond. DCXIV. Olymp. CLX. primo, *Viriathus à Q. Cæpione in Hiſpania fuſus & caſus eſt. Lucius Accius Tragœdiarum ſcriptor clarus habetur, à quo fundus Accianus.*

Anno Vrbis cond. DCXV. Græcorum CLXXIV. interfecto Apameæ tyranno Tryphone, regnat in Syria Antiochus Sidetes, Demetrij Soteris filius, operâ Cleopatræ, quæ Demetrio Nicatore marito à Parthis capto, nuptias cum corona & ſceptro fratri eius Sidetæ obtulit.

Anno Vrbis cond. DCXVI. Attalus Eumenis filius, mortuo patruo ſuo Attalo huius nominis ſecundo, ſolus Pergami regnat annis quinque. Cendebæus Antiochi Sidetæ dux à Ioanne Simonis Maccabæi filio vincitur.

Anno Vrbis cond. DCXVII. *Cum Numantinis in Hiſpania indecoram pacem facit Mancinus Conſul, iis eam ob cauſam anno ſequenti, qui fuit Olympiadis* CLXI. *primus, à Senatu populóque Romano deditus.*

Anno Vrbis cond. DCXIX. Græcorum Seleucid. CLXXVII. eóque Sabbatico, Simon Iudæorum Pontifex, ſtructis à genero ſuo Ptolemæo inſidiis, inter epulas occiditur cum duobus filiis. Ioannes eius relictus filius, Hyrcanus cognominatus, patri in Pontificatu ſuccedit ad annos 31.

ANNO ROMÆ DCXXI. *Scipio Minor Africanus in Hiſpanias miſſus, reſtituta priùs militari diſciplinâ, Numantiam expugnat euertítque. Attalus Rex Pergami vltimus moriens heredem inſtituit Senatum Populúmque Romanum. Tiberius Gracchus Tribunus plebis ſeditionis author necatur, authore Cornelio Scipione Naſica.*

Anno Vrbis cond. DCXXII. Olymp. CLXII. primo, *Rupilius in Sicilia bellum ſeruile confecit.*

Anno Vrbis cond. DCXXIII. *Ariſtonicus Eumenis filius nothus Licinium Craſſum Conſulem prælio occidit, & mox à Marco Perpenna ſequentis anni Conſule ſuperatur.*

Anno Vrbis cond. DCXXV. Antiochus Sidetes à Phraate Parthorum Rege occiditur, reſtituto in regnum æmulo eius Demetrio Nicatore (alij lapidibus in templo Nanææ oppreſſum volunt.) *Scipio Iunior Africanus in lectulo mortuus repertus eſt.* Panætius Philoſophus eum affectatus fuiſſe dicitur.

Anno Vrbis cond. DCXXVI. Olymp. CLXIII. primo, Ioannes Hyrcanus, qui in Parthica expeditione Antiocho Sidetæ adfuerat, multa Syriæ oppida, Templúmque Samaritanorum ante ducentos annos conditum euertit, Idumæos ſibi ſubiicit, & ad ritus Iudaicos compellit. Carneades Academicus Philoſophus epoto veneno extinguitur ætatis anno nonageſimo.

Anno Vrbis cond. DCXXIX. Alexander Zebina, ſeu Zabinæus, intruſus à Ptolemæo Phyſcone aliiſque quibuſdam in Syriæ regnum tyrannus, Demetrium illum Nicatorem Soteris filium omnibus exoſum interficit: cui ſucceſſit in regno Seleucus eius & Cleopatræ filius.

Anno Vrbis cond. DCXXX. Olymp. CLXIV. primo, Seleuco à matre Cleopatra occiſo, regnat in Syria frater eius

Antiochus Grypus annis duodecim, qui Alexandrum Zebinam interfecit, & poſt aliquot annos matrem per ſpeciem officij propinantem venenum ebibere coëgit. Mithridates Eupator poſt patrem Euergetam in Ponto regnare incipit. *Romanæ Aquilæ hoc primùm tempore tranſuolant Alpes, Salyíſque deuictis, Aquæ Sextiæ colonia condita in Prouincia, quæ poſtea cognominata eſt Narbonenſis.*

Anno Vrbis cond. DCXXXI. *Metellus Baleares inſulas ſubiicit, inde dictus vulgò Balearicus.*

Anno Vrbis cond. DCXXXII. *Domitius Ahenobarbus ad Vindalum Allobrogas Aruernóſque ſuperat.*

Anno Vrbis cond. DCXXXIII. *Fabius Regis Aruernorum Bituiti copias ad Iſaram cædit, quæ centum viginti millia militum ſuperabant. Caius Gracchus Tribunus plebis rebus nouis ſtudet, motáque in populo ſeditione à Conſule Opimio opprimitur.*

Anno Vrbis cond. DCXXXVI. Olymp. CLXV. tertio, *Narbonem Martium à Romanis deducta colonia trans Rhodanum, haud procul Pyrenæis montibus & Hiſpaniarum aditu.*

Anno Vrbis cond. DCXXXVII. Ptolemæo Phyſcone mortuo, PTOLEMÆVS LATHVRVS octauus Ægypti Rex annis 17. Ptolem. Lathurus

Anno Vrbis cond. DCXXXVIII. Olymp. CLXVI. primo, Ptolemæus Apion Euergetæ nothus, relictum ſibi à parente Cyrenarum regnum adminiſtrat. *M. Terentius Varro naſcitur.*

ANNO ROMÆ DCXLI. Antiochus, Cyzicenus dictus, Sidetis & Cleopatræ filius, aduersùs Antiochum Grypum, fratrem duntaxat vterinum, Demetrij Nicatoris, eiuſdémque Cleopatræ filium, inſurgit, & cum eo alternante fortunâ regnat annis octodecim.

Anno Vrbis cond. DCXLII. Olymp. CLXVII. primo, Cleopatram ſororem ſuam Gryphina iubet interfici.

Anno Vrbis cond. DCXLIII. Bellum in Iugurtham à Romanis decernitur, quòd interfectis Hiempſale & Adherbale Micipſæ filiis, Maſſiniſſæ nepotibus, Numidiæ regnum occupaſſet.

Anno Vrbis cond. DCXLV. *Cimbri & Teutones Silanum Conſulem fundunt.* Capitur à Ioanne Hyrcano Samaria. *Metellus alter Conſul bis Iugurtham vincit.*

Anno Vrbis cond. DCXLVI. Olymp. CLXVIII. primo, *Bellum in Lusitania instauratur.*

Anno Vrbis cond. DCXLVII. *Caius Marius primâ vice Consul in Africam cum potestate missus, Reges Iugurtham & Bocchum vincit.*

Anno Vrbis cond. DCXLVIII. *nascuntur Cicero & Pompeius; hic pridie Kalend. Octobris, ille III. Nonas Ianuarij. Quintus Cæpio Consul Tolosam sublatâ ingenti pecuniâ diripit. Iugurtha Syllæ à Boccho socero suo traditur.*

Anno Vrbis cond. DCXLIX. *Cimbri Romanorum militum octoginta millia, calonum sexaginta millia occidunt.*

Anno Vrbis cond. DCL. Olymp. CLXIX. primo, qui Ioanni Hyrcano in summo Iudæorum Pontificatu ad annum duntaxat vnum successit filius natu maior Aristobulus; hic primus diadema noménque Regium sumpsit, & matrem atque Antigonum fratrem interfecit.

Anno Vrbis cond. DCLI. successit Aristobulo è fratribus eius alter Alexander Iannæus, & regnum ac Pontificatum Iudaicum obtinuit annis 27. ductâ in vxorem Salome seu Salomonâ, fratris relictâ. *Lucillius Satyricus Poëta obiit Neapoli ætatis 46. Turpilius Comicus senex admodùm Sinuessæ moritur.*

Anno Vrbis cond. DCLII. *C. Marius quartùm Consul ad Aquas Sextias in Prouincia cædit Teutonum & Ambronum ducenta millia, capit octoginta millia. Furiùs Bibaculus Cremonæ nascitur.*

Anno Vrbis cond. DCLIII. *ad fluuium Athesim in radicibus Alpium Rhæticarum ab eodem Caio Mario quintùm Consule, eiúsque Collega Catulo, cæsa Cimbrorum* 140. *millia, capta sexaginta millia, ideóque vtrique decretus triumphus.*

Anno Vrbis cond. DCLIV. Olymp. CLXX. primo, ante Christi vulgarem seu Dionysianam æram centesimo, mundi MMMDCCCCLIV. *Caius Iulius Cæsar nascitur die decimo Iulij. Saturninus Tribunus plebis iussu Caij Marij sextùm Consulis fuit oppressus.* Ptolemæus Lathurus Ægypti Rex à matre pulsus Alexandriâ, exulare cogitur in Cypro insula, substituto in locum eius PTOLEMÆO ALEXANDRO fratre, qui fuit nonus Ægyptiorum Rex è stirpe Lagidarum, tenuítque imperium annis decem.

Ptolem. Alexander.

Anno Vrbis cond. DCLVIII. Olymp. CLXXI. primo, *Ptolemæus Apion Cyrenarum Rex moriens Romanum populum heredem reliquit.*

reliquit. Antiochus Grypus Demetrij Nicatoris & Cleopatræ filius insidiis Heracleonis necatur, anno regni decimo octauo, siue à Seleuci fratris nece vigesimo octauo, relictis quatuor filiis: ex quibus maior natu Seleucus succedit in regno, & patruum suum Antiochum Cyzicenum superat, perimítque. Alexander Iannæus Gazam captam solo æquat. Seq. *Titus Lucretius Poëta nascitur.*

Anno Vrbis cond. DCLX. Seleucus ille Antiochi Grypi filius ab Antiocho Eusebe, seu Pio, Antiochi Cyziceni filio Syriâ pulsus, Mopsuëstiæ in Cilicia populari tumultu viuus crematur. *Restituto à L. Cornelio Sylla in regnum Cappadociæ Ariobarzane, incipit bellum Mithridaticum annorum vnius & triginta, ab hoc anno ad* DCXCI. *Florus & Eutropius altiùs repetunt, numerántque annos* 40.

ANNO ROMÆ DCLXII. Olymp. CLXXII. primo, Antiochus Pius ὁ Εὐσεβὴς Syriæ regnum contra patrueles suos Philippum & Demetrium Eucærum defendit, & ex Selene nouerca sua Antiochum Asiaticum dictum suscipit.

Anno Vrbis cond. DCLXIII. *Marsico bello, quod & Italicum dicitur, Libertini tum primùm Romæ ad sacramentum vocati sunt. L. Pomponius Bononiensis Atellanarum Scriptor clarus habetur.*

Anno Vrbis cond. DCLXIV. Ptolemæus Alexander Ægypti Rex matrem suam interficit, & paullò pòst à Chærea Nauarcho occiditur.

Anno Vrbis cond. DCLXV. Ptolemæus Lathurus frater interempti Alexandri, reuocatus in Ægyptum, regnat iterum ad annos octo, & in multos sæuit. *Pompeius Strabo Consul Asculum capit.*

Anno Vrbis cond. DCLXVI. *C. Mario & L. Syllâ in Italia dissentientibus,* Mithridates magnos in Asia atque Europa progressus facit, Olympiadis CLXXIII. primo, quo *Plotius Gallus primus Romæ Latinam Rhetoricam docuit.*

Anno Vrbis cond. DCLXVII. *Cinna Consul ab Octauio collega pulsus, vrbem Romanam cum Mario, Sertorio & Carbone capit, multósque interficit. C. Valerius Catullus Poëta Veronæ nascitur.*

Anno Vrbis cond. DCLXVIII. *Sylla aduersùs Mithridatem missus Athenas capit. C. Marius in septimo Consulatu ex morbo perit. Sallustius Crispus Historicus Amiterni in Sabinis oritur.*

Anno Vrbis cond. DCLXIX. Tigranes Armeniæ Rex à Syris eligitur in Regem.

Anno Vrbis cond. DCLXX. Olymp. CLXXIV. primo, *Cinna quartùm Conſul ab exercitu occiditur. Sylla pacem cum Mithridate facit, ſi cedat Aſiâ, Bithyniâ, Cappadociâ, &c.*

Anno Vrbis cond. DCLXXI. *Sylla traiecto mari occurrentem ſibi in Italia Norbanum vincit. Pompeius annos 23. natus ad eum ſe adiungit. Sertorius in Hiſpaniam abit.*

Anno Vrbis cond. DCLXXII. *Caius Marius iunior Conſul, Præneſte Syllanis deditâ, violentas ſibi manus infert. Ad portam Collinam inter vtriuſque factionis milites acerrimè pugnatum. Exinde Dictator creatus Sylla, propoſitâ in foro proſcriptionis tabulâ, omnia cædibus replet. Lucius Muræna in Aſia ſæpe Mithridatem vincit. P. Terentius Varro vico Atace in Prouincia Narbonenſi naſcitur.*

Anno Vrbis cond. DCLXXIII. *Cneus Pompeius tantùm Eques de Africa triumphat. Marcus Tullius Cicero primam Orationem dicit pro Quinctio apud Acilium Prætorem.* Mortuo Ptolemæo Lathuro, PTOLEMÆVS ALEXANDER huius nominis ſecundus, Ægypti Rex diebus duntaxat nouemdecim; tum PTOLEMÆVS ALEXANDER eiuſdem nominis tertius, annis 13.

Ptolem. Alexander II.

Ptolem. Alexander III.

Anno Vrbis cond. DCLXXIV. Olymp. CLXXV. primo, *Sylla Dictaturam cum ſecundo Conſulatu gerit. Cicero annos natus 26. Sextum Roſcium parricidij reum defendit. L. Muræna de Mithridate triumphat.*

Anno Vrbis cond. DCLXXV. Alexandro Iannæo in regno Iudæorum ac Pontificatu ſuccedit Hyrcanus eius filius natu maior cum Salomona matre ad annos vndecim. *Cicero pertæſus Syllanæ dominationis Athenas adit, Græciam, Aſiámque luſtrat. Sylla ætatis ſexageſimo pediculari morbo defunctus, igne, vt iuſſerat, crematus eſt.* Seq. *obiit T. Quinctius Atta Togatarum Scriptor.*

Anno Vrbis cond. DCLXXVII. *Cn. Pompeius contra Sertorium in Hiſpaniam mittitur, cum quo res primùm variè geſta.*

Anno Vrbis cond. DCLXXVIII. Olymp. CLXXVI. primo, *Cicero Quæſturam in Sicilia gerens, frumentum Romam mittit.*

Anno Vrbis cond. DCLXXIX. *Nicomedes Rex Romanis Bithyniam teſtamento legat.*

Anno Vrbis cond. DCLXXX. *Mithridates Chalcedonem obſidet, tum Cyzicum.*

ANNO ROMÆ DCLXXXI. *Bellum ſeruile oritur in Italia contra Spartacum, Oenomaum & Cryxum Gladiatores. Lucullus Mithridatem ex Aſia fugat. Pompeius Sertorio & Perpennâ interemptis, Hiſpaniam recipit.*

Anno Vrbis cond. DCLXXXII. Olymp. CLXXVII. primo, *Cryxus deletur à Q. Arrio Prætore.*

Anno Vrbis cond. DCLXXXIII. *Seruile bellum à Marco Licinio Craſſo Prætore tandem confectum.* Mithridates ad Tigranem in Armeniam fugere cogitur, frequentibus cladibus attritus.

Anno Vrbis cond. DCLXXXIV. *Cicero ætatis 36. Verrem accuſat, quem Hortenſius defendit. Cenſura poſt 16. annos reſtituta. Virgilius Andibus vico non procul Mantua naſcitur.*

Anno Vrbis cond. DCLXXXV. *Victis Mithridate & Tigrane Regibus, caput Armeniæ Tigranocerta capit Lucullus. Cicero fit Ædilis Curulis.* Alexandrâ ſeu Salomonâ matre mortuâ, quæ regnum adminiſtrabat, Hyrcano Regi ſimul ac Pontifici Iudæorum bellum infert Ariſtobulus frater iunior.

Anno Vrbis cond. DCLXXXVI. Olymp. CLXXVIII. primo, *Niſibim expugnat Lucullus,* & Antiochum Aſiaticum Antiochi Euſebis & Selenes filium Regem Syriæ ſalutat.

Anno Vrbis cond. DCLXXXVII. *Pompeius piratas maria omnia infeſtantes mira celeritate domat, eíque Cretenſes potiùs ſe dedere malunt, quàm Metello:* res ſuas interim in Aſia recuperante Mithridate.

Anno Vrbis cond. DCLXXXVIII. *Poſt Orationem pro lege Manilia à Cicerone Prætore dictam, Pompeius in Aſiam mittitur, Mithridatem reprimit, Tigranem multis prouinciis mulctat.* Redacto in ordinem Hyrcano, & ad Aretam Arabiæ Regem fugere compulſo; Ariſtobulus Pontifex Réxque Iudæorum factus eſt ad annos tres.

Anno Vrbis cond. DCLXXXIX. Ptolemæo Alexandro huius nominis tertio Tyri, quo pulſus à ſuis ceſſerat, mortuo, duodecimus Ægypti Rex PTOLEMÆVS AVLETES nothus per annos quindecim. *Pompeius Iberos, Albanos, Mithridatem vincit. P. Horatius Flaccus Libertino patre Venuſij naſcitur.* Ptolem. Auletes.

Anno Vrbis cond. DCXC. Olymp. CLXXIX. primo, Tigranes cum Phraate Parthorum Rege paciſcitur. Apollodorus Pergamenus Græcus Orator, Præceptor Callidij & Auguſti, clarus habetur.

Anno Urbis cond. DCXCI. *Catilinæ & ſociorum eius coniuratio repreſſa eſt, Cicerone & Antonio Conſulibus.* Mithridates à Pharnace filio ad necem adigitur. *Pompeius Syriam Antiocho Aſiatico adimit, Solymis captis Hyrcanum reſtituit, abducto cum liberis Ariſtobulo, Iudæámque tributo ſubiicit. Octauius Cæſar, Auguſtus poſtea dictus, naſcitur die 23. Septembris.*

Anno Urbis cond. DCXCII. *Catilina pugnans occumbit in prælio.*

Anno Urbis cond. DCXCIII. *Pompeius de Mithridate, Tigrane, Ariſtobulo triumphat. Cicero Orationem habet pro Archia Poëta. C. Iulius Cæſar Luſitanos domat.*

Anno Urbis cond. DCXCIV. Olymp. CLXXX. primo, *Romam ex Hiſpania reuerſus Cæſar cum Pompeio & Craſſo conſpirat.*

Anno Urbis cond. DCXCV. *Cæſar Conſulatum adeptus Agrariam legem perfert, populum ſibi conciliat, Gallias in quinquennium obtinet. Naſcuntur Meſſala Coruinus Orator, & Titus Liuius Hiſtoricus.*

Anno Urbis cond. DCXCVI. *Cicero in exilium mittitur factione Clodij Tribuni plebis, & M. Cato in Cyprum per ſpeciem honoris. Cæſar Heluetios ad Ararim in Gallia, & Arioviſtum cum Germanis cis Rhenum debellat. Virgilius Cremonæ ſtudiis eruditur.*

Anno Vrbis cond. DCXCVII. Ptolemæus Auletes regno à ſuis pulſus Romam venit, Berenice filiâ interim in Ægypto regnante. *Cicero redit ab exilio. Cæſar Neruios alióſque Belgas domat. Catullus triceſimo ætatis anno Romæ moritur. Marcus Callidius Orator clarus habetur.*

Anno Vrbis cond. DCXCVIII. Olymp. CLXXXI. primo, Hyrcanus ab Ariſtobuli fratris filio Alexandro clam è Romana cuſtodia elapſo eiectus, tertiùm iam regno reſtituitur à Gabinio. *Cæſar Venetos claſſe vincit.*

Anno Vrbis cond. DCXCIX. *Pompeius & Craſſus Conſules obtinent prouincias; hic Syriam, ille Hiſpaniam. Cæſar Rheno ponte iuncto in Germaniam tranſit, mox claſſe in Britanniam. Pompeius Romæ theatrum ſuum ludis dedicat.* Ptolemæus Auletes in regnum à Gabinio reſtitutus filiam Berenicen occidit.

Anno Vrbis cond. DCC. *Craſſus Hieroſolymis theſauros Templi diripit. Cæſar Treuiros ſuperat, & in Britanniam iterum traiicit.*

OCTAVVM ROM. VRBIS SÆCVLVM,

MVNDI QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Ab anno Vrbis cond. 701. M. 4001. *ante Chr.* 53.
ad an. Vrbis cond. 753. M. 4053. *exeuntem,*

Quo D. IESVS CHRISTVS natus est octiduo ante initium ÆRÆ CHRISTIANÆ VVLGARIS.

SEPTINGENTESIMO PRIMO ROMÆ ANNO, *Marcus Licinius Crassus in Parthis cum filio Romanóque exercitu perit, captis signis, quæ post plures annos Augusto fuêre reddita. Curio promptus & popularis Orator Romæ habetur insignis. Virgilius sumpta togâ Mediolanum transgreditur.*

Anno Vrbis cond. DCCII. qui fuit Olymp. CLXXXII. sub æstiuum solstitium celebratæ primus, *P. Clodius ab Annio Milone occiditur. Milo Cicerone nec quicquam defendente, exilio damnatur. Cn. Pompeius sedatis turbis Consulatum sine collega gerit. Caius Cæsar Auaricum Biturigum Cuborum caput, Gergouiam in Aruernis, Alexiam in Mandubiis expugnat. Lucretius Poëta Epicuri sectator ætatis 44. perit hoc ferè tempore, amatorio poculo actus in furorem.*

Anno Vrbis cond. DCCIII. *Cicero in Ciliciam Proconsul profecturus Roma discedit. Cassius Syriam contra Parthos irruentes tuetur.* Mortuo Ptolemæo Aulete, filius eius PTOLEMÆVS DIONYSVS dictus annis quinque regnat cum sorore CLEOPATRA. Diodorus Siculus clarus habetur. Ptolem. Dionysus.

Anno Vrbis cond. DCCIV. *Filia Ciceronis Tullia Dolabellæ nubit: ipse verò Cicero Athenas Asiámque cogitans Brundusium venit.*

Anno Vrbis cond. DCCV. *Ciuile bellum exarsit transmisso Rubicone, & occupatis à Caio Cæsare Arimino, Asculo, & Corfinio. Pompeius Vrbe, totáque tandem excedit Italia. Cæsar Hispaniam Siciliam, Sardiniam, Massiliam per se suósque occupat, reuersúsque in Vrbem Dictaturam primò init.* Aristobulus à Cæsare solutus vinculis, eiúsque filius Alexander à Pompeianis in Asia dominantibus occisi. Æra quæ dicitur Antiochena, ὁ χρηματισμὸς τῆς Ἀντιοχείας, qua sæpe vtitur inter cæteros Scriptores Euagrius, ab Octobri Iuliano eiusdem Romani anni incipit, primúsque eius annus vsque in sequentem autumnum protenditur.

Anno Vrbis cond. DCCVI. qui fuit Olymp. CLXXXIII. primus, *Iulius Cæsar iterum cum Seruilio Isaurico Consul in campis Pharsalicis vincit Pompeium, qui ad Ptolemæum fugiens Ægypti Regem, eius iussu necatur ætatis anno 59. Cato secedit in Africam cum pluribus aliis.* Antipater Iudææ Procurator à Cæsare factus, Herodem filium suum Galilææ prouinciæ præfecit, agentem annum vitæ non 15. sed 25.

Anno Vrbis cond. DCCVII. *Cæsar secundùm Dictator, Magistro Equitum Marco Antonio, Alexandriam cepit,* mersóque Ptolemæo Dionyso, CLEOPATRÆ regnum Ægypti permisit, reiecto fratre eius natu minore, quod sola tenuit annis septemdecim. *Inde profectus in Asiam fulminis instar, hostibus domitis, Pharnacem Mithridatis filium vidit vicítque, tum Romam exeunte illo anno mundi* MMMMVII. *reuersus Consules suffecit.* Herodes circa ea tempora à Sexto Cæsare Cælesyriæ præpositus fuit.

Cleopatra.

Porrò ab Octobri siue autumno illius anni inchoatus est, totúmque sequentem Vrbis conditæ annum DCCVIII. comprehendit annus Confusionis dictus, qui quadringentos quadraginta quinque dies habuit, quo labente *Iulius Cæsar III. Dictator & Consul in Africa ad Thapsum Iubam Regem, Catonem, Scipionem, aliósque Pompeianos vicit. Cato Uticæ sibi vltrò mortem consciscit.*

PRIMO autem ANNO IVLIANÆ CORRECTIONIS ante Christi Domini vulgarem æram XLV. Vrbis conditæ DCCIX. à Kalendis Ianuariis inchoato, *Cæsar IV. Dictator & Consul ad Mundam in Hispania Pompeianos superat, reuersúsque Romam triumphat de tribus Orbis partibus, & dicitur Imperator. Nigidius Figulus Pythagoricus & Magus in exilio moritur.* Cleopatra regio comitatu Vrbem ingressa.

Idibus Martiis anni sequentis Iuliani secundi (quo labente iniit die 21. Aprilis Vrbis conditæ Varronianus annus DX. & sub æstiuum solstitium Olympiadis CLXXXIV. primus, Iphitæus DCCXXXIII.) *Idem Cæsar V. Dictator annos natus 56. pugionibus confoditur in Senatu à Cassio, Bruto, Atilio Cimbro, aliísque. Marcus Antonius composita ad seditionem oratione, populum incitat aduersùs coniuratos, ab eóque prouinciâ Galliâ impetratâ, Decimum Brutum Mutinæ obsidet. Seruius Sulpitius Iurisconsultus, & P. Seruilius Isauricus publico funere elati.*

Anno Vrbis cond. DCCXI. *Hirtius & Panſa Conſules cum Octauio Cæſare iuncti Marcum Antonium vincunt, qui ad Lepidum fugere coactus, & ambo ex vulneribus in prœlio illo Mutinenſi acceptis obierunt. Ouidius eodem anno natus eſt, quo cecidit fato Conſul vterque pari, vt ipſe cecinit. Soluitur obſidione Decimus Brutus, & in Aſiam ſe confert: dein Triumuiri pacta ſocietate Octauius, Antonius & Lepidus inimicos proſcribunt, publicè affixis in Foro Romano tabulis die 27. Septembris. M. Tullius Cicero, Latinæ parens eloquentiæ, annos natus 64. die 7. Decembris obtruncatur à Popilio Lænate, eiúſque caput in Roſtris poſitum cum manu dextra. Laberius Mimorum Scriptor decimo menſe poſt Caij Iulij Cæſaris interitum Puteolis moritur. Publius Mimographus natione Syrus Romæ Scenam tenet.*

Hinc porrò incipiunt anni ſeptem & quinquaginta, qui Imperio AVGVSTI CÆSARIS *tribui ſolent à Romanæ hiſtoriæ Scriptoribus.* Antipater Herodis genitor veneno tollitur. Lugdunum conditur, vel inſtauratur ad confluentes Araris & Rhodani.

Anno Vrbis cond. DCCXII. *Caſſius & Brutus prope Philippos in Macedonia à Marco Antonio & Octauio Cæſare victi ſe occidunt.* Herodes Antonium ſibi conciliat, & Mariamnem Ariſtobuli filiam deſpondet. *Tiberius Imperator naſcitur ex Liuia Druſi Neronis coniuge.*

Anno Vrbis cond. DCCXIII. *Marcus Antonius ad Cleopatram in Ægyptum proficiſcitur. Octauius Cæſar Lucium Antonium Conſulem Peruſiæ obſidet. Virgilius primam Eclogam canit. Cornificius Poëta à militibus deſtitutus interiit. Cornificiæ eius ſororis memorantur Epigrammata.*

Anno Vrbis cond. DCCXIV. Olymp. CLXXXV. primo, *mortua Fuluiâ vxore, M. Antonius à Labieno in Italiam reuocatus, ſororem Cæſaris Octauiam coniugio ſibi ſociat, quæ vulgò mater Marcelli creditur. Cornelius Nepos Scriptor hiſtoricus clarus habetur.* Parthi in Iudæam irrumpentes Hyrcanum mutilatum abducunt, ſubſtituto in eius locum Antigono Ariſtobuli filio. Herodes interim Iudææ Rex declaratur à Senatu Romano, *Domitio Caluino & Aſinio Pollione Conſulibus.*

Anno Vrbis cond. DCCXV. *Ventidius contra Labienum & Parthos rem bene gerit in Oriente.*

Anno Vrbis cond. DCCXVI. Iuliano octauo, ante Chriſti vulgarem æram XXXVIII. incœpit Æra, quæ dicitur Hiſpanica, ſiue à Kalendis Ianuariis, ſiue ab exeunte duntaxat Fe-

bruario : *Octauius Cæsar vxorem sibi adsciuit Liuiam prægnantem, quæ aliquot post mensibus Drusum Neronem peperit. Marcus Antonius obsidet Samosata, & Antiochum Comagenum venientem benignè accipit.*

Anno Vrbis cond. DCCXVII. Iuliano nono, eóque Sabbatico, captis à Caio Sosio & Herode Hierosolymis, cæsóque iussu Antonij Antigono Aristobuli filio, desiit Principatus Assamonæorum post annos fermè 130. Sceptrum à Iudæis ad Allophylos translatum est, ac Pontificatus ab Herode Ananelo commissus. Atque hinc omnino numerandi videntur septem ac triginta anni regni Herodis Ascalonitæ, quos malè Iosephus triennio toto decurtasse videtur.

Anno Vrbis cond. DCCXVIII. Olymp. CLXXXVI. primo, *Octauius Cæsar Sextum Pompeium Cnei filium classe vincit, qui paullò pòst iussu Antonij occisus fuit. Lepidus Triumuir Imperio priuatus donatur vita. Furnij pater & filius clari Oratores habentur: quorum filius Consularis ante patrem moritur.*

Anno Vrbis cond. DCCXIX. *C. Sallustius Crispus historiarum Scriptor vita excedit quadriennio ante Actiacum bellum. M. Bauius Poëta, quem Virgilius in Bucolicis notat, eodem vel sequenti anno in Cappadocia moritur.*

ANNO ROMÆ DCCXXI. aut superiori, vt quidam volunt, Aristobulus iunior Mariamnes frater, creatus ab Herode ante biennium Iudæorum Pontifex, eiusdem iussu interfectus natandum præfocatur.

Anno Vrbis cond. DCCXXII. Olymp. CLXXXVII. primo, *Consules, quòd M. Antonio fauerent, Vrbe fugiunt : atque à Senatu bellum Cleopatræ Ægypti Reginæ & M. Antonio indicitur.* Nicetes, & Hybreas, & Theodorus, & Plutio, nobilissimi artis Rhetoricæ Græci præceptores habentur.

Anno Vrbis cond. DCCXXIII. *pugna nauali ad Actium ab Octauio Cæsare victi Antonius & Cleopatra in Ægyptum fugiunt. Post eam Artorius Medicus Augusti naufragio periit.*

ACTIACI tamen anni, siue Augustorum, vt alij vocant, & MONARCHIA ROMANORVM, quæ Græcam excepit, procedunt duntaxat ab anno Vrbis conditæ DCCXXIV. Iuliano 16. *quo* OCTAVIVS CÆSAR *Pelusio & Alexandria occupatis, Antonium & Cleopatram ad mortem sibi consciscendam adegit,*

Augustus Imperat.

Ægyptum

Ægyptum in prouinciæ formam disposuit, eique Cornelium Gallum, de quo Virgilius scribit in Bucolicis, vice sua præfecit. Herodes Rhodi à Cæsare in gratiam receptus Hyrcanum iam pænè decrepitum necauit. Sequenti: *Augustus cum ingenti triumphorum pompa Romam ingressus est, ductis ante currum eius Sole & Lunâ Cleopatræ liberis.*

Anno Vrbis cond. DCCXXVI. Olymp. CLXXXVIII. primo, Herodes vxorem Mariamnem, eiúsque matrem Alexandram Hyrcani filiam occidi iubet. *M. Terentius Varro propè nonagenarius moritur.* Anaxilaus Lariſſæus Magus Italia pellitur.

Anno Vrbis cond. DCCXXVII. ante Chriſtum XXVII. *Cæsar pluribus antea triumphis actis, præmiſſáque cum amicis de deponendo imperio deliberatione, tandem à Senatu* AVGVSTVS Σεβαστὸς *appellatus est XVI. Kalendas Februarij. Cornelius Gallus Foroiulienſis Poëta ætatis ſuæ anno 40. ſe interficit.*

Anno Vrbis cond. DCCXXVIII. *Meſſala Coruinus primus Præfectus Vrbis factus, ſexto die magiſtratu ſe abdicauit, inciuilem poteſtatem eſſe conteſtans.*

Anno Vrbis cond. DCCXXIX. *Aſtures & Cantabri deuicti, ſed nondum deleti. Pantheon Romæ curâ M. Vipſanij Agrippæ exſtructum. Munacius Plancus Ciceronis diſcipulus Orator inſignis.*

Anno Vrbis cond. DCCXXX. Olymp. CLXXXIX. primo, *Marcellus, Auguſti ex Octauia ſorore nepos, fit Ædilis: Quæſtor verò Tiberius Nero eiuſdem Auguſti priuignus. Quintilius Cremonenſis Virgilij & Horatij familiaris obiit.*

Anno Vrbis cond. DCCXXXIII. *Iulia Cæſaris ex Scribonia filia, M. Agrippæ Præfecto Vrbis coniux datur, cui tres peperit filios Caium & Lucium Cæſares, atque Agrippam poſtumum. Atratinus Orator inſignis habetur, & inter Pantomimos Pylades Cilix.*

Anno Vrbis cond. DCCXXXIV. Olymp. CXC. primo, Iuliano XXVI. *Phraates Parthorum Rex Aquilas aliáque ſigna Craſſo ante 34. annos erepta remittit cum captiuis ad Auguſtum.* Herodes regni anno decimo octauo Templum inſtaurauit, aut ſi quæ Ioſepho fides, nouum à fundamentis excitauit. Hinc verò ad annum Chriſti 36. Iulianum 76. non 46. anni tantùm, ſed circiter 50.

Anno Vrbis cond. DCCXXXV. *Virgilius Brunduſij moritur ætatis 56. & prope Parthenopen ſepelitur.*

Anno Vrbis cond. DCCXXXVIII. *Agrippa missus in Orientem ab Augusto Hierosolymis Hecatomben immolat.* Florent Dionysius Halicarnasseus, Nicolaus Damascenus, Diodorus Siculus, *Horatius, Tibullus, Propertius, Ouidius, Varius & Tucca, qui Æneidem emendarunt sub ea lege, vt nihil adderent. Æmilius Macer Veronensis, qui hoc anno in Asia mortuus dicitur,* aliique circa Olympiadem CXCI. & Eusebianum numerum MM.

Anno Vrbis cond. DCCXXXIX. Beata Virgo MARIA nata creditur die 8. Septembris in Nazareth ex parentibus Ioachimo & Anna. *Rhæti à Tiberio & Druso fratribus domiti, alióque traducti.*

ANNO ROMÆ DCCXLII. Olymp. CXCII. primo, *Agrippam mortuum Augustus laudat. Drusus ad Visurgim vsque ducit exercitum, & Germanos debellat. Cestius Smyrnæus Rhetor Romæ docet.*

Anno Vrbis cond. DCCXLIII. *obit Octauia Augusti soror. Iani templum Romæ clauditur.* Sebaste vrbs perfecta ab Herode anno regni 18. qui Alexandrum & Aristobulum suos & Mariamnes filios peremit.

Anno Vrbis cond. DCCXLIV. *Passineus pater Declamator insignis diem obiit.* Sequenti: C. *Iulius Hyginus cognomento Polyhistor, insignis Grammaticus habebatur.*

Anno Vrbis cond. DCCXLVI. Olymp. CXCIII. primo, *Augustus Kalendarium emendat. P. Horatius Flaccus moritur, eiúsque decus ac doctorum virorum præsidium Cilnius Mecœnas.*

Anno Vrbis cond. DCCXLVIII. *Albucius Silo Nouariensis clarus Rhetor agnoscitur.*

Anno Vrbis cond. DCCXLIX. *Consulibus Augusto XII. & Cornelio Syllâ,* Christum natum esse arbitratus est P. Ioannes Dekerius Societatis nostræ in disputatione, Laurentij Susligæ nomine, Græcij in Stiria anno 1605. editâ, ex qua opinatione efficitur Christum, cùm baptizatus est anno Vrbis conditæ 782. annum ætatis 33. cum aliquot diebus inchoasse, & trigesimo sexto passum esse, anno Vrbis conditæ 785. Plura in eum Baronius, eiúsque Breuiator Spondanus, tum ad annum Christi 31. num. 8. tum ad 34. num. 4. Quis verò ferat M. Antonium Capellum Franciscanum, qui biennio etiam Dekerianum Christi Domini ortum anteuertit? *Marcus Tullius Tiro Ci-*

ceronis Libertus, qui primus notas commentus est, in Puteolano prædio vsque ad 100. *annum consenescit.*

Anno Vrbis cond. DCCL. Olymp. CXCIV. primo, Iuliano XLII. *Consulibus Caluisio & Passieno, Tiberius Rhodi septennio toto commoratur, Caij & Lucij priuignorum suorum offensionem veritus. M. Melissus Spoletinus Grammaticus agnoscitur. M. Portius Latro Latinus Declamator tædio duplicis quartanæ semet interficit.*

Anno Vrbis cond. DCCLI. *Consulibus Cn. Cornelio Lentulo & M. Valerio Messalino,* Iuliano 43. conceptum natúmque Christum asserunt è recentioribus Baronius, Gordonus, Scaliger, Caluisius, aliíque; in hoc hi ab illis discrepantes, quòd verum, vt putant, Christi ortum à Dionysiano & vulgari distinguant, illi verò non satis accuratè confundant.

Anno sequenti Vrbis cond. DCCLII. *Consulibus Cæsare Augusto XIII. & M. Plautio Syluano* (cui mortuo suffectus est Caius Caninius Gallus) concipitur & in lucem editur Christus, ex sententia Onuphrij, Pererij, Saliani, &c. ex nostra verò, quam communem modò omnibus Christianis meritò dicere possumus, sancti Ioannis ortus Zachariæ patri ab Angelo nunciatur. *Augustus Iuliam filiam, Agrippæ primùm, tum etiam Tiberij vxorem, adulteriis infamem relegat in insulam Pandatariam.*

Anno denique Vrbis cond. DCCLIII. Iuliano XLV. *Consulibus Cornelio Lentulo & Calpurnio Pisone,* ex communi Christianorum, atque adeò ipsius Ecclesiæ à pluribus sæculis sensu, 25. die Martij in vtero Beatæ Virginis MARIÆ, operante Spiritu Sancto, concipitur CHRISTVS IESVS: nascitur 24. Iunij sanctus Ioannes Baptista: nascitur item, sed 25. Decembris, mediâ nocte in vrbe Bethleem, Rex Regum Messias, & ab Angelis & Pastoribus adoratur.

Atque hic CHRISTI CONCEPTI ET NATI annus, vt pote omnium limes ætatum, & temporum cardo, præter superiores tres notas, aliis quoque Chronologicis characteribus insigniri debet. Est enim Periodi postulatitiæ, quam *Iulianam* vocant 4713. Cyclo Solis 9. Lunæ 1. Indictione 3. literis Dominicalibus D C. proindéque Bissextilis, ab ortu mundi & Adami creatione 4053. à Diluuio Noëtico 2397. ab Abrahami natiuitate 2015. ab Exodo ac data Iudæis lege 1510. à fundato per Salomonem Templo 1031. ad initio Monarchiæ Persicæ, seu sextæ Ætatis 538. à Troiano Excidio 1183. Olympiadis

CXCIV. annus quartus excurrens, adeóque Iphitæus 776. Æræ Nabonaſſari 748. cuius Thoth cœpit 23. menſis Auguſti, Philippi Aridæi ſiue à morte Alexandri Magni Macedonum Regis 324. Seleucidarum ſeu Græcorum 312. Æræ Hiſpanicæ 38. ab Actiaca victoria 30. Auguſti denique Imperatoris 53. à primo Conſulatu ſeu ab autumno tertij anni Iuliani.

Quibus annorum ſummis, aliiſque ſupra à nobis allatis, ſi annum aliquem Æræ Chriſtianæ, puta præſentem 1655. quo iſta iteratò ſcribimus, adiunxeris annos à prima rerum origine, à Diluuio, à Troia, ab Vrbe condita ſeu Romanos, Iphitæos ſiue Olympiadicos, Iulianos, Æræ Hiſpanicæ, cæteróſque eiuſdemmodi, nullo negotio inueſtigabis.

DEMONSTRATIONEM de die, menſe, atque anno Dominicæ Paſſionis, de triennio Prædicationis, baptiſmo, ætate, & anno Chriſti natali, ipſiúſque ÆRÆ CHRISTIANÆ primordio, atque aliis ad Chriſtum Dominum ſpectantibus, habes in peculiari hac de re Diatriba, quam cum Syluæ noſtræ Chronologicæ Excurſionibus, atque Auctario, incudi denuò redditam, ſuo tempore publicabimus, Deo bene fauente conatibus noſtris, cui SÆCVLORVM REGI SVMMO honor, virtus, gloria, & imperium æternum, AMEN.

HISTORICI

NOMENCLATORIS

PARS II. SEV ROMANA,

PRIORVM

VIII. ROMÆ SÆCVLORVM

Seriem alphabeticam repræsentans.

A

ABdenago anno Vrb. conditæ 156.
Abdera 98. 215.
Abydus vrbs 345.
Acanthus vrbs 98.
Acarnania 301.
L. Accius. 614.
Acerræ 538.
ACHAB 1. 9.
Achæi 537. 566.
Achæmenes 291.
Achæus 540.
Achaia 381.
Achaïcum bellum 608.
Acheron 428.
Acilius 563.
Acilius Prætor 673.
Acron 4.
Actiaca pugna 723.
Actiaci anni 724.
Adherbal 643.
Æbutius 291.
Ædiles 326.
Ægæ 418.
Ægates 512.
Æginetæ 245. 259. 290.
Ægospotamos 287. 349.
Ægyptus 266. 270. 298. 380. 423. 430. 724.
Æmilius Mamercus 388.
Æmilius, vide Paulus.
Æmilius Macer 738.
Æneis emendata 738.
Æqui 295. 296. 323. 450.
Ærarium cõmune Græc. 277.
Æschylus 258. 278.
Æsculapij simulacrum 463.
Æsopus 182. 190.
Ætas mundi Sexta à tertio Romæ sæculo ad octauum, siue ab an. Romæ 216. mundi 3516. ad ann. Romæ 753. mundi 4053. Septima ab an. æræ Christianæ 1. Romæ 754. mundi 4054. ad nostra vsque tempora protẽditur.

Ætoli 463. 537. 563.
Agathocles 437. 443. 444. 447. 448. 455. 465.
Agathoclia 533.
Ageſilaus 392.
Aggæus 234.
Agis 422. 424.
Agnon 325.
Agrariæ leges 268. 522. 695.
Agrigentum 187. 347. 491. 544.
Agrippa, vide Vipſanius.
Agrippa poſtumus 733.
Ahenobarbus, vide Domitius.
Alba vrbs 86. 450.
Albani 86.
Albani 689.
Alcæus 155.
Alcidamas 31.
Alcibiades 338. 343. 346. 349. 350.
Alcman 142.
Alcmæonidæ 198.
ALEXANDER Magnus 398. 411. 416. 418. 419. 420. 421. 422. 423. 424. &c. vſque ad 430.
Alexander Bala ſeu Veles 601. 603. 607. 608.
Alexander Ariſtobuli filius 698. 705.
Alexander Herodis filius 744.
Alexander Iannæus 651. 658. 675.
Alexander Caſſandri F. 456. 459.
Alexander Epiri Rex 423. 428.
Alexander Pheræus 397.
Alexander Roxanes F. 443.
Alexander Zebina 629. 630.
Alexandra, vide Salomona.
Alexandra mater Mariamnes 726.
Alexandria vrbs 423. 430. 586. 707. 724.
Alexia 702.
Allienſis clades 364.
Allobroges 632.
Alpes Rhæticæ 653.
Alpium iuga 164. 536. 630.
Althæa 535.
Alyattes 151. 196.
Amaſis 228.
Ambigatus 160.
Ambrones 652.
Amilcar 444. 445.
Amilcar alius 517. 526.
Amiternum 668.
AMON 93. 94.
Amphia vrbs 11.
Amphictyones 166. 408.
Amphipoli Archontes 411.
Amphipolis 330.
Amyntas 394.
Anacharſis 162.
Anacreon 218.
Ananelus 717.
Anarchia Romæ 378. 382. 386.
Anaxagoras 326.
Anaxilaus 726.
Anaximander 206.
Anaximenes 201.
Anaxilaus 277.
Ancus Martius 114. 123. 128. 139.
Anci filij 177.
Andes 684.
Andriſcus 606.
Anio 393.
S. Anna 739.

Annius, vide Milo.
Anolympiades I. anno Romæ 6. II. 334. III. 390.
Anteroëstus 529.
Antiatum naues 416.
Antigonus pater Demetrij 439. 440. 446. 448.
Antigonus Gonatas 476. 481. 512.
Antigonus Tutor seu Promissor 522. 532.
Antigonus filius Ioannis Hyrcani 650.
Antigonus Aristobuli filius 714. 717.
Antiochena æra 705. 706.
Antiochia 453. 609.
Antiochenses 601.
Antiochus Asiaticus 662. 686. 691.
Antiochus Comagenus 716.
Antiochus Cyzicenus 641. 658.
Antiochus Deus 492. 506. 507.
Antiochus Entheus 609. 612.
Antiochus Epiphanes 564. 578. 586. 588. 590.
Antiochus Eupator 590.
Antiochus Grypus 630. 641. 658.
Antiochus Hierax 507.
Antiochus Magnus 530. 536. 540. 550. 557. 559. 562. 563. 564. 567.
Antiochus Pius 660. 662.
Antiochus Sidetes 615. 616. 625.
Antiochus Soter 473. 492.
Antipater 424. 427. 431. 432. 433.
Antipater F. Cassandri 456.
Antipater F. Cerauni 474.
Antipater Herodis pater 706. 711.
Antium 286. 295.
Antonius, vide Caius, Lucius, & Marcus.
Anytus 354.
Aornus petra 426.
Apamea 453. 615.
Apollodorus 690.
Apollonius 588.
Appius Claudius 250. 283.
Appius Claudius Decemuir 305.
Appius Dictator 392.
Appius Claudius Cæcus 442. 475.
Appius Claudius Caudex 490.
Apuli siue Appuli 428.
Aqua Claudia 442.
Aquæ Sextiæ 630. 652.
Arabia deserta 229.
Arachosij 425.
Aradus vrbs 4.
Arar 696. 711.
Aratus Poëta 474.
Aratus Sicyonius 511.
Arbela 423.
Arbianes 44. 58.
Arcades 386.
Archagathus Medicus 535.
Archagathus Agathoclis nepos 465.
Archias Heraclida 13.
Archias Poëta 793.
Archilochus 54.
Archimedes 542.
Archontes annui Athenis 68.
Ardea vrbs 244. 364.
Aretas 688.
Aretium 470.

Areus seu Arius 481. 489.
Argento primùm vsi Romani 485.
Arginusæ insulæ 348.
Argiui 178. 286. 336.
Argos 304. 482.
Argyraspides 439.
Arimaspi 425.
Ariminum 705.
Ariobarzanes 660.
Arion 140.
Ariouistus 696.
Aristarchus 598.
Aristagoras 254.
Aristeas 469.
Aristides 267.
Aristobulus Ioannis Hyrcani filius 650. 651.
Aristobulus Peripatetic. Philosophus 573.
Aristobulus Mariamnes frater 718. 721.
Aristobulus Herodis F. 744.
Aristobulus Alexandri Iannæi iunior filius 685. 688. 691. 692. 705.
Aristodemus 17. 28. 30.
Aristogiton 241. 244.
Aristomenes 70.
Aristonicus 623. 624.
Aristophanes 318.
Aristoteles 370. 386. 411. 419. 432.
Armenia 669. 683. 685.
Arphaxad 44.
Arrius Prætor 682.
Arsaces 349.
Arsaces Parthorum Rex 504.
ARSES seu Arsamus 414. 418.
Arsinoë 472. 473.
Artabanus 289.
Artabazanes 267.
ARTAXERXES Longimanus 281. 289. 291. 298. 300. 329.
ARTAXERXES Mnemon 349. 353. 388.
ARTAXERXES Ochus 388. 404. 414.
Artemisia 401.
Artemon 313.
Artorius 723.
Aruerni 632. 633. 702.
Aruns Tulliæ maritus 216.
Aruns filius Tarquinij Superbi 244.
Asculum 665. 705.
Asdrubal gener Amilcaris 502. 526. 534.
Asdrubal frater Hannibalis 542. 546. 547.
Asdrubal 551.
Asia cis Taurum 564.
Asinius Pollio 714.
Assamonæorum principatus 717.
Assaraddon 24.
Assuerus 291.
Astacus vrbs 42.
Astures 729.
Astyages 160. 194. 195.
Asylum Vrbis cond. primo.
Atax 672.
Atellanæ 663.
Athenæ 152. 158. 162. 209. 273. 274. 349. 350. 447. 458. 465. 668.
Athenienses 130. 250. 252. 262. 264. 275. 279. 292. 295. 308. 323. 332. 348. 349. 416. 431. 436.

Athesis

Atheſis 653.
Athos mons 274.
Atilius Calatinus 500.
Atilius Cimber 710.
Atilius Regulus 498. 499. 502.
Atilius Serranus 460. 497.
Atratinus 733.
Atta, vide Quinctius.
Attalus ſenior 512. 556.
Attalus iunior 578. 596.
Attalus III. ſiue poſtremus 596. 616. 621.
Atys 205.
Auaricum 702.
Auentinus mons 114.
AVGVSTVS *ſiue Octauius Cæſar* 691. 711. 712. 713. 716. 718. 723. 724. 727. 733. 742. 746. 747. 752.
Auguſtorum anni 727.
Aulus Poſtumius 323.
Auruncum bellum 409.
Auſones 418.
Axares 119.

B

BAbylon 128. 136. 139. 143. 156. 194. 215. 244. 427. 430.
Babylonicum Imperium 33.
Bacchanalia 568.
Bacchides 593.
Bacchylides 286.
Bactriani 504.
Bætula 546.
Bagoas 414. 418.
Bagrada 498.
Baleares inſulæ 631.
Balthaſar 194. 198.
Barſine 445.
Battus 124.
Bauius Poëta 719.
Belgæ 697.
Belgius 474.
Bele templum 567.
Belis draco 194.
Ben-Merodach 75. 108.
Bella, vide ſuis locis, Achaicum, *Aruncum*, Bœoticum, *Ciuile*, Corinthiacum, *Gallicum*, Libycum, *Marſicum*, Meſſeniacum, Peloponeſiacum, Punicum, Sacrum, *Samniticum*, Sociale, &c.
Bellouesus 160. 164.
Berenice Lagidæ vxor 469.
Berenice Philadelphi filia 506. 507.
Berenice Auletæ filia 697. 699.
Berœa 453.
Beſſus 424. 426.
Bethel altare 110.
Bethleem 753.
Bethſura 591.
Bethulia 46.
Betula 546.
Bias 174.
Bibaculus 651.
Bithynia 42. 572. 679.
Bituriges 160. 164. 702.
Bituitus 633.
Bocchus 647. 648.
Bœoticum bellum 376.
Boij 471. 530. 563.
Boryſthenes vrbs 110.
Boſphorus 246. 476.
Braſidas 330. 332.
Brennus 363.
Brennus alter 476.

Britannia 699. 700.
Brunduſium 487. 510. 704. 734.
Brutus, vide Marcus & Decimus.
Bura 381.
Byzantini & Byzantium 252. 345. 413. 414. 477.

C

CAdmea arx 376.
Cæcilius Comicus 585.
Cæcilius Metellus Macedo 606.
Cæpio 614. 648.
Cærites 401.
Cæſar, vide Iulius & Octauius.
Caius Antonius 690.
Caius Gracchus 633.
Caius & Lucius Cæſares 733. 750.
Caius Cæſar, vide Iulius.
Caius Soſius 717.
Calanus 427.
Calauria 432.
Callias 322.
Callias Archon 274.
Callidius 690. 697.
Callimachus 474.
Calippica periodus I. 424.
Calpurnius Piſo 753.
Caluiſius 750.
Camarina 154. 202.
Camillus 358. 364. 365. 387. 389.
Cambyſes pater Cyri 195.
CAMBYSES filius Cyri 224. 229. 232.
Campani 414.
Caninius Gallus 752.
Cannæ 538.
Cantabri 729.
Capitolium 247. 294. 364. 366.
Cappadocia 660.
Capreæ paludes 39.
Capua 442. 542.
Carbo 667.
Caria 401.
Carmania 215.
Carneades 626.
Carnia ludi 78.
Carthaginenſes, vide Pœni.
Carthago 605. 607. 608.
Carthago noua ſiue Spartaria 526. 544.
Caſſander 433. 436. 438. 439. 440. 443. 445. 456.
Caſius mons 586.
Caſſius 703. 710. 712.
Catana ſeu Catina vrbs 17. 287.
Catilina 691. 692.
Cato Cenſorius 570. 606.
Cato Vticenſis 696. 706. 708.
Catullus 697.
Catulus 653.
Caucaſus 426.
Caudinæ Furcæ 433.
Caycus amnis 469.
Celtæ 160.
Celtiberi 575. 601.
Cendebæus 616.
Cenſores primi 311.
Cenſura 320.
Cenſus 188.
Ceſtius Rhetor 742.
Chæreas nauarchus 664.
Chæronea 306.
Chæronenſis pugna 416.
Chalcedon vrbs 69. 680.
Chalcis 319. 432. 680.

Chaldæi, vide Babylon.
Charondas 308.
Chilon 174. 198.
Chryſippus 546.
Cicero 648. 673. 674. 675. 678. 684. 685. 688. 691. 693. 696. 697. 702. 703. 704. 711.
Cilicia 703.
Cilnius, vide Mecœnas.
Cimbri 645. 649. 653.
Ciminius ſaltus 444.
Cimon 273. 284. 294. 305.
Cineas 475.
Cinna 667. 670.
Citium 305.
Ciuile bellum 705.
Claſſis Xerxis 274.
Claudius Nero 547.
Clauus pangendus 391.
Clazomenæ vrbs 98.
Cleanthes 546.
Cleobulus 174.
Cleombrotus rex 274.
Cleombrotus dux 383.
Cleomenes 518. 530. 532. 535.
Cleon 332.
Cleonymus 481.
Cleopatra Alexandri Magni ſoror 418. 446.
Cleopatra Philometoris filia 607. 615. 629. 630.
Cleopatra Gryphinæ ſoror 642.
CLEOPATRA Ægypti regina 703. 707. 713. 722. 723. 724.
Clodius Tribunus plebis 696. 702.
Cœlia virgo 247.
Clupea 499.
Cluſium 363.
Cneus Octauius legatus 590.
Cnidus 360.
Cœleſyria 536. 707.
Collina porta 394. 672.
Coloſſus Rhodius 450. 530.
Comias 194.
Comontorius 477.
Concolitanus 529.
Confuſionis annus dierum 445. 708.
Conon 348.
Conon Perſa 360.
Conſuales ludi 4.
Conſulares ludi 518.
Conſules primi 245.
Corcyra 51. 327.
Corcyræi 130. 315.
Corſinium 705.
Corinthiacum bellum 315.
Corinthij 51. 295. 315.
Corinthus 96. 126. 430. 511. 608.
Cornelius Gallus 724. 727.
Cornelius Lentulus 751. 753.
Cornelius Nepos 714.
Cornelius, vide Sylla.
Cornificia, eiúſque frater Cornificius 713.
Coronea 306.
Correctio anni Iuliana 709.
Corſi 518.
Coſſus 316.
Craſſus, vide Licinius.
Cratinus 318.
Cremera 277.
Creon 68.
Cretenſes & Creta 422. 427. 687.
Criſpinus Conſul 546.

Crispus, vide Sallustius.
Crœsus 196. 205. 209 210. 229.
Croton seu Crotona urbs 46. 257. 455.
Crotoniatæ 246.
Crustumeria 254.
Cryxus 681. 682.
Ctesias 349.
Cures 7.
Curio 701.
Curius Dentatus 464. 479.
Curtius Eques 392.
Curules Magistratus 378.
Cyaxares 119. 148. 151.
Cylonium piaculum 154.
Cynoscephalæ 557.
Cyprij & Cyprus 252. 696.
Cypselus 96. 126.
Cyrenæ 124. 638. 658.
CYRVS 194. 195. 210. 214. 216. 224.
Cyrus Darij nothi filius 353.
Cyzicus 4. 71. 344.

D

DAïcles 2.
Dalmatæ 598.
Damascus 421.
Daniel 128. 138. 153. 163. 194. 198.
Danubius 246.
DARIVS Medus 198. 215.
DARIVS Hystaspis filius 233. 234. 242. 244. 246. 247. 250. 258. 267. 269.
DARIVS Nothus 330. 342. 349.
DARIVS Codomannus 418. 420. 423. 424.
Decemuiri ad leges 303. 305.
Decij se deuouent pro patria 414. 459. 475.
Decimus Brutus 710. 711.
Defectio Solis, vide Sol.
Deioces 58.
Delphi & Delphicum Templum 166. 356. 399. 476. 477.
Delus 277.
Demaratus 97. 122.
Demetrius Eucærus 662.
Demetrius Gonatæ filius 512. 522.
Demetrius Nicator Soteris F. 607. 608. 611. 612. 615. 625. 629.
Demetrius Persei frater 574.
Demetrius Phalereus 436.
Demetrius Poliorcetes 442. 447. 450. 453. 454. 458. 462. 463. 464. 465. 466.
Demetrius Soter 592. 601. 603.
Democratia Athenis 353.
Democritus 318. 393.
Demosthenes Dux 329. 330. 341.
Demosthenes Orator 432.
Desolatio septuagenaria 146. vsque ad 216.
Deucetius 301.
Diagoras 286.
Dianæ Ephesiæ templum 398.
Dicæarchia 226.
Dictator primus 256.
Dilkarnain 442.
Dinarchus 461.
Diodorus Siculus 703. 738.
Diodorus, vide Tryphon.
Diogenes Cynicus 430.
Dion 397. 400.

DionyſiusHalicarnaſſeus 738.
Dionyſius Tyrannus ſenior 349.367.386.
Dionyſius Tyrannus iunior 386.397.398.407.411.
Diuortium cum vxore 419.
Dolabella Conſul 471.
Dolabella gener Ciceronis 704.
Domitius Allobrogicus 632.
Domitius Caluinus 714.
Draco Athenienſium legiſlator 130.
Dromichætes 462.
Druſus Nero 712.
Druſus Tiberij Imperatoris frater 716.739.742.
Duillius 494.

E

ECbatana 428.
Eclipſis, vide Luna & Sol.
Egeſtani 345.
Eleazarus Oniæ filius 469.
Eleazarus ſenex 586.
Elei 6.112.334.390.394.
Elephanti Romanorum terror & ludibrium 474.502.
Elice 381.
Ελλιωοπαμίαι 277.
Elymæi 567.
Empedocles 310.
Enneadecaëteris 321.
Ennius 515.585.
Epaminondas 383.391.
Epheſus 420.
Ephorus 414.
Epicurus 483.
Epidamnus 130.
Epidauri & Epidaurus 295.463..
Epimenides 152.158.
Epirotæ & Epirus 459.
Equites Romani 351.
Eraſiſtratus 460.
Eratoſthenes Beta 526.
Eretria 264.
Eſaias, vide Iſaias.
Eſdras 294.
Eſther 291.
Etruſci 150.177.246.444.471.
Euagoras 380.
Eubœa 264.306.308.
Eudoxus 387.
EVILMERODACH 163.170.194.
Eumenes dux 434.439.
Eumenes Philetæri ex fratre nepos 490.507.512.
Eumenes Attali frater 556.576.
Eumenidum ara 154.
Euphaës 17.
Euphratis vada 215.
Eupolis 318.
Euripides 310.348.
Euripus 432.
Eurydice Lagidæ vxor 473.
Exquilinus mons 177.
EZECHIAS 9.14.22.33.38.
Ezechiel 141.

F

FAbij trecenti ad Cremeram 277.
Fabius Remi interfector Vrbis conditæ 1. mundi 3301.
Fabius Gurges 463.
Fabius Maximus 429.439.444.445.537.545.
Fabius Allobrogicus 633.

Fabula prima Romæ 514.
Faliſci 360. 398. 403.
Fames Romæ 314. 344.
Feretrius Iupiter 4. 316.
Ferri glutinatio 58.
Fidenæ & Fidenates 123. 254. 316. 319. 328.
Flaminius 522. 537. 557.
Fœdus cum Pœnis 245.
Fuluia 714.
Fuluius Conſul 525.
Fuluius Nobilior 563. 601.
Fuluius Proconſul 544.
Furcæ Caudinæ 433.
Furius, vide Bibaculus.
Furnij Oratores 718.

G

Gabinius 698. 699.
Gæſatæ Galli 532.
Galatia ſeu Gallogræcia & Galatæ 454. 477. 512.
Galilæa 706.
Galli 363. 364. 393. 394. 404. 477.
Galli Ciſalpini 419. 528. 529.
Gallicum bellum 522.
Gallogræci 477. 565.
Garizim mons 422.
Gaugamela 423.
Gaurus mons 411.
Gaza 422. 442. 611. 658.
Gela vrbs 62.
Gelo 263. 274. 276.
Gentius 585. 587.
Genucius 392.
Gergouia 702.
Germani & Germania 696. 699. 742.
Getæ 462.
Gladiatorum munus 490.
Glaucus Chius 58.
Gnidus 360.
Godolias 147.
Gordius nodus 420.
Gorgias Leontinus 327.
Gorgias dux Antiochi 589.
Gracchus, vide Caius, & Tiber.
Græcorum ſeu Syromacedonum anni 442.
Græcorum monarchia 424.
Granicus amnis 420.
Gryphina 642.
Gyges 40.
Gylippus 338.
Gyndes fluuius 214.

H

Halicarnaſſus 420.
Halys 209.
Hammon Iupiter 423.
Hannibal ſenior 345. 497.
Hannibal luſcus Amilcaris F. 517. 534. vſque ad 539. 542. 543. 546. 551. 552. 559. 572.
Hanno 547.
Harmodius 241. 244.
Harpagus 210.
Harpalus 427.
Hebdomades LXX. 300.
Hegeſias 430.
Heliodorus 568. 578.
Hellanodicæ 394.
Hellenotamiæ 277.
Helleſpontus 274. 275. 345. 406. 420.
Heluetij 696.
Hephæſtion 428.
Heraclea 321. 333.
Heracleon 658.

Heraclidæ 351.
Heraclitus 250.
Hercules Alex. Magni F. 445.
Herdonia Sylua 544.
Herdonius Sabinus 294.
Hernici 392.
Herodes Aſcalonita 706. 707. 711. 712. 714. 717. 721. 724. 726. 734. 744.
Herodotus 310.
Heſtiæus 254.
Hexamius ſiue Examius, vide Thales.
Hiempſal 643.
Hiero Gelonis frater 276. 287.
Hiero alter 485. 490. 491. 539.
Hieronymus 539.
Hieroſolyma 135. 143. 146. 216. 217. 294. 300. 422. 536. 586. 591. 717. 738.
Himera 274. 336. 443.
Hipparchus 227. 241.
Hippias Piſiſtrati F. 227. 241. 244. 264.
Hippias Philoſophus 318.
Hippicus 211.
Hippocrates 318.
Hippomenes 38.
Hipponax 66.
Hirtius 711.
Hiſpanica æra 716.
Hiſtiæus, vide Heſtiæus.
Holofernes 46.
Horatius Cocles 247.
Horatius Flaccus 689. 738. 746.
Horatius Puluillus 245. 247.
Horologium ſolarium 461.
Hortenſius 684.
Hybreas 722.
Hydaſpes 427.
Hyginus 745.
Hyperides 431.
Hyrcanus Alex. Iannæi F. 675. 685. 688. 691. 698. 714. 724.

I

IAddus 422.
Iani templum 519. 744.
Ianiculum 468.
Iaſon 578.
Iberes 689.
Iberi 526.
Iberus 535.
Idæa mater 550.
Idumæi 626.
IECHONIAS 136. 170.
Ieremias 139. 147.
IESVS CHRISTVS 753.
Illyrij 394. 410. 524.
Inarus 291. 298.
Indus 427.
Inomarchus 399.
Inſubres 530. 563.
Interpretes LXXII. 469.
Interreges 413.
Interregnum 39.
IOACHAZ 125.
Ioachim 739.
IOAKIN 125. 128. 129. 133. 135.
S. Ioannes Baptiſta 752. 753.
Ioannes Hyrcanus Simonis F. 616. 619. 626. 645. 650.
Ionathas 593. 602. 610.
Iones 250. 252. 256.
Ionica Philoſophia 209.
Ioſedec 216.
IOSIAS 94. 102. 110. 112. 125.
Ioſue ſeu Ieſus 216.
Ipſus in Phrygia 453.

Ira arx 72. 83.
Iromus 195.
Isaias 10. 40.
Isara 633.
Isocrates 414.
Israëlitici regni finis 14.
Issus Ciliciæ 421.
Ister 462.
Isthmus 274.
Istri 533.
Istrus vrbs 98.
Italicum bellum, vide Marsicum.
Ithome 17. 31. 69.
Ithobalus 140.
Iuba 708.
Iudæa tributo subdita 691.
Iudæi 454. 586.
Iudæorum reditus 216.
Iudaici regni finis 146.
Iudas Maccab. 587. 588. 592. 593.
Iudith 46. 118.
Iugurtha 643. 645. 647. 648.
Iulia Augusti filia 733. 752.
Iulianus annus primus 709.
Iulius Cæsar 654. 693. vsque ad 700. 702. 705. vsque ad 710.
Iulius Hyginus 745.
Iunius Brutus 245.
Iuno Argiua 304.
Iuno Moneta 409.
Iupiter Feretrius 4. 532.
Iupiter Stator 460.

K

Kalendarium 709. 646.
Kalendæ Ianuariæ 601.

L

Laberius 711.
Labienus 714. 715.
Laborosoarchodus 194.
Lacedæmonij 11. 17. 28. 31. 70. 72 83. 274. 308. 323. 325. 332. 333. 342. 366. 383. 386. 390. 391. 422. 424. 566.
Laconica 481.
Lælius 548. 551.
Læuinus 539. 544.
Lamia 431.
Lampsacus vrbs 98.
Laodice 507.
Laodicea 453.
Lars Tolumnius 316.
Lartius primus Dictator 256.
Latini 100. 123. 258. 414. 416.
Lectisternia 355.
Legati in Græciam 300. 356.
Legati occisi 316.
Leocrates 38.
Leocrates Athenienſis 295.
Leonidas 274.
Leontini 392.
Leosthenes 431.
Lepidus 711. 718.
Lesbij & Lesbus 326.
Leuctrica pugna 383.
Libertini 663.
Libycum bellum 513. 517.
Licinius Crassus 623. Crassus alter 683. 694. 699. 700. 701.
Licinius Stolo 376. 378.
Ligures 568.
Lilybæus 502.
Linternum seu Liternum 571.
Liuia siue Iulia 712. 716.
Liuius Historicus 695.
Liuius Poëta 514.
Locri vrbs 71. 288.
Lucani 428.
Lucilius 651.

Lucius Antonius 713.
Lucius & Caius Cæsares 733.
Lucretia 244.
Lucretius Carus 659. 702.
Lucullus 685. 686.
Ludi Magni, Maximi, Sæculares, Consulares, &c. 144. 298. 362. 518.
Lugdunum 711.
Lunæ eclipsis 133. 341. 423. 586.
Lusitania & Lusitani 608. 646. 693.
Lustrum primum 188.
Lutatius 512.
Lyceum 419.
Lycophron 474.
Lycurgi leges 566.
Lydi 133.
Lygdamus 106.
Lysander 349. 350. 351.
Lysias Orator 310.
Lysias dux 589. 590.
Lysimachus 462. 464. 466. 469. 472.

M

MAccabæi fratres, vide Salomona, Iudas, Ionathas & Simon.
Macedonici regni finis 586.
Magni campi 551.
Mamertini 489. 490.
Mancinus 617 618.
Mandane 195.
Mandubij 702.
Manilia lex 688.
MANASSES Rex Iuda 38. 40. 44. 77. 93.
Manasses Pontifex 501.
Manlius Capitolinus 364. 370.
Manlius Cneus 565.
Manlius Imperiosus 391.
Manlius Torquatus 393. 414.
Mantineenses 336.
Mantineensis pugna 391.
Mantua 684.
Marathonia pugna 264.
Marcellus Consul 532. 542. 546.
Marcellus Octauiæ filius 714. 730.
Marcus Antonius 707. 710. 711. 712. 713. 714. 716. 717. 718. 722. 723. 724.
Marcus Brutus 710. 712.
Mardokempadus 33.
Mardonius 258. 275.
MARIA Deipara 739. 753.
Mariamne 712. 721. 726.
Marius VII. Consul 647. 652. 653. 654. 666. 667. 668.
Marius iunior 672.
Marsicum bellum 663.
Martius Coriolanus 263. 266.
Martius Rutilius 398.
Masanissa 548. 551. 606.
Massagetæ 224.
Massilia 164. 215. 705.
Matathias 586.
Mathanias, vide Sedecias.
Mauritania 548.
Mausolus 401.
Mecœnas 746.
Media 442.
Mediolanum 164. 532.
Megabazus 247.
Megalenses ludi 550.
Megalopolis 530.
Megara & Megarenses 69. 306.
Meleager Rex 474.
Melissus Philosophus 310.

Meliſſus Spoletinus 750.
Melitus 354.
Memnon Rhodius 421.
Memphis 292.
Menander 461.
Menenius Agrippa 261.
Mentor 404.
Mercenariorum bellum 513.
Mercurij promontorium 499.
Merodach 33. 44. 75.
Meſſala Coruinus 695. 728.
Meſſana 84. 443. 489.
Meſſene & Meſſenij 11. 17. 31. 69. 72. 83. 385. 571.
Meſſeniacum bellum 11.
Meſſias Rex Regum 753.
Metaurus 547.
Metapontini 257.
Metellus Balearicus 631.
Metellus Conſul 502.
Metellus Pius 513.
Metellus, vide Cæcilius.
Metellus Creticus 687.
Methone 394.
Metius Suffetius 86.
Meton 321.
Micipſa 641.
Midas 38.
Miletus & Mileſij 4. 133. 250. 256. 420.
Milo Crotoniates 246.
Milo Pyrrhi dux 479.
Milo Clodij interfector 702.
Miltiades 264.
Mimorum ſcriptores 711.
Mindarus 344.
Mineruæ ſimulacrum 322.
Minutia Veſtalis 417.
Miſach 156.
Mithridates Eupator 630. 660. 666. 668. 670. 672. 674. 680. 681. 683. 685. 687. 688. 689. 691.
Mithridatic. bellum 660. 691.
Mitylene 326.
Modin vrbs 586.
Monarchia Perſarum 216.
Monarchia Græcorum 424.
Monarchia Romanorum 724.
Mons ſacer 261.
Mopſueſtia 660.
Mummius Achaicus 608.
Munacius Plancus 729.
Munda 709.
Munichia 436.
Muræna 672. 674.
Mutina 710.
Mutius Scæuola 247.
Mycalenſis pugna 275.
Mycenæ 286.
Myſon 174.

N

NAbonaſſar eiuſq; æra 7.
Nabonnidus 198.
Nabopolaſſar 108. 128. 129.
Nabuchod. vide Merodach.
Nabuchodonoſor 108. 128. 129. 133. 135. 140. 146. 150. 153. 156. 163. 170.
Næuius Poëta 519. 551.
Naneæ templum 625.
Narbo Martius 636.
Narbonenſis prouincia 630.
Naucratis vrbs 4.
Naufragia claſſium Rom. 499. 501.
Naupactus 330.
Naxus in Sicilia 11.
Nazareth 753.
Neapolis 428.

Necao 125.
Nectanebus 404.
Neemias 300.230.
Nemeacus Agon 178.
Neoptolemus Rex 397.
Nerigliſſarus 194.
Neruij 697.
Nicanor dux 592.
Nicator, vide Seleucus & Demetrius.
Nicetes 722.
Nicias 339. 341.
Nicocles 380.
Nicocles alter 445.
Nicolaus Damaſcenus 738.
Nicomedes 477.
Nicomedes alter 679.
Nigidius Figulus 709.
Niniue 119.
Niſibis 686.
Norbanus 671.
Nuceria 538.
Numa Pompilius 40. 83.
Numantia & Numantini 617. 618. 621.
Numidæ & Numidia 548. 643.

O

OBſidionales machinæ 313.
Ocriſia captiua 177.
Octauia 714. 730. 744.
Octauius 667.
OCTAVIVS *ſiue Octauianus Cæſar*, vide Auguſtus.
Oenomaus 681.
Olcades 535.
Oligarchia 343. 344.
Olinthus 406.
Olympias mater Alex. Magni 397. 428. 436. 438.
Olympionice coronati 2.
Olympion. Agonothetæ 394.
Olympiad. à VII. ad CXCIV. vide ſuis locis adſcriptas.
Onias 454. 469.
Onias alter 578.
Opima ſpolia 4. 316. 532.
Opimius 633.
Oræres 232.
Orſippus 34.
Oſee Rex 1. 14.
Oſtia vrbs 128.
Oſtraciſmus 267. 294.
Ouatio prima 251.
Ouidius Naſo 711. 738.

P

P*Acuuius* 600.
Padus ſiue Eridanus 530.
Pæones 394.
Palæpolis 428.
Palica 301.
Palilia ſeu Parilia Vrb. cond. 1. mundi 3301.
Palladium 513.
Pancratium 106.
Panætius 625.
Panormus 500.
Panſa 711.
Pantheon 729.
Pantomimi 733.
Papyrius Curſor 429. 434. 445.
Paripamiſadæ 426.
Parium vrbs 46.
Parmenides 310.
Parmenion 425.
Parthenij ſeu Partheniæ 28. 58.
Parthenope 734.
Parthi 504. 613. 701. 703. 714. 715.

Parus 264.
Paſſienus 744.
Patræ 381.
Paulus Æmilius 586. 587.
Pauſanias 321.
Pauſanias Philippi interfector 418.
Pella 453.
Pelopidas 376. 390.
Peloponn. bellum 323. 350.
Peluſium 586. 724.
Penteres Syracuſis 355.
Perdiccas Rex 394.
Perdiccas dux 432.
Pergamus 469. 490. 512. 556. 596. 616. 621.
Periander 126. 169.
Pericles 299. 301. 308. 313. 325.
Perinthus 413.
Perpenna 624. 681.
Perſarum regnum & monarchia 196. 216. 424.
Perſeus R. 574. 575. 583. 586. 587.
Peruſia 713.
Peſſinus 550.
Peſtis Romæ 344. 355. 389. 391.
Petilia lex 399.
Petilij Tribuni plebis 567.
Phalanthus 58.
Phalaris 187. 202.
Pharao Nechao 125.
Pharnaces 691. 707.
Pharſalici campi 706.
Pharus 470.
Phaſelitis vrbs 62.
Phayllus 399.
Pheræ 402.
Pherecydes 211.
Phidias 322.
Phidon 6.
Philetærus 469. 490.
Philippi in Macedonia 712.
Philippus Alex. M. pater 394. 402. 406. 408. 410. 413. 414. 416. 417. 418.
Philippus Arid. 430. 433. 436.
Philippus Caſſandri F. 456.
Philippus Demetrij filius, Perſei pater 522. 533. 539. 554. 558. 574. 575.
Philippus Antiochi Grypi filius 662.
Philiſtus 398.
Philomelus 399. 400.
Philopœmen 571.
Philotas 425.
Philoxenus 318.
Philoxenus Poëta 367.
Phocæi 164. 215.
Phocenſes 399. 408.
Phocion 436.
Phocylides 218.
Phœnicia 433. 536.
Phormio 325.
Phraates 612. 625. 690. 734.
Phraortes 119.
Phye 197.
Picentes 486.
Picenus ager 522.
Pindari domus 418.
Pindarus 319.
Piræeus portus 262. 350. 436.
Piratæ domiti 687.
Piſani ſeu Piſatæ 6. 390.
Piſiſtratus 194. 197. 198. 209. 227.
Pittacus 142. 174.
Platææ & Platæenſes 264. 323. 327.

Platæenſis pugna 275.
Plato 326. 346. 386. 406.
Plautius Syluanus 752.
Plautus 570.
Pleias Tragicus Poëta 474.
Plebeij ambo Coſſ. 582.
Plebeius primus Conſul 388.
Plotius 666.
Plutio 722.
Pœni 245. 274. 336. 347. 414. 417. 443. 444. 448. 482. 489. 494. &c. vſque ad 608.
Polemon 484.
Polybius 598.
Polycrates 222. 232.
Polyeuctus 354.
Polyſperchon 433.
Pompeius Magnus 648. 671. 673. 677. 681. 687. 688. 689. 691. 694. 699. 702. 705. 706.
Pompeius Strabo 665.
Pomponius 663.
Pons ſublicius 114.
Pontius Samnis 433. 463.
Popilius 404.
Popilius Legatus 586.
Popilius Lænas 711.
Porſenna 247.
Portius Latro 750.
Porus Rex 427.
Poſtumius 251. 258.
Poſtumius Regillus 340. 341.
Potidæa 319. 322. 325.
Præfectura vrbis 728.
Præneste & Prænestini 254. 374. 672.
Prætores, vide Archontes.
Priuernates 397.
Prodicus 318.
Prodigia Romæ 356.
Propertius 738.
Proſcripti à Sylla 672. *à Triumuiris* 711.
Protagoras 310.
Prouincia Narbonenſis 630.
Pruſias 572. 588.
Pſammenitus 228.
Pſammeticus 125.
Pſammis 126.
Pſeudo-Philippus ſiue Andriſcus 606.
PTOLEMÆVS Lagi F. 427. 430. 433. 442. 447. 464. 469. 470.
PT. Philadelphus 469. 470. 481 507.
PT. Euergetes 507. 532. 533.
PT. Philopator 533. 536. 550.
PT. Epiphanes 550. 557. 573.
PT. Philometor 573. 586. 607. 608.
PT. Phyſcon Euergetes 586. 608. 629. 637.
PT. Lathurus 637. 654. 665. 673.
PT. Alexander I. 654. 664.
PT. Alexander II. 673.
PT. Alexander III. 673. 689.
PT. Auletes 689. 697. 699. 703.
PT. Dionyſius 703. 706. 707.
Ptolemæus Appion 638 658.
Ptolem. Ceraunus 473. 474.
Ptolem. Simon Maccab. gener 619.
Ptolemais vxor Demetrij 454.
Ptolemais vrbs 610.
Publilius 428.
Publius Cornelius Scipio, vide Scipio.
Publius Syrus 711.

Pugnæ, vide ſingulis locis.
Punicum bellum I. 490. 513. *II.* 536. 553. *III.* 605. 608.
Puteoli 226.
Pydna 438.
Pylades Cilix 733.
Pylus 329. 345.
Pyrenæus 536.
Pyrrhus 459. 462. 463. 464. 466. 474. 475. 476. 478. 479. 481. 482.
Pythagoras 211. 218. 242. 257.
Pythius agon 166.
Pythodorus 323. 418.
Pythodorus ſeu Pythodemus 418.

Q

Quintilius Cremonenſis 730.
Quintius 283. 286. 296. 673.
Quinius Atta 676.
Quintius Cincinnatus 296. 374.
Quintius Fabius Maximus, vide Fabius.
Quintius Hortenſius 468.
Quirini ædes 461.
Quirites 7.

R

Raphaël 35.
Raphia 536.
Reblata 146.
Regifugium 244.
Regilli oppidum 250.
Regillus lacus 258.
Remus Vrb. cond. 1. mundi 3301.
Rhæti 739.
Rhegium 31. 367.
Rhenus 696. 699.
Rhodanus 536. 711.
Rhodogune 612.
Rhodus 450. 750.
Romæ conditus mundi 3301.
Romulus Vrb. cond. 1. 2. 4. 7. 22. 39.
Roſcius 574.
Roſtra in Foro 416.
Roxane 426. 443.
Rubico fluuius 705.
Rudiæ 515.
Rupilius 622.

S

Sabinarum raptus 4.
Sabini 7. 9. 123. 250. 252. 464.
Sacerdotia plebi permiſſa 454. ante Chr. 300.
Sacrum bellum 399. 408.
Sadyattes 133.
Sæculares ludi 298.
Sagra 246.
Sagunthus 535.
Salamin 447.
Salaminia pugna 274.
Salathiel 216.
Salluſtius 668. 719.
Salmanaſar 12. 18.
Salomona mater ſeptem fratrum Maccabæorum 586.
Salomona vxor Alex. Iannæi 651. 675. 685.
Salyi ſeu Salyes 164. 630.
Samaria 12. 645.
Samariticum templum 626.
Samij 226. 242. 313.
Samnium & Samnites 400. 411. 429. 434. 439. 445. 459. 463. 464.
Samniticum bellum 411. 450. 482.
Samoſata 716.
Samothracia 586.

Sannaballat 422.
Sappho 155.
Sardes 210. 250. 273. 420 446. 540.
Sardi & Sardinia 495. 521. 705.
Sargapiſus 224.
Sargon 18.
Satrapiæ 430.
Satricum 434.
Saturnalia 257.
Saturninus 654.
Scipiones Cneus & Publius 536. 537. 540. 542.
Scipio Africanus maior 543. 544. 547. 548. 549. 551. 552. 553. 564. 567. 571.
Scipio frater Afric. maioris 564. 567.
Scipio Africanus minor ſeu Æmilianus 603. 605. 606. 607. 608. 621. 625.
Scipio Naſica 400. 550. 563. alter 621.
Scipio ſocer Pompeij 708.
Scopas 557.
Scyrus 273.
Scythæ 119. 148. 151. 246. 426.
Sebaſte vrbs 744.
Seceſſio plebis, vide Ianiculum & mons ſacer.
SEDECIAS 136. 139. 143. 146.
Segoueſus 160.
Selene 662.
Seleucia 453.
Seleucidarum æra 442.
SeleucusNicator 442. 453. 454. 464. 466. 472. 473.
Seleucus Callinicus 507. 527.
SeleucusCeraunus ſeu Pogon 527. 530.
Seleucus Philopator 567. 568. 578.
Seleucus Demetrij Nicatoris & Cleopatræ F. 629. 630.
Seleucus Antiochi Grypi filius 658. 660.
Selinus vrbs 166. 345.
Sempronius 536.
Sena 471.
Senatus Romanus Vrbis cond. 1. mundi 3301.
Sennacherib 18. 24.
Senones Galli 471.
Septem SapientesGræciæ 142. 169.
LXX. Interpretes 469.
Serpens ad Bagradam 498.
Sertorius 667. 671. 677. 681.
Serui mulctati 335.
Seruile bellum 622. 681. 683.
Seruilius 290.
Seruilius Iſauricus 706. 710.
Seruilius Dictator 319.
Seruilius Hala 315.
Seruius Sulpitius 710.
Seruius Tullius 177. 188. 196. 216. 221.
Seſtos 275.
Sextius Tribunus plebis & Conſul primus è plebe 378. 388.
Sextus Cæſar 707.
Sextus Pompeius 718.
Sextus Roſcius 574.
Sibylla Erythræa 10.
Sibyllini libri 355.
Sicilia prouincia 515.
Sicyon 301.
Sidicini 418.
Sidon 421.

Sidrach 156.
Silanus 645.
Simon Oniæ filius 454.
Simon Iudæ Maccabæi frater 610. 619.
Simonides 218. 286.
Sinuessa 651.
Sinope 125.
Sionis arx 611.
Sisygambis 430.
SMERDIS Magus 232. 233.
Sociale bellum 396.
Sociale alterum bellum 537.
Socrates 318. 346. 354. ante Chr. 400.
SOGDIANVS 329.
Solis defectus 158. 274. 330. 350.
Solyma, vide Hierosolyma.
Solon 160. 174. 186. 196.
Sophocles 282. 348.
Sora 440. 450.
Sosthenes 474. 476.
Sostratus 470.
Sparta 284. 351. 385. 459. 566.
Spartani, vide Lacedæmonij.
Spartacus 681.
Spurius Caruilius 519.
Spurius Cassius 252. 268.
Spurius Melius 315.
Stagira vrbs 98.
Statuæ Legatis & Consulibus positæ 316.
Stesichorus 142.
Straton 484.
Stratonice 454.
Sublicius pons 114.
Sulla, vide Sylla.
Sulpitius Gallus 586.
Superstitiones peregrinæ 328.
Susanna 138.
Susiana 424. 442.
Sybaris & Sybaritæ 46. 246.
Sylla 648. 660. 666. 668. 670. 671. 672. 674. 675.
Syloson 242.
Syphax 548. 550. 551. 553.
Syracusæ 13. 17. 263. 288. 338. 349. 398. 407. 431. 444. 490. 491. 542.
Syromacedones 442.

T

TAbernaculorum festum 300.
Tænarus 140.
Tanyoxarces 232.
Tarentum & Tarentini 58. 321. 474. 476. 479. 482. 542. 545.
Tarpeia virgo 7.
Tarpeium saxum 268 370.
Tarquinij oppidum & populi 97. 246. 403.
Tarquinius 122.
Tarquinius Priscus 139. 144. 150. 160. 177.
Tarquinius Superbus 216. 221. 245.
Tarquinius Collatinus 246.
Tatius 7. 12.
Tauromenium 396.
Taurus mons 564.
Tegea 438.
Teij 215.
Telluris ædes 485.
Templi Hierosolymitani euersio 146. & restauratio 217. 234. 238. profanatio 586. purgatio 589. instauratio ab Herode 754.
Tergeminorum pugna 86.

Terentius Comicus 595.
Terentius Varro 538.
M. Terentius Varro 638. 726.
P. Terentius Varro 672.
Teuta Regina 524.
Teutones 645. 652.
Thales Milesius 158. 174. 209.
Thapsus in Africa 708.
Thasij 290.
Theates 437.
Theatrum Pompeij 699.
Thebæ & Thebani 383. 390. 391. 408. 416. 419. 439. 462.
Thelesilla 16.
Themistocles 275. 283. 291.
Theodorus 722.
Theodotus 504.
Theognis 206.
Theopompus 396. 414.
Thermopylæ 274. 476. 563.
Thesei ossa 273.
Thessalonice 438.
Thessalus Pisistrati filius 226.
Thessalus alter 302.
Thomyris 224.
Thoth 1. anni æræ Nabon. 7.
Thrasymenus lacus 537.
Thrasybulus 287. 288. 353.
Thucydides 343.
Thurij 308. 310.
Thusci 164.
Thymelus 10.
Tiberius Cæsar 712. 730. 739. 750.
Tiberius Gracchus 575. alter 621.
Tibullus 738.
Ticinus amnis 164. 536.
Tigranes 669. 683. 685. 688. 690. 692.
Tigranocerta 685.
Timoleon 411. 414. 417
Tiro 749.
Titus Annius 601.
Titus Lartius 256.
Titus Quinctius 283. 296.
Tlesias 69.
Tobias senior 11. 31. 35. 77.
Tobias iunior 35. 110.
Togatæ 676.
Tolmides 306.
Tolosa 648.
Torone 332.
Tragœdorum agon 273.
Transmigrationes Iudæorum I. 128. II. 136. III. 146.
Trebia 536.
Treuiri 700.
Tribuni plebis 261.
Tribuni militares 332. 341. 346. 361. 363. 388.
Tricennalia fœdera 308.
Triginta tyranni 350. 353.
Triumphus à populo decretus 305.
Triumuiri 711.
Tryphon 609. 610. 612. 615.
Tucca & Varius 738.
Tullia Seruij filia 216.
Tullia Ciceronis filia 704.
Tullius Tiro 749.
Tullus Hostilius 83. 90. 114.
Turpilius 651.
Tyrtæus Poëta 72.
Tyrus 140. 422.

V

Valerius Poplicola seu Publicola 245. 246. 250.
Valerius 294.
Valerius, vide Catullus.
Valerius Coruinus 406. 411.

Valerius Messalinus 751.
Vaphree 143.
Varro, vide Terentius.
Varius & Tucca 738.
Vasthi 291.
Veij & Veienses 22. 250. 277. 316. 351. 358.
Velitræ 374.
Veneficia repressa 423.
Veneti Aremorici 698.
Ventidius 715.
Venusium 689.
Ver sacrum 333.
Vermina 552.
Verres accusatus 684.
Via Appia 442.
Viminalis mons 177.
Vindalus fluuius 632.
Vipsanius Agrippa 729. 733. 738. 742.
Virgilius 684. 696. 713. 735.
Viriathus 608. 614.
Viridomarus 532.
Visurgis 742.
Vmbri 446.
Volæ 336.
Volci 266. 286. 295. 323. 365. 375.
Vtica & Vticenses 447. 551. 605. 708.

X

XAnthippus 499.
Xenophanes 201.
Xenophon 353. 391. 394.
XERXES I. 267. 269. 270. 273. 274. 281. 289.
XERXES II. 329.

Z

ZAcharias Propheta 234.
Zacharias pater S. Ioannis 752.
Zacynthij 400.
Zancle vrbs 84.
Zeno Eleates 318.
Zeno Stoicus 490.
Zeuxis 286.
Zodiaci obliquitas 206.
Zopyrus 244.
Zorobabel 216.

BREVIS TEMPORVM COMPENDII PARS CHRISTIANA.

Ex Præfatione ſacræ Hiſtoriæ SEVERI SVLPITII *Preſbyteri Aquitani.*

RES à Mundi exordio ſacris literis *(Profaníſque)* editas breuiter conſtringere, & cum DISTINCTIONE TEMPORVM vſque AD NOSTRAM MEMORIAM carptim dicere aggreſſus ſum; multis id à me ſtudiosè efflagitantibus, qui Diuina *(atque Humana)* compendiosâ lectione cognoſcere properabant. Quorum ego voluntatem ſecutus, non peperci labori meo, quin ea, quæ PERMVLTIS VOLVMINIBVS perſcripta continebantur, duobus *(tribus)* libellis concluderem: ita BREVITATI STVDENS, vt penè nihil geſtis ſubduxerim.

Viſum autem mihi eſt non abſurdum, cùm vſque ad Chriſti Crucem Apoſtolorúmque Actus per ſacram *(profanámque)* Hiſtoriam cucurriſſem, etiam pòſt geſta conuerrere, Excidium Hieroſolymæ, Vexationéſque populi Chriſtiani, & mox Pacis tempora, ac rurſùm Eccleſiarum inteſtinis periculis turbata omnia locuturus.

Cæterùm illud non pigebit fateri, me, ſicubi ratio exegit, AD DISTINGVENDA TEMPORA, continuandámque ſeriem, vſum eſſe Hiſtoricis Ethnicis, atque ex his, quæ ad ſupplementum cognitionis deerant, vſurpaſſe; vt & IMPERITOS docerem, & LITTERATOS conuincerem.

LECTORIBVS CHRONOLOGIÆ TVTO, CLARE, AC BREVITER EDISCENDÆ STVDIOSIS PRÆNOTANDA.

QVANQVAM *ex memoratis eloquentißimi Viri Seueri Sulpitij verbis, quæ ſit conſilij ratio, ſatis apertè innoteſcat; & ad ea, quæ prioribus Compendiis* MVNDANO *atque* ROMANO *præfixa ſunt, vix quicquam explicatiùs adiici poßit: ea tamen eſt* CHRISTIANÆ HISTORIÆ *ſupra cateras omnes vtilitas atque præſtantia, rerúmque in elapſis à nato Seruatore ſeptemdecim ſæculis geſtarum dignitas atque amplitudo, vt ſuum ipſa quoque ſibi veſtibulum ac propria Præludia meritò à nobis expoſcant. Ea ergo obiter atque perpaucis pro more complectemur, vt præcipuis quibuſque Mundanæ Romanæque Chronologiæ floſculis carptim iam delibatis, & in ſua ſæcula annóſque ſedulò diſtributis, deinceps hac Tertiâ Parte in Chriſti Domini & Apoſtolorum rebus geſtis, in ſummis Eccleſiæ Catholicæ Pontificibus, in Romanis Græciſque Imperatoribus, in Chriſtianißimis Regibus, aliiſque Europæ Principibus, in SS. Patribus, Viriſque Eruditis, in Conciliorum & ſingularium Euentuum breuißimis commemorationibus liceat paullò diutiùs immorari.*

PRIMVM *esto. Christiana XVII. Sæcula suis etiam Titulis quasi notis ac signis quibusdam ab inuicem secerni debere, iisque subiungendas videri indictas ab Ethnicis Imperatoribus in Christianos Persecutiones XII. cum XIX. Ecclesiæ Catholicæ generalibus Conciliis; vt huiusmodi Præexercitamentis veluti subacta atque assuefacta Tyronum memoria, ad alia longè plura, quæ cum iis connexa sunt, & multitudine ac varietate sua officere plerumque saltem inter initia solent, mentique densissimas offundere tenebras; & fœliciùs excipienda, & tenaciùs conseruanda, maiorem in dies sentiat opportunitatem.*

I. Itaque Christianæ Æræ Sæculum à primo eius anno, qui fuit Iulianus 46. *Vrbis conditæ* 754. *Mundi* 4054. *vsque ad centesimum, dici meritò debet* APOSTOLICVM *siue* CÆSAREVM, *quòd eo labente ab Augusto ad Traianum vixerint XII. Romani Imperatores in locum Caij Iulij, qui ante Christi Natales obiit, subrogato Cocceio Neruâ; & S. Ioannes XII. Collegis suis à Christo Domino ad prædicandam fidem electis per multos annos superstes totum illud tempus longiori ætate impleuerit.*

II. Ab anno 101. *ad* 200. TRAIANI & HADRIANI, *siue* ANTONINORVM *Pij atque Philosophi optimorum Imperatorum.*

III. Ab anno 201. *ad* 300. TYRANNORVM, *quos vel sub vno Gallieno ad XXX. succreuisse memorant, ac* CÆDIVM.

IV. Ab anno 301. *ad* 400. CONSTANTINI *Magni, qui Christianam fidem publicè professus plurimis eam priuilegiis ornauit, eiúsque* FILIORVM *trium, Constantini, Constantis atque Constantij.*

V. Ab anno 401. *ad* 500. FRANCORVM, *Gothorum, Vandalorum, Suecorum, Hunnorum, Erulorum, similiúmque* BARBARORVM *Romanas prouincias velut ex condicto incursantium.*

VI. Ab anno 501. *ad* 600. CLODOVÆI *Magni*

Francorum Regis Christianissimi, Magnique IVSTINIANI *Romanorum Imperatoris potentissimi.*

VII. Ab anno 601. *ad* 700. *impurissimi Pseudoprophetæ* MAHOMETIS *eiúsque sequacium Arabum seu Saracenorum; necnon Dagoberti Magni eiúsque filiorum atque nepotum, sub quibus Regiæ Aulæ Præfecti, quos Maiores Domus Francicæ dicimus, ad summam potentiam paulatim euecti sunt.*

VIII. Ab anno 701. *ad* 800. PIPINI *Breuis, Caroli Martelli filij, primique Familiæ Carlouingiorum in Francia Regis, siue* ICONOCLASTARVM *in Oriente Imperatorum Leonis Isaurici, Constantini Copronymi, & Leonis Chazari.*

IX. Ab anno 801. *ad* 900. CAROLI *Magni, eiúsque posterorum Christianissimorum Franciæ Regum; primorumque, post restitutum à Leone III. Romano Pontifice Imperium,* OCCIDENTIS *Imperatorum.*

X. Ab anno 901. *ad* 1000. IGNORANTIÆ, *siue Ferreum vt vocare solent, vel* OTHONVM *trium, qui primi ex Germanis Occidentalis Imperij coronam Romæ à summis Pontificibus acceperunt.*

XI. Ab anno 1001. *ad* 1100. ROBERTI *Pij, Hugonis Capeti filij Galliarum Regis sanctissimi, vel* GVILLELMI *Nothi Normannorum Ducis, qui primus Angliam subegit, dictus inde Conquæstor.*

XII. Ab anno 1101. *ad* 1200. FRANCORVM *Hierosolymis in Oriente post Godofridum Bullionium regnantium.*

XIII. Ab anno 1201. *ad* 1300. S. LVDOVICI IX. *Francorum Regis Christianissimi, vel* FRANCORVM *post Balduinum Constantinopoli imperantium, expulsis Comnenis Angelisque.*

XIV. Ab anno 1301. *ad* 1400. SVMMORVM PONTIFICVM, *relictâ ad tempus Italiâ, Auenione in Gallia sedentium; siue* OTHOMANIDARVM *in Asia regnantium.*

XV. Ab anno 1401. *ad* 1500. CAROLI VII. *Francorum Regis Christianissimi, qui victis expulsisque Anglis, Victor meritò cognominatus est; siue* MAHOMETIS II. *primi Turcarum, captâ anno* 1453. *Constantinopoli, Imperatoris potentissimi.*

XVI. Ab anno 1501. *ad* 1600. FRANCISCI I. *Francorum Regis Christianissimi & posterorum eius, siue* HÆRESEON *in Germania viciniſque prouinciis, Luthero duce ac magistro, aduersùs Catholicam Ecclesiam insurgentium.*

XVII. Denique ab anno 1601. *ad* 1700. LODOICÆVM, *siue Regum Familiæ Borbonię* HENRICI *ter Maximi,* LVDOVICI IVSTI, *ac* LVDOVICI ADEODATI *Christianissimorum Franciæ ac Nauarræ Monarcharum; Queis est par nihil, & nihil secundum.*

I. Christianorum Persecutio sub NERONE *Augusto contigit anno æræ Christianæ* 64.

II. sub DOMITIANO *anno* 92.

III. sub TRAIANO *anno* 107.

IV. sub HADRIANO, *quam veteres nonnulli cum S. Augustino à præcedente non distinguunt, anno* 119.

V. sub MARCO AVRELIO *Antonino Philosopho anno* 163.

VI. sub SEVERO *anno* 201. *aut sequenti.*

VII. sub MAXIMINO *anno* 235.

VIII. sub DECIO *anno* 250. *eiúsque successoribus Gallo & Volusiano.*

IX. anno 257. *sub* VALERIANO *eiúsque filio Gallieno, qui capto à Persis patre, pacem nostris reddidit, inquit Eusebius.*

X. sub AVRELIANO *anno* 272.

XI. sub crudelissimis Imperatoribus DIOCLETIANO *&* MAXIMIANO *anno* 302. *quæ in Oriente ad decem circiter annos producta est.*

XII. denique vel sub LICINIO *in odium Constantini anno* 319. *vel potiùs sub* IVLIANO APOSTATA *anno* 362. *quam blandam vocat S. Hieronymus, illicientem magis quàm impellentem ad sacrificandum.*

I. Generale Concilium, NICÆNVM I. *aduersùs Arianos an.*325. *sub Constantino M. Imp. & S. Siluestro Papa.*

II. anno 381. CONSTANTINOPOLITANVM I. *aduersùs Macedonianos sub Theodosio Magno Imperatore, & S. Damaso Papa.*

III. anno 431. EPHESINVM *contra Nestorium sub Theodosio iuniore, & S. Caelestino I. Papa.*

IV. anno 451. CHALCEDONENSE *contra Eutychetem sub Marciano Imperatore, & S. Leone I. Papa.*

V. anno 553. *de tribus Capitulis vt vocant,* CONSTANTINOPOLITANVM II. *sub Iustiniano Magno Imperatore, & Vigilio Papa.*

VI. anno 681. CONTANTINOPOLITANVM III. *aduersùs Monothelitas sub Constantino Pogonato Imperatore, & S. Agathone Papa. Trullani Canones ad annum* 692. *aut* 707. *pertinent.*

VII. anno 787. NICÆNVM II. *aduersùs Iconomachos sub Augustis Constantino eiúsque matre Irene, & Hadriano I. Papa.*

VIII. anno 869. CONSTANTINOPOLITANVM IV. *contra Photium Schismaticum CP. Sedis inuasorem, sub Basilio Macedone Imp. & Hadriano II. Papa.*

IX. an. 1122. LATERANENSE I. *pro recuperanda Palaestina & Inuestiturarum, vt vocabant, lite decidenda, sub Calliſto II. Papa, Henrico V. Imperatore, & Ludouico Crasso Galliarum Rege.*

X. anno 1139. LATERANENSE II. *pro iuribus Clericorum & sopiendo Schismate, sub Innocentio II. Papa, Conrado II. Imperatore, & Ludouico VII. Gallia Rege.*

XI. anno 1180. LATERANENSE III. *contra Valdenses siue Albigenses similésque Hæreticos, sub Alexan-*

dro III. Papa, Friderico Ahenobarbo Imperatore, & Philippo Augusto Francorum Rege.

XII. anno 1215. LATERANENSE IV. *pro reformatione Ecclesiæ & recuperatione Terræ sanctæ, vbi & inter cætera de Transubstantione actum est ab Episcopis quadringentis, & mille Abbatibus, sub Innocentio III. Romano Pontifice, Imperatoribus Othone IV. & Friderico II. ac Francorum Rege Philippo Augusto,*

XIII. an. 1245. LVGDVNENSE I. *pro Terra sancta, & aduersùs Fridericum II. Imp. sub Innocentio IV. Papa, & Rege Francorum Christianissimo S. Ludouico.*

XIV. anno 1274. LVGDVNENSE II. *in quo Græci errores suos damnarunt Pontifici Romano obedientiam polliciti, sub Gregorio X. Romano Pontifice, & Philippo Audaci S. Ludouici filio Francorum Rege.*

XV. anno 1311. VIENNENSE *contra Beguardos & Beguinas, Saracenos Palæstinæ incubatores, ac Templarios, sub Clemente V. Romano Pontifice, Henrico Lutzemburgico Imp. & Philippo Pulchro Franc. Rege.*

XVI. ab anno 1413. *ad* 1418. CONSTANTIENSE *ad Rhenum, in quo Joannes Hus, & Hieronymus Pragensis Hæretici exusti sunt, & pax Ecclesiæ reddita, creato legitimo Pontifice Martino V. sub Sigismundo Romano Imperatore, & Carolo VI. Francorum Principe.*

XVII. anno 1439. FLORENTINVM *pro reconciliatione Græcorum, qui cum Ioanne Palæologo Imp. & Josepho CP. Patriarcha frequentes aderant, Eugenio IV. Rom. Pontifice, Alberto Austriaco Romano Imper. & Carolo VII. Franc. Rege. Ad illud reuocari solet Basilienſe, quod anno* 1431. *indictum in Schisma desiit.*

XVIII. ab anno 1511. *ad* 1517. LATERANENSE V. *in quo abrogatum Pisanum Concilium, Concordata Pontificem inter Regémque Galliæ sancita &c. sub Leone X. Romano Pontifice, Maximiliano I. Imperatore, & Ludouico XII. ac Francisco I. Galliarum Regibus.*

Vltimum denique XIX. omnium doctißimum TRIDENTINVM *contra Martinum Lutherum alióſque ex Orco prognatos Chriſtianæ Fidei & Auitæ Religionis corruptores, ab anno* 1545. *ad exeuntem* 1563. *ſub Romanis Pontificibus Paulo III. Julio III. & Pio IV. Imperatoribus Carolo V. & Ferdinando I. ac Galliarum Regibus Franciſco I. Henrico II. & Carolo IX.*

ALTERVM *haud minùs priore neceſſarium adiungo: Pendenti charactere, quem Italicum dicimus, non res profanas Romanáſve, quod in Mundano Romanóque Compendiis præſtitimus; ſed* GALLICAS *modò* FRANCICASque *à nobis fuiſſe expoſitas. Licet enim vniuerſi Orbis hiſtoriam delibare, progreſſionéſque ac exitus regnorum rerúmque publicarum per ſumma ſaltem eximiaque capita, ſacra Eccleſiæ Catholicæ Concilia, non Oecumenica duntaxat, ſed Nationalia quoque & Prouincialia; Bella inter Principes pugnáſque celeberrimas, ſingulares denique euentus eruditâ facilique breuitate complecti animus ſit; in noſtratibus tamen hiſtoriis, quas Tillius, Belleforeſtius, Hallanius, Vignerius, Falcetus, Serranus, Duplexius, ſimiléſque Hiſtoriographi, qui vernaculâ linguâ popularibus ſuis placere ſimul ac prodeſſe voluerunt, innumerabilibus Parachroniſmis infecerunt, enucleatiùs quàm factum ſit hactenus digerendis, & ad annos ſuos ac tempora ingenioſiùs dirigendis noſtra præcipuè deſudabit atque efflorеſcet induſtria. Quod ſanè eo mihi impenſiùs diligentiúſque aggrediendum conuenit, quòd videam Cornelium Janſenium ſub Armacani nomine Doctorem tum Louanienſem, & poſtea Iprenſem Epiſcopum toti modò Orbi ob damnatas ab Apoſtolica Sede libri eius hæreſes notißimum, Joannem Jacobum Chifletium profeſſione Medicum & Philologum vtcumque tolerabilem, Joannem Riuium Monachum ex Meyero aliiſque impoſtoribus collectarum ineptiarum conſarcinatorem inficetißimum,*

pluréſque ex vicinia noſtra ſuboleſcentes magnos minutóſque Scriptores Chriſtianiſſimorum noſtrorum Principum totiúſque adeo Franciæ hoſtes capitaliſſimos, multiplicatis in dies libellis mendacia, calumnias, conuicia, maledicta coaceruare; ſaniſſima quæque ac ſanctiſſima rubiginoſis dentibus arrodere; dubia & controuerſa deteriorem in partem malignè ſemper interpretari; Regiæ denique Maieſtatis auguſtiſſimum culmen, à qua maximum ipſi ornamentum & ſingulare decus in Principes ſuos (quos abſit vel verbulo vnquam aut ſyllabâ violare ſuſtineam) deriuare vel inuiti coguntur, indigniſſimis modis proculcare. Equidem non ignoro ab eruditiſſimis viris Dominicio & Tenneurio τῶν μαχαιρίτων, Prieuſacio, Marandæo, Blondello, aliiſque ex profeſſo diſiectas eſſe aduerſariorum noſtrorum molitiones, & diſturbata conſilia; non erit tamen ab inſtituto noſtro alienum præcipua quæque, vbi ſe dabit occaſio, quantúmque patientur Compendij huius breues angustia, obiter perſtringere, & prolixioris refutationis prima veluti fundamenta iacere; vt omnes intelligant quantâ impudentiâ, quàm effræni audaciâ, ridiculi homuncioneſ terræ vermiculi calamum aterrima bile meróque liuore turgidum ſtrinxerint in Chriſtos Domini Chriſtianiſſimos Galliæ Principes, cæloiam receptos Heroas: quámque facile ſit eoſdem ab aſperſis temerè calumniis Veterum ac ferè ſemper coætaneorum Auctorum (quorum verbis periochas noſtras contexere, quàm noſtris exornare maluimus) ſummâ fide atque auctoritate vindicare. Quæ ſi eâ, qua par eſt, ſedulitate atque induſtria perfecero, & de Regibus noſtris ac cariſſima patria egregiè nauitérque meritus; & ſtudiorum meorum, vigiliarum, laboríſque non exiguum fructum conſequutus videbor. Valete Candidi veritatis Amatores, méque veſtri amantem redamate, ac fuſis precibus apud Deum Opt. M. omnis Veri fontem auctorémque, cui vni placere, vni litare votorum ſumma eſt, adiuuate.

PARS TERTIA
COMPENDII TEMPORVM
SÆCVLA CHRISTIANA
SEPTEMDECIM
BREVITER REPRÆSENTANS,

Ab anno vulgaris ÆRÆ CHRISTIANÆ primo
ad noſtram vſque ætatem.

I. ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM, APOSTOLICVM SIVE CÆSAREVM.

Ab anno Domini IESV *primo, Mundi* 4054. *Romæ* 754.
ad an. Chriſti 100. M. 4153. *Romæ* 853.

INCIPIENTE anno Iuliano XLVI. Vulgaris (quam Dionyſianam plerique vocant) Chriſtianorum Æræ, à qua præſentem hunc annum numeramus MDCLV. primo, IESVS CHRISTVS ipſis Ianuarij menſis Kalendis, 8. à partu B. Virginis die, circumciditur in Bethleem; ibidémque ſexto pòſt die adoratur à Magis ex Oriente profectis; Hieroſolymis in Templo offertur ſecundo Februarij die; redit Nazarethum; in Ægyptum fugit; necantur Innocentes infantuli iuſſu Herodis Aſcalonitæ crudeliſſimi

Iudæorum tyranni, qui sub Paschalia festa morbo intercutis aquæ & scatentibus toto corpore vermibus miserè periit, anno à captis per Sosium Solymis, cæsóque Antigono Aristobuli filio, non 34. tantùm, sed verè 37. Consulibus Romanis Caio Iulio Cæsare Augusti Imperatoris ex Iulia filia nepote, & L. Æmilio Paulo. Quo anno mundanæ originis ex nostra supputatione MMMMLIV. Vrbis Romanæ DCCLIV. sub ætatem iniit apud Græcos Olympias CXCV. & Sextus Pythagoricus Philosophus agnoscitur, inquit Eusebius in Chronico.

Anno Christi II. Archelaus Herodis Ascalonitæ filius, Ethnarcha dictus, ab Augusto Imperatore paterni regni parte aliquâ donatur, præsente Caio Cæsare, qui paullò post cum M. Lollio rectore ab auo missus in Armeniam vitricum suum Tiberium Chij salutauit, & Iudæam prætergressus in templo Hierosolymitano adorare, quod M. Vipsanius Agrippa eius parens fecerat, contempsit.

Anno Christi siue Æræ Christianæ III. Dominus IESVS ex Ægypto reuersus Galilæam repetit, in qua ad plures moratur annos.

Anno Christi IV. Tiberius è secessu Rhodio Romam reuersus, priuignísque Cæsaribus Agrippæ ex Iulia filiis, Lucio Massiliæ, Caio Limyræ in Lycia mortuis, adoptatur ab Augusto, qui paullò antè Cinnæ aliísque coniuratis summâ clementiâ pepercerat. Asinius Pollio Orator & Consularis, qui de Dalmatis triumpharat, 80. ætatis anno moritur.

Anno Christi V. Olympiadis CXCVI. primo, Messalà & Cinnâ Consulibus, Solis defectio contigit 28. Martij, & ab Augusto decreta exactæ militiæ præmia. Romæ fames ingens.

Anno Christi VI. Tiberius in Germaniam, Illyricúmque proficiscitur. Philistio Mimographus natione Magnesianus, Romæ clarus habetur.

Anno Christi VII. Dalmatas Sarmatásque in Romanam redigit potestatem Tiberius: eiusdem verò ex Druso fratre nepos Germanicus in Pannoniam missus prosperè pugnat.

Anno Christi VIII. Athenodorus Tarsensis Stoicus Philosophus, & Marcus Verrius Flaccus Grammaticus insignes habentur.

Anno Christi IX. Olymp. CXCVII. primo, Arminio Cheruscо rebellionis apud Germanos auctore, Quintilius Varus

cum tribus legionibus periit. Athenienſes res nouas contra Romanos molientes opprimuntur, auctoribus ſeditionis occiſis.

Anno Chriſti X. Archelaus Herodis Aſcalonitæ filius Romæ à fratribus ſuis accuſatus, Tiberij iuſſu, *Viennam Galliæ vrbem relegatur*, anno Tetrarchiæ nono expleto & decimo iam inchoato, ſi vera narrat Ioſephus, quem plerique deſerunt. Templum Concordiæ à Tiberio dedicatum. Iudæa prouincia Syriæ contributa. Quirinus iteratò ſenſum agit, & Annam Sethi filium ſummum Iudæorum Pontificem creat. Primus verò Iudææ Procurator fuit Coponius, 2. Ambiuius, 3. Annius Rufus, 4. Valerius Gratus, 5. Pontius Pilatus, &c.

ANNO CHRISTI XI. Tiberius, eiuſque ex Druſo fratre & minore Antonia nepos Germanicus ab Auguſto miſſi vindictam de rebellibus Germanis ſumunt.

Anno Chriſtianæ Æræ XII. Chriſtus duodennis in templo Hieroſolymitano cum doctoribus legíſque Moſaïcæ peritis diſſerit. Triumphat de Dalmatis Tiberius, Germanico cum Capitone Conſulatum gerente. Caius Caligula eiuſdem Germanici & Agrippinæ filius naſcitur Antij die 31. Auguſti. Cenſu Romæ acto inuenta hominum nonagies tercentena & ſeptuaginta millia. Meſſala Coruinus Orator ante biennium quàm moreretur, ita memoriam ac ſenſum amiſit, vt vix pauca verba coniungeret, & ad extremum inediâ ſe confecit anno ætatis 72.

Anno Chriſti XIII. Olymp. CXCVIII. primo, Sotion Philoſophus Alexandrinus præceptor Senecæ clarus habetur.

Anno Chriſti XIV. Iuliano LIX. Olymp. CXCVIII. ſecundo, Auguſtus Imperator ætatis anno 76. Imperij à primo Conſulatu 57. ab Actiaca victoria 44. moritur Nolæ ſiue Atellæ in Campania Sextilis menſis, qui ab eo hactenus dictus eſt Auguſtus, die 19. Coſſ. duobus Sextis Pompeio & Apuleio. Corpus Romam delatum in Campo Martio ſepultum fuit. Succedit TIBERIVS Nero Romanorum Imperator tertius per annos 22. menſes 6. diéſque 26. Auditâ Auguſti morte, tumultuantes in Pannonia legiones ſeptem, viſâ Lunæ defectione, quæ contigit die 27. Septembris, feriâ 5. ſedatas memorant Tacitus, Dio, aliíque Romanæ hiſtoriæ ſcriptores. Tiberius.

Anno Christi XV. Caius Asinius Gallus Orator Asinij Pollionis filius, cuius etiam Virgilius meminit, diris à Tiberio suppliciis enecatur, inquit Eusebius: at Tacitus in annum Æræ Christianæ 33. differt, & fame mortuum narrat. Germanicus Varianæ cladis reliquias colligit, Arminium vincit, & Coloniam Agrippinam in Vbiis ad Rhenum condit.

Anno Christi XVI. Tiber. Cæsar Mathematicos Vrbe pellit.

Anno Christi XVII. Olymp. CXCIX. primo, Germanicus è Germania Galliisque reuersus Romam, de Cheruscis, Cattis, (pro quibus Parthos in Eusebij Chronico substituerunt imperiti Amanuenses correctoresve librarij) & Angiuariis triumphat; tum aduersùs Parthos Orientis prouincias infestantes mittitur, Cneo Pisone Syriæ Præside in locum Silani Cretici substituto. Titus Liuius Romanæ pater historiæ Patauij moritur ætatis 76. P. Ouidius Naso exul in Scythia obiit, & iuxta oppidum Tomos sepelitur. Tredecim vrbes terræ motu in Asia corruerunt, Ephesus, Magnesia, Sardeis, Ægæ, &c.

Anno Christi XVIII. Germanicus per Achaiam Græciæque vrbes in Syriam venit, & cum Pisone digladiatur.

Anno Christi XIX. Germanicus Cæsar lustratâ Ægypto reuersus in Syriam, dolo Pisonis Præsidis propinato veneno extinguitur. Vonones Persarum quondam Rex ad Pyramum amnem in Cilicia occiditur à Rhemmio, dum sibi fugâ consuleret. Arminius à suis occiditur anno rebellionis 12. ætatis 37. Romæ sæuitum est in Iudæos, quorum Pontifex à Valerio Grato Iudææ Procuratore constitutus est Ioseph Caïphas ad annos 17 Fenestella historiarum scriptor septuagenarius moritur, sepelitúrque Cumis.

Anno Christi XX. Tiberius Imperator multos Reges ad se per blandimenta euocatos nunquam remisit, in quibus & Archelaum Cappadocem, cuius regno in prouinciam verso, Mazacam Cæsaream iussit appellari. Hæc Eusebius ad hunc annum, quæ alij triennio anteuerterunt. Piso Romam reuersus de nece marito illata postulatur ab Agrippina Germanici vxore, séque interficit. Germanicum pro Rostris laudat Tiberius.

ANNO CHRISTI XXI. Olymp. CC. primo, Pompeij theatrum Romæ incensum. *Gallica seditio repressa, victus & ad necem adactis eius incentoribus, Iulio Sacrouiro Æduo, & Iulio Floro Treuerico.*

Anno

Anno Christi XXII. Tiberius Druſum filium conſortem regni facit, & ob Liuiæ matris ſuæ morbum Romam redit.

Anno Christi XXIII. Ælius Seianus Præfectus Prætorio Druſum Cæſarem Imperatoris filium veneno tollit, Liuillæ eius coniugis operâ, tum Germanici familiam amicóſque omnes perdere ſatagit.

Anno Christi XXIV. Tacfarinatis morte ſedata tandem Numidarum rebellio eſt. Q. Haterius promptus & popularis Orator, vſque ad 90. prope ætatis annum in ſummo honore conſeneſcit.

Anno Christi XXV. Olymp. CCI. primo, Tiberius multos inſontes ad necem adigit, & inter alios Cremutium Cordum nobilem Hiſtoricum. Strabo Cappadox Geographus inſignis hoc circiter tempore obiiſſe dicitur. Philippus Tetrarcha Herodis Aſcalonitæ filius Paneadem, Cæſaream Philippi vocauit, & Iuliadem aliam ciuitatem.

Anno Christi XXVI. Tiberius Româ decedit, non ampliùs ad eam rediturus. Pontius Pilatus in Iudæam Procurator mittitur hoc vel ſequenti anno, eámque nouennio regit. Poppeus Sabinus de Thracibus domitis triumphat.

Anno Christi XXVII. ruit Fidenis Amphitheatrum, cuius ruina 50000. hominum oppreſſiſſe dicitur. Romæ verò vehemens coortum eſt incendium, dum Capreis Imperator rapacitatem, ſæuitiam, & infandas libidines tegit. *Votienus Montanus Narbonenſis Orator in Balearibus inſulis moritur, illuc à Tiberio relegatus.*

Anno Christi XXVIII. Agrippina Germanici Cæſaris & Agrippinæ ſenioris filia Cneo Domitio Neroni nubit. Creditur hoc circiter tempore è viuis abiiſſe S. Ioſephus B. Virginis ſponſus. Herodes Antipas Aſcalonitæ filius Tiberiadem condidit & Liuiadem. Friſij à Romanis deficiunt, eóſque prœlio vincunt.

Anno Christi XXIX. Olymp. CCII. primo, Tiberij Imperatoris 15. Coſſ. Geminis Caio Rubellio & Caio Fuſio, S. Ioannes Zachariæ filius ex eremo prodit ad fluenta Iordanis, multóſque baptizat. Liuia Tiberij mater, quæ in nummis Diua Iulia Auguſta dicitur, mortua eſt annos nata 86.

Anno Æræ Christianæ XXX. CHRISTVS IESVS annum agens ætatis trigeſimum, à quatuordecim duntaxat diebus inchoatum, Coſſ. M. Vinitio Quartino & C. Caſſio Longino,

(quorum meminit Velleius Paterculus, qui hîc desiit) 6. die mensis Ianuarij anni Iuliani LXXV. baptizatur in Iordane à S. Ioanne Zachariæ filio; tum secedit in desertum, esurit, tentatur, D. Petrum aliósque Apostolos vocat, in Cana Galilææ aquam vertit in vinum, Hierosolymam venit ad primum Pascha τ῀ χηρύξεως, quod contigit die 7. Aprilis, feriâ 6. Iudæam peragrat, baptizantibus eius discipulis; missóque in carcerem Herodis Antipæ iussu S. Ioanne Baptistâ, per Samariam pergit in Galilæam, & Capharnai viciníque in locis præclara edit miracula.

ANNO CHRISTI *eúique vulgaris Æræ* XXXI. Coss. Tiberio & Seiano, Dominus IESVS Galilæam obit, docet, sanat, vsque ad secundum τῆς χηρύξεως Pascha, quod contigit die 26. Martij, feria tertia. Ad Probaticam piscinam Hierosolymis sanatur paralyticus, Discipuli spicas vellunt in Sabbato deuteroproto, sermonem habet Christus in monte, seruum Centurionis morbo liberat, filium viduæ suscitat, multas edisserit parabolas, Discipulos mittit ad prædicandum, Ioannes verò suos ad Christum allegat, ac paullò post Herodis Antipæ iussu obtruncatur. Nero Germanici filius in insula Pontia perit. Ælius Seianus vnis ad Senatum Tiberij litteris accusatus damnatúsque, die 18. Octobris summa cum ignominia necatus est, gaudentibus bonis omnibus. Ex Philone in libro Legationis II. scribit Eusebius, hunc instantissimè apud Tiberium egisse, vt gentem Iudæorum deleret.

Anno Christianæ Æræ XXXII. Coss. C. Domitio Aheno-barbo & Aulo Vitellio, secedit Christus in desertum trans mare, populum pascit, tempestatem sedat, non vult ire ad tertium Pascha τῆς χηρύξεως, quod contigit die 14. Aprilis, feria secunda, Cananææ filiam sanat, Petrum designat Ecclesiæ supremum caput, transfigurat se in monte Thabor, ascendit Hierosolyma mediante festo Scenopegiæ, cæcigenam illuminat, multa Iudææ loca obit, tum ad Encænia venit in vrbem mense Decembri, vbi tantumnon à Iudæis lapidibus obrutus est. De Sibyllarum libris recipiendis in Senatu actum, teste Tacito libro sexto Annalium, vbi etiam narratur mors Lucij Pisonis Præfecti Vrbis. Cassius Seuerus Orator egregius 25. exilij sui anno in summa inopia moritur.

Anno Christianæ Æræ XXXIII. Coss. Seruio Sulpitio Galbâ, *qui prouinciæ Aquitaniæ anno ferè præfuerat, vt discimus ex Tranquillo cap. 6.* & L. Cornelio Sylla, digressus Hierosolymis Christus in deserto agit, tum Lazarum à mortuis excitat circa initium Martij mensis, secedit in oppidum Ephrem, vnde veniens excipitur Ierichunte à Zacchæo, curat cæcos, & ante sex dies Paschæ Martij 28. cœnans in domo Simonis leprosi à Magdalena perungitur, die sequenti Martij 29. vrbem ingreditur, populo cum ramis comitante. Die Aprilis secunda, Nisan 14. Christus duos è Discipulis misit ad parandum Pascha ὃ σωρώσιμον, quod peregit eodem, vt plerique volunt, cum Iudæis die, venerabilem Eucharistiam instituit, orat, capitúrque in horto Getsemani; sequenti verò die Nisan 15. Aprilis mensis 3. feriâ 6. in quarto anno septuagesimæ Danielis hebdomadæ Pontio Pilato atque Herodi Regi sistitur, flagellatur, sentibus coronatur, crucíque affixus in Caluariæ monte hora nona expirat, cùm annos vixisset solidos 32. trésque insuper menses, aut solidos 33. cum aliquot diebus, si ab ipsa in vtero B. Virginis Incarnatione putare quis velit.

Neque hoc omittendum, annum Vrbis cond. DCCLXXXVI. & Olympiadis CCIII. primum post Christi passionem iniisse, proindéque rectè dictum à Phlegonte, Castore, Tertulliano, Origene, Eusebio, Eustathio, Hieronymo, Chronico Alexandrino, Philopono, aliísque antiquis Scriptoribus horrendam illam Eclipsim Solis ἐπὶ τιβέρτου ὀλυμπιάδος σβ'. contigisse. Verba Eusebij, quanquam alieno inserta loco, ad annum scilicet Æræ Christianæ 31. biennio citiùs quàm oporteat, placuit adscribere: *Quo tempore etiam in Ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperimus:* Solis facta defectio; Bithynia terræ motu concussa, & in vrbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt. *Scribit verò super his & Phlegon, qui Olympiadum egregius supputator est in* 13. *libro ita scribens:* quarto autem anno CCII. Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta est. Dies horâ 6. ita in tenebrosam noctem versus, vt stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicænæ vrbis multas ædes subuerterit. *Hæc supradictus vir.*

Resurrexit Christus Aprilis die quinta, ascendit in cælum 14. Maij, Spiritum sanctum in Discipulos misit 24. eiusdem mensis, horâ diei 3. ipsa sacra apud Iudæos Pentecostes die.

Prædicant exinde contribulibus ſuis Apoſtoli, pro nomine IESV contumeliam paſſi exultant, creant ſeptem Diaconos, quorum princeps S. Stephanus eodem anno (neque tamen, vt plerique vulgò ſentiunt, die Decembris 26.) lapidibus obruitur: diſperguntur in vicinas ciuitates Diſcipuli præter Apoſtolos, à quibus S. Iacobus Alphæi filius, frater Domini dictus, creatus eſt primus Hieroſolymorum Epiſcopus. *Multi hoc ferè tempore Martham & Mariam Magdalenam Lazari à mortuis excitati ſorores, vnà cum ipſo fratre, Maximino, Sedonio, Marcella ancilla, aliíſque in Galliam Narbonenſem appuliſſe cenſent, & Maſſiliam, Aquas Sextias, Taraſconem, ac vicina loca inſediſſe.* De Iacobo Zebedæi filio, de Columna Cæſar-Auguſtana ac ſimilibus, viderint Hiſpani, quibus Flauij Dextri & Iuliani Chronica, ſimiléſque libri fabulis refertiſſimi ſæpius illuſere, & cum hiſtorica veritate componant. Tiberius interim in Druſum Germanici Cæſaris filium, eiúſque matrem Agrippinam ſeniorem, & plurimos alios ſæuit: Druſillæ verò & Liuiæ ſiue Iuliæ, eiuſdem Germanici filiabus, maritos aſſignat.

Anni ſequentis, qui eſt Æræ Chriſtianæ XXXIV. die Ianuarij menſis 25. miſſus Damaſcum à ſummis Iudæorum Pontificibus Saulus ex equo deiicitur, & ad fidem Chriſti conuerſus, ex perſecutore factus eſt prædicator. Philippus Diaconus Samariæ Chriſtum annunciat, & Æthiopem Eunuchum Candacis Reginæ baptizat. S. Petrus Simonem Magum ſeuerè increpat. Phœnix auis in Ægypto hoc anno viſa dicitur: nec deſunt qui aſſerant, Tiberium decreuiſſe pœnam τοῖς Χριστιανοκατηγόροις. Euſebius in eam rem hæc habet ad ann. Æræ vulgaris XXXVI. Pilato de Chriſtianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius retulit ad Senatum, vt inter cætera ſacra reciperetur. Verùm cùm ex conſulto Patrum Chriſtianos eliminari Vrbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem. Scribit Tertull. in Apologetico.

Anno Chriſti XXXV. Perſius Flaccus Satyricus Poëta Volaterris naſcitur. Herodis Aſcalonitæ ex filio nepos Agrippa ſenior, Herodis Tetrarchæ Antipæ vulgò dicti accuſator, Romam profectus à Tiberio in vincula conjectus eſt.

Anno Chriſti XXXVI. S. Petrus Lyddæ Æneam paralyticum ſanat, viſione lintei conuerſionem gentium diſcit, Cornelium Centurionem Cæſareæ baptizat, &c. quæ in Actibus

Apoſtolorum pleniùs exponuntur. Tiridatem Parthis deſignatum à Tiberio Regem Vitellius Syriæ Præſes cum exercitu duxit ab Artabano breui expellendum. Marcellus Iudææ præficitur, miſſo Romam Pontio Pilato, redactóque in ordinem Caïpha, ſubrogatur in locum ſummi Pontificis Ionathas Annæ ſiue Anani filius.

Anno Chriſti XXXVII. Olymp. CCIV. primo, S. Paulus ad necem à Iudæis quæſitus, Damaſco venit Hieroſolymam ad S. Petrum, cum quo manſit diebus 15. inde Cæſaream, & poſtea Tarſum abiit. Thraſyllus Mathematicus floret. Tiberius Imperator obiit Capreis die 16. Martij, cùm vixiſſet annos 77. dies 120. imperaſſet verò annos 22. menſes 6. dies 28. CAIVS, Caligula dictus, Germanici Cæſaris & Agrippinæ filius, ſuccedit ad annos 3. cum menſibus 10. Hic è carcere ſummo cum honore eductum Herodem Agrippam ſeniorem Ariſtobuli filium, Herodis Aſcalonitæ nepotem, duabus Tetrarchiis Philippi atque Lyſaniæ donat, addito Regis nomine, ac pro ferrea catena quâ fuerat vinctus, auream illi eiuſdem ponderis iniecit. Tiberium verò Gemellum, Tiberij ex Druſo filio nepotem interfici iuſſit. Caius.

Anno Chriſti XXXVIII. Herodes Antipas fortunis omnibus ſpoliatus, cum vxore Herodiade *Lugdunum Galliæ amandatur*, vbi mœrore contabuit. Ipſe quoque Pontius Pilatus in multas incidens calamitates propria ſe manu interficit, αὐθέχειρ ἑαυτὸν ἐγένετο, quod ſub anni ſequentis periocha ſcriptum in Romanorum hiſtoriis monet Hieronymus. Caïpham pariter ſibi mortem conſciuiſſe teſtis eſt Clemens Romanus initio lib. 8. Conſtitution. Apoſtol. & Nicephorus lib. 2. cap. 10. refert ſocerum eius Annam ſiue Ananum malè periiſſe. Macronem necat Caius, cuius ope factus fuerat Imperator. Paſſienus filius fraude heredis ſuæ è medio tollitur. Flaccus Auilius Præfectus Ægypti multis Iudæos calamitatibus premit, conſentiente Alexandriæ populo, & crebris aduersùm eos clamoribus perſonante. Synagogas quoque eorum imaginibus, ſtatuis, aris, & victimis polluit. Refert Philo in eo lib. qui Flaccus inſcribitur, hæc omnia ſe præſente geſta; ob quæ etiam legationem ad Caium Cæſarem ipſe ſuſcepit. Huius verò, aut vt alij volunt, ſuperioris anni die 22. Febr. S. Petrus Antiochiam Orientis metropolim adiit, ibíque Epiſcopalem cathedram conſtituit.

Anno Christi XXXIX. Caius Petronio Præfecto Syriæ præcepit, vt Hierosolymis statuam suam sub nomine Iouis Opt. Max. poneret, totóque orbe Romano, sicut Philo scribit & Iosephus, in Synagogis Iudæorum statuæ, & imagines, & aræ Caij Cæsaris consecratæ. Post Marcellum Pilato suffectum Procuratores Iudææ memorantur Cuspius Fadus, Cumanus, Felix, Festus, Albinus, & Florus, cuius anno 2. cœpit Iudaicum bellum, vt paullò pòst dicemus. Imperator Baias, Puteolósque 3600. passuum mole coniunxit, & stupris, cædibus, proscriptionibúsque omnia miscuit. Domitius Afer Orator egregius à Caio accusatus ingeniosâ tergiuersatione salutem sibi peperit.

Anno Christi XL. Agabus Propheta famem prædixit. S. Barnabas Tarsum profectus, B. Paulum Antiochiam perduxit, qua in vrbe primùm Discipuli dicti sunt Christiani. S. Matthæus primus omnium Euangelium scribit. Philo à Iudæis gentilibus suis legatus Romam mittitur ad Caium Imperatorem, *cuius memoratur eodem anno ludicra in Gallias ad Britannici freti littus expeditio. Superest hoc etiam tempore prope Bononiam, siue Gessoriacum nauale, turris Caligulæ à Suetonio memorata, quæ nunc ab Ordine cognomen habet.*

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ XLI. Caius Caligula, cùm plurimos nobilium interfecisset, sororésque suas, quibus stuprum intulerat, insularum exilio condemnasset, omnes deinde exules iussisset necari, die 24 Ianuarij à Chærea Cassio Tribuno cohortis Prætoriæ aliísque coniuratis protectoribus suis in palatio occiditur, anno ætatis 29. imperij 4. à 10. mensibus, diebúsque aliquot inchoato. Successit eius patruus Tiberius
Claudius CLAVDIVS Drusus Nero, Drusi, *qui apud Moguntiacum monumentum habet*, filius, & Germanici frater; cuius imperium, vel ab illo 24. Ianuarij die, vel à Kal. Februarij exurgit. Herodi Agrippæ regnum augetur à Claudio, adiectis Iudææ, Samariâ, Abilinâ, totáque ad Libanum regione. S. Paulus cum Barnaba Hierosolymam secundò venit. S. Iacobus Zebedæi filius gladio feritur pridie Paschæ. S. Petrus ab Angelo liberatus è carcere peragrat Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, &c. reliqui verò Apostoli occasione eiusdem persecutionis Iudæa excedunt, & in suas quique prouincias, collato priùs inter se

Fidei Christianæ Symbolo proficiscuntur, quod factum die 15. Iulij Martyrologia quædam tradunt. S. Thadæus Edessam Syriæ profectus, Abagarum, qui ad Christum, & ad quem Christus scripsisse dicitur, ad fidem conuertit. Titus Vespasiano patre nascitur die 30. Decembris, Olympiadis CCV. primo à 6. ferè mensibus iam labente.

Anno Christi XLII. Rapitur in tertium cælum S. Paulus, Seleuciam cum Barnaba & in Cyprum venit, vbi Sergius Paulus Proconsul ad Christum conuersus, tum iterum transmisso mari Pergen Pamphiliæ, Antiochiam Pisidiæ, Iconium, Derbem, Lystram, Attaliam, tandémque Antiochiam, vnde primò fuerant ad opus profecti. Simon Magus ex Oriente Romam venit, vbi multi à Claudio eiúsque coniuge Messallina necati, & portus ad ostia Tiberina ingenti sumptu ampliór factus. Prophetia Agabi, quâ in Actis Apostolorum famem in toto orbe futuram prædixerat, expletur.

Anno Christianæ Æræ XLIII. die 18 Ianuarij S. Petrus Apost. princeps Romæ sedem Episcopalem constituit, Claudio Cæsare III. & L. Vitellio Coss. tenuítque integris annis 24. relicto Antiochiæ successore Euodio. Verba Eusebij siue Hieronymi non omittam: Petrus Apostolus, cùm primus Antiochenam fundasset Ecclesiam, Romam mittitur, vbi Euangelium prædicans 25. annis eiusdem vrbis Episcopus perseuerat: quibus Catholici omnes cordatíque doctores subscripserunt, exceptis tenebrionibus nonnullis Lutheri Caluiníque gregalibus, quibus volupe est antiquitatem omnem illotis pèdibus obterere. S Petrus primam scribit epistolam Babylone, vt vocat, hoc est omnium vanitatum profanarum amplissimo theatro, eiusdémque iussu S. Marcus Euangelium vulgat, tum Ægypto & Alexandriæ Christum annunciat. Herodes Agrippa senior Rex Iudæorum Cæsareæ ab Angelo ob superbiam percussus interiit σκωληκόβρωτος, scatentium è corpore vermium tabe confectus, exeunte hoc anno, aut sequentis initio: Agrippa minor patri succedit in rebus priuatis natus annos 17. eiusdémque, donec adolesceret, regno Procurator à Cæsare datus est Cuspius Fadus. Claudius Imperator ab Aulo Plautio vocatus in Britanniam, cùm in ea diebus duntaxat 16. versatus esset, vniuersam domuit, & Orchadas insulas Romano adiecit Imperio.

Anno Christi XLIV. Claudius Imp. de Britannis triumphat, & Rhodiis libertatem adimit. *Domitius Afer Nemausensis clarus Orator habetur, qui postea Nerone regnante ex cibi redundantia in cœna mortuus est. Clodius Quirinalis Rhetor Arelatensis Romæ insignissimè docet.*

Anno Christi XLV. Olymp. CCVI. primo, Iuliano XC. Claudij Cæsaris 5. Coss. Vinitio II. & Statilio, maxima Solis eclipsis contigit Kalendis Augusti, ipso natalis Imperatoris die, feriâ 5. quam programmate publicè affixo denuntiauit, explicatâ eius naturali causâ, ne populus ominosam Principi ratus, eo nomine turbas excitaret. Antipater hoc anno Archon Athenis fuit, vt docet Phlegon cap. 6. libri de Mirabilibus, qui T. Statilium Taurum superioris anni Consulem pro M. Vinitij collega M. Statilio Coruino posuit. Theudas Pseudopropheta hoc circiter tempore à Cuspio Fado Iudææ Procuratore oppressus est.

Anno Christi XLVI. duæ insignes memorantur Lunæ eclipses: prima die 11. Ianuarij, altera die vltima Decembris, qua nocte inter Theram in Ægæo mari & Therasiam exorta est insula habens stadia 30. *Hoc anno multi censent missum à S. Petro in Aquitaniam S. Martialem vnum ex 72. Discipulis Domini cum sociis Alpiniano & Austricliniano. Idem alij de Vrsino, Austremonio, &c. de quibus postea.*

Anno Christi XLVII. Vrbis cond. DCCC. ludi Sæculares celebrati sunt à Claudio Imperatore, ipso IV. & L. Vitellio III. Coss. Valerius Asiaticus superioris anni Consul, & alij Valeriæ Messalinæ coniugis Claudij famosissimæ artibus periere. *Italus Flauio Arminij fratre ex matre Catumeri Cattorum Principis filia genitus, Cheruscis petentibus, Rex datus est à Claudio. Chaucos duce Gannasco Caninefate rebellantes Corbulo reprimit, Frisiosque componit, & inter Mosam & Rhenum per 23. milliaria fossam ducit.* Titus patrem Vespasianum circumuentum ab hostibus morte eripit. Curtius Historicus floret, is qui de Alexandro Magno politissimè scripsit. Thracia huc vsque regnata in prouinciam redigitur. Sub Procuratore Iudææ Cumano Tiberij Alexandri successore in diebus Azymorum tanta est Hierosolymis orta seditio, vt in portarum exitu populo corruente triginta millia Iudæorum perierint.

Anno Christi XLVIII. Valeria Messalina adulteriis infamis,

cùm

cùm C. Silio Equiti palam nupsisset, iussu Imperatoris tandem hoc anno cum adultero necata est. Descriptione Romæ factâ, inuenta sunt ciuium Romanorum sexagies nouies centena & quadraginta quatuor millia. Agrippa iunior regnare incipit donato sibi ab Imperatore Chalcidis regno, quod patruus eius Herodes per multos annos obtinuerat. *Ædui primoréque è Gallia Comata plenum ius ciuitatis Romanæ impetrant.* Palæmon Vicetinus insignis Grammaticus Romæ habetur, cum quo grauissimas inimicitias exercuisse dicitur Marcus Antonius Liberalis Latinus Rhetor.

Anno Christi XLIX. Olymp. CCVII. primo, quam publicis actis populi Romani signatam memorant, Q. Verannio, C. Pompeio Gallo Coss. Orta Antiochiæ inter Fideles de Circumcisione, aliisque Legalibus Ceremoniis controuersiâ, mittuntur Paulus & Barnabas Hierosolymam ad Apostolos. (Petrus enim cum aliis Iudæis vrbe Romana pulsus iussu Claudij, in Palæstinam excurrerat, vt nec ipsi diffitentur nouatores sectarij.) Decretum primi illius, vt quidam appellare non verentur, Oecumenici Concilij, de graui Mosaïcæ Legis iugo Christianis fidelibus non imponendo habes Actorum cap. 15. in hæc verba, quæ literas Apostolicas seu Synodicam à Concilio ad Antiochenos missam claudunt: Visum est SPIRITVI SANCTO ET NOBIS, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria; vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos bene agetis. Valete. Antiochiâ Barnabas cum Ioanne Marco pergit in Cyprum; Paulus verò cum Sila perambulat Syriam & Ciliciam, Lystræ circumcidit Timotheum, transitáque Asiâ venit in Samothraciam, Neapolim, Philippos, Thessalonicam, Berrhœam, & tandem Athenas. Iuliam Agrippinam Germanici fratris sui & Agrippinæ senioris filiam Claudius vxorem ducit, quæ suo & Domitij Ahenobarbi filio Domitio Neroni M. Ann. Senecam præceptorem adiunxit ab exilio reuocatum. Imperator pomœrium Vrbis auxit.

Anno Christi L. S. Paulus Athenis in Areopago perorat, ac Dionysium Senatorem, aliósque ad Christi fidem conuertit; tum Corinthum venit, vnde priorem ad Thessalonicenses scribit epistolam. *Agrippina in oppidum Vbiorum ad Rhenum veteranos & Coloniam deduci imperat, vnde vrbi inditum nomen.* Filium eius

Neronem Claudius adoptat. Vannius Sueuorum Rex pellitur, auctoribus Iubillio Hermundurorum Rege, & Vangione ac Sidone Vannij sorore genitis. Catti & Britanni domiti.

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ LI. S. Paulus Corinthi ad tribunal Gallionis Achaiæ Proconsulis Senecæ fratris ducitur; scribit secundam ad Thessalonicenses; inde abitutus tondet caput in Cenchreensi portu Corinthiorum ad mare Ægæum, peractísque variis peregrinationibus redit Ephesum, vbi tres annos se consedisse testatur. Claudius Felicem Procuratorem Iudææ mittit, inquit Eusebius: apud quem Paulus Apostolus accusatus in defensionem sui post aliquot annos perorauit. Sunt tamen qui Ventidij Cumani, cui Felix suffectus est à Quadrato Syriæ Præside, exauthorationem atque exilium in annum sequentem differant. Nero virili togâ donatur cum Proconsulari extra Vrbem imperio, & nuncupatus est Princeps iuuentutis.

Anno Christi LII. S. Philippus Apostolus apud Hierapolim Phrygiæ cruci affixus lapidibus necatur. Claudius inter Fucinum lacum & Lirim Campaniæ fluuium celebrem edidit Naumachiam. Mathematici Vrbe & Italia SC. ejecti.

Anno Christi LIII. Olymp. CCVIII. primo, S. Paulus Ephesi cum bestiis pugnat, dæmonásque & languores verbo, manu, sudariis, semicinctísque expellit. Sub Felice multi in Iudæa extiterunt, qui populum sua persuasione deciperent; in quibus & Ægyptius quidam Pseudopropheres fuit, qui plurimos sibi associans, in ipso magnarum rerum conatu per exercitum Felicis oppressus est. Domitius Nero Octauiam Claudij & Messalinæ filiam ducit vxorem anno ætatis 17. & immunitatem Ilienſibus impetrat.

Anno Christi LIV. Claudius Imperator moritur die 13. Octobris, veneno, vt creditur, sublatus, cùm vixisset annos 63. menses 2. cum aliquot diebus; imperasset annos 13. menses
Nero. 8. dies 20. Succedit Claudius Drusus NERO, qui ante adoptionem L. Domitius Ahenobarbus dicebatur, anno ætatis 18. imperauítque annis 13. mensibus 7. diebus 28. S. Paulus Ephesi primam ad Corinthios scribit epistolam, atque excitatâ per Demetrium argentarium seditione, in Macedoniam concedit, vnde primam ad Timotheum exarauit Ephesi relictum

Episcopum : dein Cretam inuisit, cui Titum præfecit Antistitem. Domitius Corbulo in Armeniam missus aduersùs Parthos, restitutâ militari disciplinâ, eorum seqq. annis ferociam sæpe fregit. Felice Iudæam regente seditio in Cæsarea Palæstinæ orta magnam Iudæorum multitudinem perdidit.

Anno Christi LV. Iuliano centesimo, Neronis primo ab aliquot mensibus labente, Britannicus Claudij & Messalinæ filius veneno perimitur. Paulus Apostolus peragrans Græciam Nicopoli scribit ad Titum Cretensium Episcopum, indidémque, vt videtur, secundam ad Corinthios, ad quos etiam subinde profectus, scribit ad Romanos è portu Cenchreensi; tum Philippos, Troadem, Asson, Mitylenen, Chium, Samum, Miletum, (vbi Ephesinis ad se vocatis extremum vale dixit) Coum, Rhodum, Pataram, Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream venit, & post prædicta ab Agabo vincula, sub Pentecostem quartâ post conuersionem vice ascendit Hierosolyma: ibi ereptus è Iudæorum manibus, à Tribuno vinctus mittitur Cæsaream ad Felicem: coram illo, eiúsque successore Portio Festo, Agrippa Rege iuniore, eiúsque coniuge Berenice religionis suæ rationem exponit, tum ad Cæsarem, quem appellarat, nauigans, appellit Sidonem, Cyprum, Lystram, & naufragium passus Melitam insulam tenet, viperam excutit, patrem Publij insulæ Principis febribus & dysenteria vexatum sanat &c.

Anno Christi LVI. post tres menses ex insula Melita S. Paulus deuehitur Syracusas, inde Rhegium, & Puteolos, tandem Romam ipsam terrestri itinere, vbi in conducta domo manere biennio permissus, Iudæis quampluribus Christi fidem explicuit, auxilióque supremi numinis ex ore leonis, vt loquitur, ereptus, scribit epistolas ad Philippenses, ad Ephesios, ad Timotheum secundam, ad Colossenses, ad Philemonem, ad Hebræos, necnon ad Galatas, vt Græca & Syriaca habent exemplaria. S. quoque Lucas hoc tempore videtur Euangelio scribendo operam nauasse, quanquam non desint, qui priùs, quàm ipsa Acta, atque aliquot antè annis conscriptum illud affirment. Certè Eusebius lib. 6. cap. 13. ex Clemente Alexandrino refert traditionem τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων docere πρότερον γεγράφθαι τὰ περιέχοντα τὰς γενεαλογίας, hoc est Matthæi & Lucæ, deinde Marci ac Ioannis. Probus Berytius eruditissimus Grammaticorum Romæ agnoscitur.

Anno Christi LVII. Olymp. CCIX. primo, obitus sanctissimæ Virginis Deiparæ MARIÆ anno ætatis 72 consignari potest, siquidem vt ex Euodio referunt, annos nata 15. Christum Dominum in lucem ediderit. Nero Amphitheatrum in Campo Martio exstruit; & stupris, cædibus, nocturnisque grassationibus ad maiora scelera exercetur. *Statius Vrsulus seu potiùs Surculus, Tolosensis, celeberrimè in Gallia Rhetoricam docet, quem quidam inscitè cum Statio Papinio Poëta confundunt.*

Anno Christi LVIII. Vrbis cond. DCCCXI. dimissus à Nerone S. Paulus petiisse creditur à quibusdam *Galliam Narbonensem*, atque Hispaniam. Corbulo vrbem Armeniæ Artaxata capit inuadítque. Ficus Ruminalis post annos 831 quàm Romulum Remúmque texerat, exaruit. Nero Poppææ Sabinæ amore captus, Othonem eius maritum Lusitaniæ præfecit. *Paullinus Pompeius Germaniæ inferioris Proprætor aggerem in laua Rheni ripa, à Druso aliàs inchoatum, absoluit. Lucius Vetus Mosellam & Ararim iungere fossâ designauit, sed non perfecit. Frisiorum legati duo Romam missi, ciuitate Romana ab Imperatore donantur. Ansuarij vincuntur, & Iubonum ciuitas igne è terræ visceribus erumpente affligitur.*

Anno Christi LIX. Agrippinam matrem suam, omni priùs honore destitutam, & palatio pulsam, Nero interficit die 10. Iunij, approbante per adulationem Senatu. *Lugduni ingens desæuiit incendium.* Solis defectio die 30. Aprilis, Vipsanio & Fonteio Coss. Plinio seniori memorata, necnon Tacito, aliisque. Eusebius ante biennium collocauit.

Anno Christi LX. Corbulo Armenis deuictis Tigranem Regem imponit. Festo Iudææ Magistratui siue Procuratori succedit Albinus. Imperator Romæ quinquennale ludicum ad morem Græci certaminis instituit, & citharâ contendens alios superat, tantæque fuisse luxuriæ dicitur, vt frigidis & calidis lauaretur vnguentis, retibúsque aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebat. S. Andreas Apostolus Patris in Achaia cruci decussatæ affixus obiisse dicitur die 30. Nouembris. Consule Acta à testibus, vt volunt, oculatis Achaiæ Presbyteris conscripta. Sunt quoque qui eodem anno die 21. Decembris S. Thomam Indorum Apostolum asserant Meliapore lanceis fuisse confossum.

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ LXI. Olymp. CCX. primo, Suetonius Paulinus ingentem suorum cladem virtute sua hostibus reposuit, cæsis octoginta Britannorum millibus, & Monâ insula Britannici maris occupata. In Cypro S. Barnabas die 11. Iunij, Alexandriæ S. Marcus die 25. Aprilis, in Persida SS. Simon & Iudas 28. Octobris dicuntur pro Christo mortem oppetiisse: verùm Aniani primordia Alexandrini Episcopatus in sequentem annum ab Eusebio conferuntur, quo dies 25. Aprilis in Dominicam incurrit.

Anno Christi LXII. S. Iacobus Alphæi filius frater Domini, quem omnes Iustum appellabant, nos vulgò Minorem dicimus, primus Hierosolymorum Antistes, anno currente Neronis 8. ante Iudaici belli initium 4. Kal. Maij, è summa Templi pinna deiectus, à Iudæis lapidibus oppressus, & fullonis fuste trucidatus est; in cuius thronum Simeon, qui & Simon, secundus assumitur. Rusticus quidam imminentem Solymis cladem prædicit, Væ væ inclamans. Octauiam Claudij & Messalinæ filiam inducta Poppæa Saluij Othonis vxore expulit Nero, & in insulam Pandatariam relegatam occidit. Burrhum Præfectum Prætorio veneno sustulit, substitutis in eius locum Fenio Rufo & Tigellino. Ordinariis Consulibus Mario & Asinio suffecti sunt Senęca & Trebellius, à quo SC. Trebellianum de actionibus à Fideicommissariis in heredes transferendis originem nomenque accepit. Persius Poëta Satyrarum scriptor annos natus 29. moritur die 24. Nouembris huius vel proximè sequentis anni: ex Eusebio & Vetere illius Scholiaste.

Anno Christi LXIII. Res Romanas in Oriente Cæsennij Pæti culpa collapsas restituit Corbulo, represso Vologese Parthorum Rege, qui fratrem suum Tiridatem Armenia pulsum restituere satagebat. Curtio Syriæ cura mandatur. *Alpium maritimarum populi iure Latij donantur.* Neronianæ Thermæ construuntur. *Vibius seu Didius Auitus Præses Aquitaniæ prouinciæ erat, cùm Zenodorus Mercurij statuam insanæ molis in Aruernis per* 10. *annos elaborauit: teste Plinio.*

Anno Christi LXIV. Nero vt similitudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ vrbis incendit, atque vt inuidiam à se in Christianos tanquam auctores tanti sceleris amoliretur, plurimos ex iis grauissimis subiecit supplicijs. Vnde prima exarsit Persecutio ab Imperatoribus Romanis

in Christi cultores publico edicto decreta : videndi Tacitus, Suetonius, Dio, præter Tertullianum, Lactantium, Eusebium, Orosium, Martyrologia die 24. Iunij, aliósque Christianos Scriptores. In Asia tres vrbes terræ motu conciderunt Laodicea, Hieraplis, & Colossæ. Gessius Florus Albino succedit in Procuratione Iudææ, cuius sæuitiâ & importunitate Iudæi ad rebellionem adacti fuêre, vel sequenti anno, vt plerique sentiunt; vel certè post biennium, vt multa insinuare videntur ex Iosepho petita argumenta.

Anno Christi LXV. Olymp. CCXI. primo, quam non esse actam notat Eusebius, Nerone in suam præsentiam differente, duásque tantùm sub eo factas fuisse prouincias Pontum Polemoniacum, *& Alpes Cottias, Cottio Rege defuncto.* Flori tyrannidem Iudæi pertæsi, post varia prodigia, de quibus Iosephus, mense Maio à Romanis deficiunt, Ananiam summum Pontificem proximo Septembri occidunt, & Cestium Gallum Syriæ legatum à suis mœnibus repellunt, cæsis Romanorum militum quinque aut sex millibus: dein duces belli eligunt, in quibus Iosephus Gorionis filius, Historicus nominatissimus. Interim Romæ coniuratione detectâ Piso morti traditur cum Plautio Laterano Consule designato, L. Vetere, M. Annæo Seneca, Lucano, aliísque pluribus. Iunius Gallio frater Senecæ, Declamator insignis, propriâ se manu interficit. Nero Poppæam vxorem prægnantem ictu calcis perimit : *cladem Lugdunensem quadragies sestertio solatur*, & in Olympiade coronatur, cerycas, citharistas, tragœdos, aurigas vario certamine superans. Vt scribit Eusebius, qui etiam post Tacitum, aliósque monuit, eundem in Græcia anno seq. Isthmia, Pythia, & Actia celebrasse.

Anno Christi LXVI. Baream Soranum, & Thraseam Pætum viros præstantissimos Nero sustulit, antequàm in Græciam profectionem adornaret : idem in Iudæam ex Achaia Vespasianum misit, cuius filius Titus Alexandriam venit, vt inde legiones deduceret hyemali tempore. Reuocatus ex Oriente per speciem honoris Domitius Corbulo occidi iussus, sibi ipsi in Cenchreis haud procul Corintho mortem conscisuit. Apostoli in Mamertinum carcerem Romæ coniecti sunt: Paulus quidem, quòd pellicem Neroni subtractam adiunxisset cultui Christi : Petrus autem, quòd deiecisset ex alto Si-

monem Magum: inde scripsisse videntur Petrus secundam Canonicam epist. & Paulus ad Timoth. alteram. Eodem anno Romam venisse perhibentur Apollonius Tyaneus magus alter per ea tempora famosissimus, & Tiridates Armeniæ Rex.

Anno Christi LXVII. Vrbis cond. DCCCXX. à morte Christi, siue ab eclipsi Phlegontis 35. ab exacto verò Prædicationis Christi primo anno (quem ex antiquioribus Ecclesiæ Chronographis plerique censuerunt πρωρώσιμον) 37. Coss. Capitone & Rufo, SS. Petrus ac Paulus Apostoli eodem die 29. Iunij martyrium subeunt: hic gladio percussus ad Aquas Saluias, ille inuersæ cruci affixus in Vaticano monte, cùm Romanam rexisset Ecclesiam annis 24. mensibus 5. & diebus insuper 12. Successit S. Linus, patriâ Volaterranus, Herculani filius, vt quidem doctiores quique Chonologi sentiunt hoc certè tempore: nam Nouatores non moror, qui vt in cæteris, sic in successione Romanorum Pontificum omnia perturbant. Vespasianus Iapham & Iotapatam expugnat, Flauium Iosephum belli Iudaici ducem ad deditionem compellit, qui cùm à Romanis interficiendus esset, Vespasiano prænuntiasse dicitur de morte Neronis & eius Imperio; dum Titus Galilæam subiicit, & Zelotæ Hierosolymis horrendas strages edunt. Cornutum Philosophum præceptorem Persij in exilium fugat Nero, à quo Lucius Annæus Melas Senecæ & Gallionis frater bona Lucani Poëtæ filij sui promeretur.

Anno Christi LXVIII. *Iulius Vindex Proprætor Galliarum*, Seruius Sulpitius GALBA Hispaniæ rector à Nerone defi- Galba.
ciunt. (*Legato Aquitaniæ*, inquit Tranquillus, *auxilia implorante, superuenerunt Vindicis literæ hortantis, vt humano generi assertorem ducémque se accommodaret.*) *Illum Rufus Germaniæ Præfectus oppressit:* hic mensibus 6. & diebus 7. successit Neroni, qui omnibus exosus, exeunte imperij sui anno 14. ætatis 32. cùm à Senatu quæreretur ad pœnam, è palatio fugiens, ad quartum Romanæ vrbis milliarium in suburbano liberti sui inter Salariam & Nomentanam viam semet interfecit die Iunij decimâ, atque in eo omnis Augusti Cæsaris familia consumpta est. Vespasianus occupat Gadara, plurimásque Iudææ vrbes, ipsámque metropolim Hierosolymam circumsidere molitur. Marcus Fabius Quintilianus ex Hispaniis Romam à Galba perducitur.

Annus Christi LXIX. in quem incidit Olymp CCXII. primus, quatuor vidit Imperatores: nam Galbâ cum Pisone Liciniano, quem adoptarat, occiso die circiter Ianuarij mensis
Otho. 16. M. Saluius OTHO imperium occupat, obtinétque mensibus fermè tribus. Dein post 95. diem à Vitellio *inferioris Germaniæ Præfecto* victus apud Bebryacum seu Vetriacum gladio
Vitellius. se transfodit. Aulus ergo VITELLIVS imperauit ab eius ne-
Vespasianus. ce mensibus 8. & diebus 5. Interea Kalendis Iulij Flauius VESPASIANVS operâ Muciani Syriæ Præsidis Imperator acclamatur in Ægypto, cuius duces ad Cremonam in Italia Vitellianos opprimunt die 16. Octobris. Vitellius ipse rebus planè desperatis, exeunte Decembri carnificis manu perimitur, atque vnco per vrbem tractus in Tiberim proiicitur, cùm paullò ante Capitolium deflagrasset. *Nec Aquitania*, inquit Tacitus, *quamquam à Iulio Cordo in verba Othonis obstricta diu mansit: eadem formido prouinciam Narbonensem ad Vitellium vertit*, &c. *Germani cum Cattis, Batauis, Caninefatibus, aliisque ad Rhenum adsitis populis deficiunt. Claudius Ciuilis Castra Vetera obsidet, Geldubam capit.* Antiochiæ secundus post Euodium ordinatur Episcopus S. Ignatius ὁ θεοφόρος. *De primis verò apud Gallos Christianæ fidei præconibus hoc vnum possum asserere vulgarem ab octingentis, & quod excurrit, annis apud nostrates inualuisse sententiam à sanctis Apostolis, Petro ac Paulo, Clemente, aliisque Christi discipulis, aut saltem primo illo Ecclesiæ nascentis sæculo, missos fuisse trans Alpes, aut institutos primos Episcopos Vrsinum Bituricensium, Austremonium Aruernorum, Martialem Lemouicensium (qui quod Burdegalensibus quoque, ac plerisque Aquitaniæ populis Christum annuntiauerit, dictus fuit Aquitanorum Apostolus) Frontonem Petracoriensium, cuius discipulus fuerit Georgius primus Vellaunorum Præsul, Eutropium Santonensium, Nectarium Pictauorum, Ausonium Engolismensium, Cerasium Elusatium, Saturninum Tolosatium, Paulum Narbonensium, Trophimum Arelatensium, Aphrodisium Biterrensium, Rufum Auenionensium, Maximinum Aquensium, Lazarum Massilensium, Crescentem Viennensium, cuius successores fuerint, si Adoni credimus, Zacharias, Martinus, Verus, &c. Linum Vesontionensium in Sequanis, Eucharium Maternum atque Valerium, qui Treuiris, Tungrensibus, & Colonien sibus ab idolorum cultu auertendis sedulam nauarint operam, Sixtum Remorum, Memmium Catalaunorum, Lucianum Bellouacorum, Sinicium Suessionum, Regulum Siluanectentium, Santinum Meldorum, Mansuetum Leucorum, Clementem Me-*

dioma-

diomatricorum, Nicasium Rothomagensium, Taurinum Ebroicorum, Sabinianum Senonensium, cuius socij Potentianus, Odaldus &c. cum Altino & Aduentio, quos Aurelianenses & Carnotenses sibi vindicant; Gratianum Turonensium, Iulianum Cenomanorum, vt de Dionysio Areopagita primo Parisiorum Antistite, eiúsque sociis Rustico, Eleutherio, Iona, aliísque à S. Clemente in Gallias missis taceam, aliósque plures, reclamantibus nec quicquam doctissimis viris Nicolao Fabro, Iacobo Sirmondo, Dionysio Petauio, Francisco Bosqueto, Ioanne Launæo, aliísque, quorum libelli in eam rem extant nec pauci, nec ineruditi, quos per otium Lector consulet Ecclesiasticarum per Gallias Originum curiosus. Ego verò ante ipsos fermè 15. aut 20. annos, cùm maximis ab vtraque parte studiis ferueret controuersia, hoc semper in animum induxi meum, omne illud argumentum obscurum maximè atque intricatum existere, mediámque iniri viam posse, qua quis asserat, neque neglectas fuisse ab Apostolis eorúmque discipulis in tanta Euangelij luce vniuerso orbi affulgentis, & Romanæ vrbis viciniâ Gallias nostras; neque tamen martyria passim in istis prouinciis visa, aut continuatâ serie Pontificum ac certis ceremoniarum institutis fundatas Ecclesias, templa erecta, & in honorem Christi Sanctorúmque dicata, sepulcra piis hominibus ac monumenta publicis in ædibus collocata, similiáve peractâ, quæ Seuero Sulpitio, Gregorio Turonensi, aliísque grauissimis auctoribus, ad tempora M. Aurelij, Decij, & Constantini Imperatorum differenda sunt. *Quæ ego pluribus aliàs Deo dante exponam, cùm de Vrsino primo Biturigum Episcopo, cuius vel nomen ipsis ciuibus ignotum erat anno Christi 550. de Leocadio Senatore ex stirpe Vectij Epagathi, filio eius Lusore in Albis defuncto, eorumdem sepulcris ad nostra vsque tempora reseruatis, de fundata in ædibus Leocadij S. Stephani Ecclesia totius Galliæ tempore Gregorij Turonensis pulcherrima, aliísque verba faciam.*

Anno Christi LXX. à morte Christi XXXVIII. qui priscis Ecclesiæ Chronologis ex Clemente, Tertulliano, & quibusdam aliis numerabatur XL. Vespasianus Imperator, relicto in Iudæa ad prosequendum bellum Tito filio, Romam venit, tributa imperauit, Capitolij fundamenta iecit die 21. Iunij. *Galliarum defectio repressa, victique à Petilio Cereale Treuiri, qui cum Lingonibus iugum Romanorum excutere molicbantur. Ciuilis ad Nabaliam fluuium cum Cereale colloquium de pace habuit, vt recitat Tacitus, cuius hîc Annales desinunt.* Titus post 4. mensium obsidionem in Pas-

chate inchoatam, Templum Hieroſolymit. capit die Sabbati 4. Auguſti, quod poſtridie concrematum eſt, & 5. elapſis hebdomadis itidem die Sabbati 8. Septembris perrupta vrbs, captáque eſt, vt pluribus docent Ioſephus oculatus iſtarum cladium teſtis, Dio, Euſebius, Oroſius, aliíque. Aiunt vndecies centena millia fame & gladio periiſſe, & alia centum millia captiuorum publicè vænumdata. Vt autem tanta multitudo Hieroſolymis reperiretur, cauſam Azymorum ſolennitatem fuiſſe, ob quam ex omni gente Iudæa ad Templum confluentes, vrbe quaſi carcere ſunt recluſi. Oportuit enim in iiſdem diebus Paſchæ eos interfici, in quibus Saluatorem crucifixerant. Atque hic finis LXX. Danielis hebdomadum ac Iudaicæ politiæ, diſperſis in omnes oras Iudæis, & procul à patria exulare iuſſis, ac Cæſareâ maritimâ Palæſtinæ metropoli inſtitutâ. Chriſtiani verò ante obſidionem vrbis ſeceſſiſſe dicuntur ex mandato Chriſti, & Pellam trans Iordanem commigraſſe.

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ LXXI. Veſpaſianus Imperator cum filio Tito de Iudæis triumphum egit, exciſóque operâ Lupi Præfecti eorumdem Templo apud Heliopolim Ægypti vrbem, Oneo dicto, ac pacatis omnibus latè prouinciis, Iani templum clauſit, atque ædem Pacis ædificare aggreſſus eſt. Exutum pelle & capite plexum hoc anno S. Bartholomæum Apoſtolum apud Perſas quidam memorant, & anno ſequenti Meliapore in India S. Thomam.

Anno Chriſti LXXII. Ebion & Cerinthus paucis ab excidione Solymæa annis negare incipiunt diuinitatem Chriſti. *Hoc anno Veſpaſiani tertio mortem Diui Martialis Aquitanorum Apoſtoli quidam aſſignant pridie Kalend. Junij, ætatis ſuæ 59. Epiſcopatus 28. cuius ſocij Alpinianus & Auſtriclinianus: ſucceſſor Aurelianus.*

Anno Chriſti LXXIII. Olymp. CCXIII. primo, Heluidius Thraſeæ gener, ſectâ Stoicus, aliíque Veſpaſiano obtrectant: vnde pulſi Româ Philoſophi, præter Muſonium: relegati verò in inſulas Cynici duo Hoſtilius atque Demetrius.

Anno Chriſti LXXIV. Vrbis cond. DCCCXXVII. Cenſoribus Veſpaſiano & Tito, cenſus vltimò Romæ actus eſt, vt pluribus docent Cenſorinus cap. 18. de die natali, & Plinius lib. 7. cap. 49. qui præſens interfuit. Achaia, Lycia, Rhodus, Byzantium, Samus, Thracia, Cilicia, Commagene, quæ li-

beræ anteà & ſub Regibus amicis erant, in prouincias redactæ. Ad hunc ſequentémve annum refero, quæ habentur in libro de Cauſis corruptæ eloquentiæ, ſiue Dialogo de claris Oratoribus Fabio vel Tacito tribui ſolito.

Anno Chriſti LXXV. Veſpaſianus templum Pacis abſolutum dedicat, atque in eo Hieroſolymitani Templi ſpolia iubet aſſeruari. Coloſſus in ſacra via erigitur altitudinis pedum vel 107. vel 110. cui impoſitum Neronis, vel Solis, aut Titi caput: in eo enim variant veterum auctorum ſententiæ.

Anno Chriſti LXXVI. vnus è primis ſeptem Diaconis Nicanor in Cypro martyr pro Chriſto occubuit die 10. Ianuarij. Naſcitur Hadrianus Imperator. Q. Aſconius Pedianus ſcriptor clarus habetur, qui 73. ætatis ſuæ anno captus luminibus, duodecim poſtea annis in ſummo omnium honore conſenuit. *Gabinianus celeberrimi nominis Rhetor in Gallia docuit.*

Anno Chriſti LXXVII. Olymp. CCXIV. primo, lues ingens Romæ facta, ita vt per multos dies in ephemeridem fermè decem millia mortuorum hominum referrentur. Tres ciuitates Cypri terræ motu conciderunt.

Anno Chriſti LXXVIII. S. Linus Papa die 23. Septembris capite plexus eſt, cùm ſediſſet annis 11. menſibus 2. & diebus 23. à nece SS. Apoſtolorum Petri ac Pauli. Succedit S. Cletus (quem Anacletum Irenæus & quidam alij veteres appellant) Æmiliani Romani filius, à S. Petro tertius. Deductas à Veſpaſiano colonias memorat Euſebius.

Anno Chriſti LXXIX. Flauius Veſpaſianus Imperator profluuio ventris in villa propria circa Sabinos mortuus eſt die 24. Iunij, cùm vixiſſet annos 69. menſem 1. & dies 7. imperaſſet annos 10. minùs 10. diebus. Succedit ad biennium filius eius TITVS Veſpaſianus, deliciæ generis humani, in vtraque lin- Titus.
gua diſertiſſimus, & tantæ bonitatis, vt cùm quadam die recordatus fuiſſet in cœna, nihil ſe in illa die cuiquam præſtitiſſe, dixerit: Amici, hodie diem perdidi. Britanni à Cneo Iulio Agricola, cuius gener fuit Cornelius Tacitus, perdomiti ſunt. Hunc reuertentem ab legatione legionis Veſpaſianus inter Patricios aſciuerat, *ac deinde prouinciæ Aquitaniæ præpoſuerat ſplendidæ imprimis dignitatis adminiſtratione, ſpe Conſulatus, cui deſtinarat.* Mons Veſuuius ruptus in vertice tantum ex ſe fecit incendij, vt regiones vicinas & oppida Pompeios & Hercula-

num cum hominibus exureret.; cinis verò in Africam, Syriam, & Ægyptum vsque delatus sit. Musonius Rufus Philosophus de exilio reuocatur ab Imperatore, qui Thermas & Amphitheatrum Romæ exstruxit, & in eius dedicatione hoc vel sequenti anno ferarum quinque millia occidit.

Anno Christi LXXX. Romæ plurimæ ædes incendio concremantur, atque in iis Serapidis, Isidis, ac Neptuni Templa, cùm Titus ad visendam Campaniæ cladem fuisset profectus. C. Plinius secundus senior historiæ naturalis scriptor diligentissimus, patria Veronensis, dum cognoscendi studio propiùs iusto ad montem accedit, Vesuuiani scrutator incendij, in eo periit, vt pluribus narrat eius ex sorore nepos Plinius iunior, patriâ Nouocomensis, in epist. 16. lib. 6.

ANNO CHRISTI LXXXI. Olymp. CCXV. primo, Titus Imperator morbo defunctus est in eadem, qua pater, villa apud Sabinos, Idibus Septembris, cùm vixisset annos 40. cum mensibus 9. imperasset annos 2. menses 2. & dies 20. Succedit eius frater Flauius DOMITIANVS annis 15. cuius tempore floruerunt C. Silius Italicus anno Christi LXVIII. M. Celerij Trachali in Consulatu collega, Papinius Statius, D. Iunius Iuuenalis, M. Valerius Martialis, aliique, quos nostræ Bibliothecæ Pars altera pleniùs exponet.

Domitianus.

Anno Christi LXXXII. inter deos refertur Titus decreto Senatus. Domitianus de non execandis maribus legem sancit, atque adulteria seuerè compescit.

Anno Christi LXXXIII. tres virgines Vestæ ob stuprum damnatæ. Philosophi vrbe atque Italia eiecti. Plurimi Senatorum in exilium missi.

Anno Christi LXXXIV. post Annianum S. Marci successorem die 25. Augusti mortuum, Abilius Alexandrinæ præest Ecclesiæ annis 13.

Anno Christi LXXXV. Olymp. CCXVI. primo, Domitianus Templum sine lignorum admixtione construxit.

Anno Christi LXXXVI. Agon Capitolinus quinquennalis à Domitiano primùm institutus fuit XII. eius & Cornelij Dolabellæ Consulatu, ipsis Kal. Ianuariis, anno Vrbis cond. DCCCXXXIX. de quo videndus Censorinus capp. 18. & 21. de Die Natali. Antoninus Pius, qui post Hadrianum imperauit,

naſcitur his Conſulibus. Primus Domitianus Dominum ſe & Deum appellari iuſſit, inquit Euſebius in Chronico, addítque Naſamonas & Dacos dimicantes aduerſus Romanos victos fuiſſe.

Anno Chriſti LXXXVII. Duo menſes aliter appellati, September Germanicus & October Domitianus.

Anno Chriſti LXXXVIII. Victus à Marcomannis Imperator cum Decebalo Dacorum Rege paciſcitur: multos nobilium in exilium mittit occidítque: & iterato Philoſophos ac Mathematicos Romana vrbe pellit. M. Fabius Quintilianus ex Hiſpaniâ Calagurritanus Romæ primus publicam ſcholam & ſalarium è fiſco accepit & claruit.

Anno Chriſti LXXXIX. Olymp. CCXVII. primo, Domitianus de Dacis, Marcomannis, Cattis, aliíſque Germanis ridiculum triumphum egit; atque in multos ciues deſæuiit. Multa Romæ opera facta, in queis, ſi credimus Euſebiano Chronico, Capitolium, Forum tranſitorium, Diuorum porticus, Iſium & Sarapium, Stadium, Horrea piperaria, Veſpaſiani Templum, Minerua Chalcidica, Odeum, Thermæ Titianæ, Ludus Matutinus, Mica aurea, Meta ſudans & Pantheum.

Anno Chriſti XC. Cocceius Nerua, qui ſuperiori anno fuerat ab exilio reuocatus, Conſulatum huius anni iniit cum Domitiano XV. Coſ.

ANNO CHRISTI XCI. S. Cletus Papa die 26. Aprilis martyrium ſubiit, cùm ſediſſet annis 12. menſibus ſeptem. Succeſſit S. Clemens I. patriâ, vt volunt, Romanus. Huic præter celeberrimam de pace & concordia ad Corinthios ſcriptam epiſtolam, quæ extat, nonnulla tribuuntur opera ab Hæreticis deprauata multiſque nominibus viris eruditis ſuſpecta: de quibus, vt de ſimilibus, non eſt huius loci diſputare. Domitianus tantæ ſuperbiæ fuit, vt aureas & argenteas ſtatuas ſibi in Capitolio poni iuſſerit. Cornelia Maximilla Veſtalium Virginum Maxima conuicta ſtupri iuxta legem viua defoſſa eſt.

Anno Chriſti XCII. Domitianus prohibuit vites in vrbibus ſeri, inquit Euſebius, quæ Suetonius vitæ eius cap. 7. enucleatiùs exponit. Agrippa Mathematicus hoc anno Nabo-

nassari 840. obseruauit in Bithynia Lunæ cum Pleiadibus coniunctionem.

Anno Christi XCIII. Olymp. CCVIII. primo, Secundam in Christianos persecutionem mouet Diocletianus quâ sæuiente Antipas Pergami in Asiâ, & multi variis in locis interfecti sunt. *In Gallijs passos mediæ ætatis quidam scriptores volunt Dionysium Paris. Lucianum Bellou. Eutropium Santon. Nicasium Rothomag. cum sociis, Caraunum in Carnutibus, Patientiam Virginem*, &c.

Anno Christi XCIV. S. Ioannes Zebedæi filius Apostolus ex Asiâ Romam aduectus sexta die Maij ad Portam Latinam in dolium, seu vt verbo Tertulliani & S Hieronymi vtar, solium feruentis olei immersus est: vnde cùm illæsus fuisset egressus in Pathmon Ægei maris insulam relegatus est, vbi primùm Apocalypsim diuinis refertam mysteriis, quam S. Irenæus interpretatus est, vidit; tum paullo post, quamquam tempus non planè constet, tres Canonicas, quæ supersunt Epistolas scripsit. Cn. Iulius Agricola Taciti socer obiit annos natus 56. Flauius Iosephus hoc ferme tempore scribebat vicesimum librum Iudaïcarum Antiquitatum anno ætatis 56. Æmulus eius fuisse perhibetur Iustus Tiberiadensis, de quo Eusebius post triennium.

Anno Christi XCV. Titus Flauius Clemens cognatus Imperatoris eiúsque in XVII. Consulatu Collega, ob fidem Christi occiditur: eiúsque ex sorore Plautillâ neptis Flauia Domitilla in Pontiam insulam relegatur, quia se Christianam esse testata sit. Dio Flauiam Domitillam vocat Clementis vxorem & in Pandatariam ablegat. M. Acilius Glabrio M. Vlpij Traiani anno æræ Christianæ XCI. Consulis Collega, aliíque Christiani necati, vt scribit apud Eusebium Bruttius. Idem addit Domitianum eos, qui de genere Dauid erant, inquiri atque interfici præcepisse, vt nullus Iudæorum regni reliquus foret. Apollonius Tyaneus, de quo tam multa Philostratus commentus est, & Euphrates Philosophi insignes habentur. Plurima signa atque portenta Romæ & toto orbe facta.

Anno Christi XCVI. Domitianus omnibus ob sæuitiam aliáque vitia execratus, à Stephano Domitillæ procuratore pluribúsque coniuratis occisus est in palatio die 18. Septembris anno ætatis 45. cùm imperasset annos 15. & dies quinque

aut ſex, & per veſpillones ignobiliter exportatus. Succeſſit M. Cocceius NERVA oppido Narnienſi genitus, à quo reſ- Nerua.
ciſſis tyranni actis S. Ioannes grandi iam ætate Epheſum rediit, vbi paullo pòſt anno vitæ 98. Euangelium ſuum cæteris ſublimius idiomate Greco ſcripſit, ad conuincendas Ebionis, Cerinthi, ſimiliúmque Hæreticorum impias de Chriſto opinationes. Poſt Abilium Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit Cerdon annis vndecim.

Anno Chriſti XCVII. Olymp. CCXIX. primo Conſulatum cum Nerua Auguſto geſſit Titus Virginius Rufus qui anno 68. Vindicem aduerſus Neronem in Galliis rebellantem oppreſſerat. Suffectum alterutri C. Cornelium Tacitum memorant, qui anno ſequenti libellum de ſitu, moribus, populíſque Germaniæ ſcripſit. Moritur Apollonius Tyaneus Magorum huius temporis Princeps. Nerua Calpurnij Craſſi conſpiratione detecta M. Vlpium Traianum, *qui tum Germaniæ Ciſrhenanæ præerat*, abſentem adoptat natum Italicæ in Hiſpaniâ.

Anno Chriſti XCVIII. Nerua Imperator die 27. Ianuarij morbo perit in hortis Salluſtianis anno ætatis vel LXXII. vt Euſebius, vel 66. labente, vt alij, cùm imperaſſet annum vnum, menſes 4. & dies 9. ſiue 11. & decreto Senatus in Deos relatus eſt. Succedit M. Vlpius Traianus *Agrippinæ in Gallia* Imperator factus anno ætatis 42. Menelaus Mathematicus obſeruauit Lunam coniunctam cum Spica Virginis referente Ptolemæo ad annum primum Traiani, quem non ab obitu Neruæ numerare oportet, ſed à die 30. Iulij præcedentis qui fuit Thoth anni Nabonaſſaræi 845. Eclipſis Solis die 21. Martij. S. Clemens Romanus Pontifex iuſſu Traiani in Cherſoneſum Ponticam relegatur.

Anno Chriſti XCIX. Prætermiſſo Anacleto Euariſtum hoc anno exhibet Euſebianum Chronicum, cuius perturbatas rationes eruditi viri hoc loco negligunt. S. Ioannes Apoſtolus Theologus & Theologorum apex vulgò dictus, obiit Epheſi, die 27. Decembris anno ætatis vndecenteſimo, & à morte Domini IESV, ſiue à ſtupendo, qui tum temporis ex Phlegonte accidit, ſolis defectu 68. vel vt Veteres Chronologi putabant 70. Quòd ſi Feria prima ſeu Dominica die deceſſerit, eius placidiſſima dormitio in ſequentem annum diffe-

renda erit. Certè Ioannem Apoſtolum vſque ad Traiani tempora permanſiſſe ex Irenæo Lugduni Epiſcopo docet Euſebius, qui & addit auditores eius inſignes fuiſſe Papiam Hierapolitanum qui Millenariorum princeps fuiſſe creditur, Polycarpum Smyrnæum, & Ignatium Antiochenum Epiſcopos. Quo verò anno Timotheus Epheſi Epiſcopus die 24. Ianuarij Smyrnæ paſſus in cælum euolarit, fateor me penitus ignorare: ſunt qui anno 97. affigant. Traianus in Vrbem reuerſus ordines omnes præſentiâ ſuâ recreauit, vt fuſiùs exponit Plinius iunior in Panegyrico.

Chriſti centeſimo, poſt excidium Hieroſolymitanum XXX. obiit Agrippa iunior, cùm regnaſſet annos vnum & quinquaginta. Filium reliquit Agrippinum dictum paternarum facultatum hæredem. Traianus de Scythis & Decebalo Dacorum Rege priorem duxit triumphum. S. Clemens die 23. Nouembris in Cherſoneſo Ponticâ martyrium conſummauit, poſt ſedem annorum 9. menſium 6. & dierum totidem: ſícque cum primo Chriſti IESV ſæculo finitur ſacra Apoſtolorum & præcipuorum eius Diſcipulorum Hiſtoria, glorioſúmque conditur ſæculum, quod præter cætera eximium illud habuit ac ſingulare, vt Dei & Hominis mortali vitâ ac viſibili præſentia cohoneſtaretur.

SECVNDVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM TRAIANI ET ANTONINORVM.

Ab anno Domini IESV 101. *M.* 4154. *Romæ* 854. *ad annum Christi* 200. *M.* 4253. *Romæ* 953.

CENTESIMO PRIMO *Christianæ æræ anno*, Olympiadis CCXX. primo, cùm Romana sedes à morte S. Clementis I. per aliquot menses vacasset, electus est summus Ecclesiæ Antistes S. Anacletus I. die 3. Aprilis, natione Græcus, patria Athenienſis. *Ab hoc missum in Gallias ferunt S. Clarum primum Lactoratium in Nouempopulonia Episcopum cum sociis Iustino, Seuero, Gerontio, Polycarpo, Iona, atque Babilio.* Coss. Ordinariis Traiano Aug. IV. & Sex. Articuleo Pæto suffecti sunt in aliquot menses Kalendis Septembribus Cornutus Tertullus & C. Plinius Secundus iunior, qui ad Traianum Panegyricam habuit orationem omnium ore celebratam.

Anno Christi CII. Traianus aduersus Decebalum Dacorum Regem expeditione susceptа Danubium ponte maximi operis iunxit. Eóque Principe iterum superato atque ad necem sibi inferendam adacto Daciam fecit prouinciam. Subdit Eusebius Iberos, Sauromatas, Osroënos, Arabas, Bosphoranos & Colchos in fidem recepisse: Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupasse & tenuisse: in Mari Rubro classem instituisse vt per eam Indiæ fines vastaret: quæ omnia non huic dumtaxat anno addicenda, sed in plures consequentes propaganda esse nemo non videt. C. Plinius Proconsul in Bithyniam profectus præmissa ex mandato Principis de Christianorum moribus inquisitione ad eum dicitur rescripsisse ep. 98. libri 10. quam tamen alij cum Eusebio in annum 108. aut aliquem ex consequentibus referunt. Solenne est mihi, Domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Cognitionibus de Christianis interfui nunquam: ideo nescio, &c. Traiani

epiſtola incipit: Actum quem debuiſti, mi Secunde, in excutiendis cauſis eorum qui Chriſtiani ad te delati fuerant, &c.

Anno Chriſti CIII. Elxai Pſeudopropheta de quo Epiphanius hæreſi 19. viuebat hoc tempore. Palma vir Conſularis Arabas domat.

Anno Chriſti CIV. Aurea Neronis domus Romæ incendio conflagrauit. Traianus reuerſus in Vrbem Bibliothecas exſtruit, & mirandum opus columnæ, quæ cum baſi 140. pedes alta etiamnum perſeuerat, inchoat. Indorum gentiúmque barbararum legati plures ad eum accedunt.

Anno Chriſti CV. Olymp. CCXXI. primo, Athenas & in Syriam venit Traianus aduerſus Armenos Parthóſque pugnaturus. Terræ motu quatuor Aſiæ vrbes & duæ Græciæ ſubuerſæ. S. Titi primi Cretenſium Epiſcopi mors die 4. Ianuarij in hunc an. confertur.

Anno Chriſti CVI. Traianus Armeniam ſubigit vicinóſque Reges ac populos ſibi conciliat. Poſt Cerdonem Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit Primus annis 12.

Anno Chriſti CVII. Tertiâ in Chriſtianos à Traiano excitatâ Perſecutione, S. Simeon Cleopæ filius ſecundus Hieroſolymorum Epiſcopus annum agens vitæ 120. die 18. Februarij cruci fixus eſt (ſucceſſere Iuſtus, Zacchæus aliíque plures vſque ad Marcum, quem primum ex gentibus aſſumptum volunt) S. Oneſimus Epheſiorum Epiſcopus lapidibus obruitur die 16. eiuſdem menſis, S. Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus ex Oriente Romam deuectus plures in itinere ſcribit epiſtolas, &c.

Anno Chriſti CVIII. Kalendis Februarij S. Ignatius Romæ in Amphitheatro à leonibus aliíſque feris diſcerpitur, cui ſucceſſit in Epiſcopatu Heron. Licinio Suræ quondam Praf. Prætorio funus magnificè factum ſumptu publico: & viris fortibus ſtatuæ poſitæ. C. Plinius Secundus Nouocomenſis Orator & Hiſtoricus inſignis cùm Bithyniam regeret & in magiſtratu ſuos plurimos Chriſtianorum interfeciſſet, multitudine eorum perterritus quæſiuit de Traiano quid facto opus eſſet, nuntians ei præter obſtinationem non ſacrificandi & antelucanos cœtus ad canendum Chriſto, vt Deo, nihil apud eos reperiri: præterea ad confœderandam diſciplinam vetari ab his homicidia, furta, adulteria & his ſimilia. Ad quæ com-

motus Traianus reſcripſit: Hoc genus quidem inquirendos non eſſe, oblatos verò puniri oportere, vt refert Tertullianus in Apologetico. Alexandrum Euariſto ſubiicit hoc anno Euſebius in Chronico.

Anno Chriſti CIX. Olymp. CCXXII. primo, Victor ſtadij fuit Calliſtes Sideta.

Anno Chriſti CX. S. Anacletus I. Papa Martyrio coronatus eſt die 13. Iulij, cùm ſediſſet annos nouem menſes tres & dies decem. Succeſſit Euariſtus natione Græcus die 26. eiuſdem menſis. Tres Galatiæ ciuitates terræ motu erutæ. Pantheon de cælo tactum. Traiani columna in eiuſdem foro perfecta.

ANNO CHRISTI CXI. Poſt Iuſtum, inquit Euſebius, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ epiſcopatum quartus ſuſcipit Zacchæus, poſt quem quintus Tobias, cui ſuccedit Sextus Beniamin, ac deinde ſeptimus Ioannes, octauus Matthias, in cuius locum nonus conſtituitur Philippus. Euagrius l. 2. cap. 12. currente anno Antiocheno 159. aſſerit contigiſſe Antiochiæ horribilem terræ motum, qui referendus erat ex Dione in 115. Vrbis conditæ 868.

Anno Chriſti CXII. Phlegon cap. 12. de Mirabilibus meminit Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀδριανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος ἡμερῶν ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ αὐτοκράτορος Τραϊανοῦ τὸ ἕκτον καὶ Τίτου Σεξτιοῦ Ἀφρικανοῦ. Fugit verò Ioannem Meurſium ratio, cùm Faſtos Conſulares arguit, qui ſecundum Conſulatum huic Africano contulerunt non memorato primo. Nam ſæpe id accidit, cùm primùm in aliorum locum ſuffecti, deinde Ordinarij facti ſunt Conſules.

Anno Chriſti CXIII. Olymp. CCXXIII. primo, Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam factas à Traiano Prouincias narrat Euſebius. Certè rebus in Oriente bene geſtis optimum à Senatu appellatum fuiſſe hoc anno quidam contendunt. Eclipſis Lunæ die primo Iunij, de qua Plutarchus Chæronenſis in op. de Maculis in orbe Lunæ.

Anno Chriſti CXV. Terræ motus in Antiochia pene totam ſubruit ciuitatem. C. Popillius Carus Pedo M. Valerij Meſſallæ in Conſulatu collega aliíque plures oppreſſi. Ipſe Imperator per feneſtram ſubductus vix ſui compos euaſit, ſuſceptáque in Parthos expeditione multa cepit oppida &

Parthici cognomen meruit, mare Perſicum tentauit, in Rubro nauigauit, &c. quæ Dio repræſentat. Iudæi in Libya aduerſus cohabitatores ſuos alienigenas, hoc eſt Romanos Græcóſque dimicant. Similiter in Ægypto & in Alexandria: apud Cyrenen quoque Andrea quodam duce & Thebaïdem magna ſeditione contendunt, ac fere ad ducenta hominum millia diuerſis cruciatibus necant.

Anno Chriſti CXVI. Lupus Ægypti Præfectus Iudæos omnes Alexandriæ iubet interfici, ne rebellibus iungerentur, qui per Ægyptum, Cyprum, vbi Salaminem interfectis in eâ Gentilibus ſubuertere, aliáſque prouincias graſſati ad ducenta quadraginta hominum millia cecidiſſe dicuntur. Eorum tamen maxima pars ingenti ſtrage periit, miſſo aduerſus eos Martio Turbone aliíſque ducibus. Iudæis Meſopotamiæ rebellantibus teſte Euſebio præcepit Imperator Lyſiæ Quieto vt eos Prouincia exterminaret: aduersùm quos Quietus aciem inſtruens infinita eorum millia occidit, & ob hoc Procurator Iudææ decernitur à Traiano, qui Parthis Regem impoſuit Parthamaſpatem, & infeliciter aduerſus Agarenos in Arabia pugnauit.

Anno Chriſti CXVII. Olympiadis CCXXIV. primo, Traianus Imperator Selinunte in Cilicia, vel vt alij apud Seleuciam Iſauriæ, profluuio ventris extinctus eſt die 10. Auguſti anno ætatis 63. menſe nono die quarto, cùm imperaſſet annos 19. menſes 6. cum diebus 15. oſſa eius in vrnam auream collata, & in Foro ſub Columnâ poſita ſolúſque omnium intra Vrbem ſepultus. Succedit Ælius HADRIANVS Italicæ in Hiſpania natus conſobrinæ Traiani filius, qui die 9. eiuſdem menſis opera Plotinæ Auguſtæ literas adoptionis accepit. Hic à cæde Celſi, Palmæ, Nigrini, aliorúmque nobilium regnum auſpicatus, & Traiani inuidens gloriæ, cum Parthis ſtatim compoſuit, & de Aſſyria, Meſopotamia, Armenia, quas ille Prouincias fecerat, reuocauit exercitus. Alexandriam ſubuerſam publicis inſtaurauit expenſis, & Iudæos iterùm contra Romanos rebellantes cepit.

Hadrianus.

Anno Chriſti CXVIII. Hadrianus eruditiſſimus in vtraque lingua princeps, Romam reuerſus, Traianum à Senatu in Deos referri curat, reliqua tributorum vrbibus relaxat, chartis publicè incenſis, plurimóſque ipſis etiam tributis liberos præ-

ſtat. Baſilides, Saturninus, Carpocras hæreſes ſpargunt.

Anno Chriſti CXIX. Quartam Eccleſiæ Perſecutionem ab Hadriano indictam pleríque contendunt, quâ multi martyrio ſunt affecti, atque inter cæteros Euariſtus Papa die 26. Octobris, cùm ſediſſet annos 9. menſes 3. & dies 10. Succeſſit S. Alexander I. patria Romanus de regione dictâ Caput Tauri. Succeſſit quoque Primo in Alexandrino Epiſcopatu Iuſtus ad annos vndecim. Sanctus Dionyſius Areopagita Lutetiæ Pariſiorum, ſi Baronio, Gauterio, Gordono, multíſque aliis recentioribus fidem damus, hoc pariter anno die 9. Octobris variis tormentis necatus eſt ætatis 110. cùm iam olim in Gallias à S. Clemente fuiſſet directus, & Chriſti fidem per ſe ſuóſque diſcipulos latè propagaſſet. Plutarchus Chæronenſis, Agathobulus & Oenomaus Philoſophi inſignes habentur. Tinius Rufus Iudææ Præſes rebelles Iudæos vincit.

Anno Chriſti CXX. Bellum aduerſus Sauromatas & Roxolanos tumultuantes proſperè geſtum. Terræ motu Nicomedia ruit, & Nicenæ vrbis plurima euerſa: ad quarum inſtaurationem de publico impenſas largitus eſt Imperator, qui rebus Romæ compoſitis ad luſtrandas prouincias ſe accingit, & vt doctiſſimi viri ſcripſerunt, Brixiæ SS. Fauſtinum & Iouitam, alióſque ob Chriſtianam religionem die 15. Februarij occidi iubet: quanquam alij fortè rectiùs vel ad reditum Hadriani in vrbem anno Imperij ſeptimo, vel ad Aurelij Imp. & Eleutheri Papæ tempora referre malint cum Marciani Dertonenſis Ep. martyrio.

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ CXXI. Olymp. CCXXV. primo, Hadrianus *per Gallias quas cauſariis libertatibus ſubleuaſſe dicitur*, venit in Britanniam, murúmque per octoginta millia paſſuum ad arcendos barbaros duci iubet ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus iactis atque connexis. In Libyam quoque à Iudæis vaſtatam coloniàs miſit. Euphrates Stoicus Philoſophus hoc anno moritur quem permiſſu Imperatoris morbi ac ſenectutis tædio cicutæ hauſtu vitam finiiſſe volunt.

Anno Chriſti CXXII. *Imperator reuerſus ex Britanniis, Nemauſi in honorem Plotinæ Baſilicam opere mirabili extruxit, dum è Galliis in Hiſpanias tranſiret.*

Anno Christi CXXIII. Tarracone, vbi hiemauit, profectus Hadrianus in Orientem venit, Parthicísque rebus compositis in Achaiam reuersus Athenis hiemem exegit. Athenienſibus leges petentibus ex Draconis, Solonis, reliquorúmque libris iura compoſuit, & Cephiſum fluuium qui Eleuſinam inundarat, ponte iunxit. Ad ea tempora reuocantur Hæretici Baſilides Alexandrinus, quem ſcripto confutauit Agrippa Caſtor vir doctus, Saturninus Antiochenus, Carpocrates, aliíque qui Gnoſtici dicti.

Anno Christi CXXIV. Hieroſolymis decimus poſt Philippum Epiſcopus conſtituitur Seneca: poſt quem XI. Iuſtus, cui ſuccedit XII. Leui, poſt quem XIII. Ephres, XIV. Ioſes, XV. Iudas. Hi omnes vſque ad euerſionem, quam ab Hadriano, (qui hoc anno Romam rediit) perpeſſa eſt Ieruſalem, ex circumciſione Epiſcopi præfuerunt.

Anno Christi CXXV. Olymp. CCXXVI. primo, Hadrianus Roma in Africam proficiſcitur & prouinciis multa largitur. Luna deficit die 5. Aprilis.

Anno Christi CXXVI. Imperator ſacris Eleuſinæ initiatus multa Athenienſibus dona conceſſit, Cephaleniam eis attribuit, Iouis Olympij ædem ſibíque aram poſitam dedicauit, Dionyſia celebrauit, &c. Quadratus diſcipulus Apoſtolorum & Ariſtides Athenienſis noſter Philoſophus libros pro Chriſtianâ religione Hadriano dedêre compoſitos. Et Serenus Granius Legatus vir apprimè nobilis literas ad eundem miſit, iniquum eſſe dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum ſanguinem concedi, & ſine vllo crimine nominis tantùm & ſectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus Minutio Fundano pro Conſule Aſiæ ſcribit, ſine obiectu criminum Chriſtianos non condemnandos. Cuius epiſtolæ vſque ad noſtram memoriam durat exemplum, inquit Euſebius tum in Chronico tum libro 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Anno Christi CXXVII. Athenis primo vere profectus multas Aſiæ prouincias obiit Imperator, in Præſides & Procuratores ſeuerè inquirens: vnde Pater patriæ meritò appellatus à Senatu, & vxor eius Auguſta.

Anno Christi CXXVIII. Nicopolis & Cæſarea terræ motu conciderunt. Poſt Heronem die 17. Octobris defunctum quartus Antiochiæ conſtitutus Epiſcopus Cornelius. Aquila

Ponticus seu Sinopensis genere homo Semiiudæus & Semichristianus sacras scripturas Græcè interpretatur. S. Iustinus ex Philosopho fit circa hoc tempus Christianus. Telesphori initia Eusebius in Chronico in hunc an. refert.

Anno Christi CXXIX. Olymp. CCXXVII. primo, Hadrianus euersam à Tito multísque cladibus afflictam Hierosolymorum vrbem instaurauit, suóque nomine Æliam Capitolinam appellari iussit, deductâ eò Romanorum coloniâ & in ruderibus Templi excitato Iouis Capitolini delubro.

Anno Christi CXXX. S. Alexander I. Papa martyrio vitam finiit die 3. Maij, cùm sedisset annos decem menses quinque dies 20. Succedit S. Sixtus seu Xystus I. patria Romanus post dies viginti quinque. Hadrianus lustrata Arabia & Pelusij extructo magnificentiùs Cn. Pompeij sepulchro in Ægyptum venit. Templum Romæ & Veneris in Vrbe factum. Post Iustum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Hymenæus annis 13.

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ CXXXI. Antinous puer egregius eximiæ pulchritudinis in Nilo demersus interiit, quem Hadrianus vehementer deperiens in Deos referendum curauit: ex cuius nomine etiam Vrbs appellata est. Saluius Iulianus IC. doctissimus perpetuum Edictum composuit quo omnes in posterum Prætores vterentur.

Anno Christi CXXXII. Hadrianus ex Ægypto in Syriam & Athenas venit, quâ in vrbe cùm insignes plurimásque ædes feciſſet, agonem edidit, Bibliothecámque miri operis extruxit. Phauorinus & Polemo, Rhetores insignes habentur. Ad hunc & tres consequentes annos pertinent plurimæ Claudij Ptolemæi Alexandrini Astronomorum Principis obseruationes.

Anno Christi CXXXIII. Olymp. CCXXVIII. primo, Iudæi in arma versi Palæstinam depopulati sunt, tenente prouinciam Tinio Rufo, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum anno Imperij 17. vt ex Aristone Pellæo apud Eusebium colligitur. Barcochebas factionis illius Iudaicæ dux nolentes sibi Christianos aduersus Romanum militem ferre subsidium, omnimodis cruciatibus vexauit. *Duæ circumferuntur Sixti I. Papæ Epistolæ ad Gallos, quibus eos in fide contineret.*

Anno Christi CXXXIV. Iulius Seuerus ab Hadriano è Britannia euocatus dux belli scientissimus Iudæos variis præliis atterit. Marcion genere Ponticus hæresim suam spargere incipit.

Anno Christi CXXXV. Expugnata Bether vrbe munitissima, Bellum Iudaïcum quod in Palæstina gerebatur finem accepit, rebus Iudæorum penitus oppressis, & quingentis octoginta eorum millibus interfectis, regione penitus desertâ. Æliæ portis sues insculptæ sunt in marmore prominentes: in Golgotha templum Iouis, in Bethleem Veneris extructum atque ex eo tempore etiam introeundi Iudæis licentia ablata primùm Dei nutu, sicut Prophetæ vaticinati sunt, deinde Romanis interdictionibus. Primus ergo ex gentibus constitutus est Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopus Marcus, cessantibus his qui fuerant ex Iudæis.

Anno Christi CXXXVI. Hadriano Imp. tribuit Onuphrius diuisionem Prouinciarum, quam alij, vt probabilius videtur, Constantino Magno tribuunt.

Anno Christi CXXXVII. Suidas docet Phlegontem Trallianum Hadriani Imperat. Libertum scripsisse libros XVI. de Olympiadibus, qui continerent res vbique gentium gestas vsque ad Olymp. CCXXIX. cuius annus primus processit ex diebus æstiuis huius anni ab Vrbe conditâ DCCCXC. Suetonius Tranquillus Magister epistolarum Hadriani Imp. qui de XII. Cæsaribus & alia plurima scripsit, floruit hoc tempore.

Anno Christi CXXXVIII. Kalendis Ianuariis mortuus est Ælius Verus, qui ante adoptionem superiore anno ab Imp. factam dicebatur Ceionius Commodus Verus. Idem Hadrianus die 25. Februarij T. Aurelium Fuluum ea lege adoptauit, vt is sibi adoptaret Annium Verum & Marcum Aurelium. Seruianum verò sororis suæ virum nonagenarium, eiúsque nepotem Fuscum occidit. Deinde apud Baias morbo intercutis aquæ obiit sexagenario maior die 10. vel 12. Iulij, cùm imperasset annos 20. menses 10. & dies 29. Titus Ælius siue Arrius ANTONINVS cognomento Pius, cui paternum genus ex vrbe Nemauso, succedit ad annos 22. cum octo fere mensibus. Huic sub ipsa ferme imperij primordia S. Iustinus Apologiam pro religione ac fide Christianâ obtulit, quæ licet

Antoninus.

præcedere

præcedere debuerit, hactenus tamen in editis libris dicta est secunda, ac posteriore loco excusa reperitur. Inde verò discimus Euangelium Domini IESV toto iam propemodum orbe fuisse disseminatum. Hyginum hîc collocat Eusebius, & sub eo Valentinum hæresiarcham, & Cerdonem magistrum Marcionis Romam venisse tradit.

Anno Christi CXXXIX. Antoninus Pater patriæ appellatus orbem nullo bello rexit; sub eo florent cùm alij de quibus postea, tum inter cæteros, Iustinus Pompeij Trogi abbreuiator, Galenus Pergamenus Medicus, Diogenes Laertius, & ex Iureconsultis Domitius Labeo, Neratius Priscus, Volusianus Mætianus, aliíque. Hæretici verò Apelles, Valentinus, Cerdo, Ophitæ, Cainani, Sethiani, similésque pestes variis in regionibus ebulliebant. Consules huius anni Antoninum II. & Bruttium Præsentem comparat Censorinus cap. 20. de die Natali cum anno Nabonassari 887. cuius Thoth extitit die 20. Iulij. Faustina Augusta Antonini Pij vxor obiit.

Anno Christi CXL. S. Sixtus I. Papa die 6. Aprilis martyrio coronatus est, cùm sedisset annos 9. menses 10. & dies 8. Successit S. Telesphorus natione Græcus post biduum à nece decessoris.

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ CXLI Olympiadis CCXXX. primo, Eusebius in Chronico consignat à S. Iustino Philosopho oblatum pro nostra religione Apologeticum Antonino Imp. qui vt discimus ex veteri Inscriptione, collapsum vetustate pontem Romæ restituit.

Anno Christi CXLII. Post Cornelium Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus constituitur Heros, Romanæ verò, si quæ hâc in parte Eusebiano Chronico fides, Hygino successor Pius annis 15. sed huius in recensione Romanorum Pontificum rationes turbatas respuunt doctissimi quique recentiores, Baronius, Petauius, Caluisius, aliíque, quibus subscribendum esse iampridem docuimus.

Anno Christi CXLIII. post Hymenæum siue Eumenem Alexandriæ Episcopatum suscipit Marcus annis 10. Pausanias Græciæ metator accuratissimus florebat ea ætate.

Anno Christi CXLIV. Mesomedes, siue Nicomedes, Cretensis Citharicorum carminum Musicus Poëta agnoscitur: de

quo præter Euſebium Iulius Capitolinus, qui imminutum illi ab Imp. ſalarium refert. Antoninus Pius Britannos per Lollium Vrbicum legatum vicit, alio muro ceſpititio ſubmotis barbaris.

Anno Chriſti CXLV. Olymp. CCXXXI. primo, Taurus Berytius Platonicæ Sectæ Philoſophus clarus habetur.

Anno Chriſti CXLVI. Marcion Ponticus poſt recantatam ſæpius palinodiam ad vomitum reuertitur. Seuerus Septi in Africa naſcitur die 8. Aprilis.

Anno Chriſti CXLVII. Floret Sextus Chæronenſis Plutarchi nepos, quem plerique eundem eſſe volunt, qui Sextus Empiricus vulgò dicitur, & Pyrrhonicas Hypotheſes edidit, ac pro Scepticis aduerſus Mathematicos pluribus libris diſputauit.

Anno Chriſti CXLVIII. Fronto Cornelius Orator & Grammatici Aper, Pollio, Eutychius & Proculus Siccenſis erant in pretio.

Anno Chriſti CXLIX. Olymp. CCXXXII. primo Arrianus Nicomedienſis Xenophon minor dictus, Philoſophus & Hiſtoriarum ſcriptor inſignis agnoſcitur, & Maximus Tyrius qui poſtea etiam ſub Commodo iam ſenex Romam veniſſe perhibetur.

Anno Chriſti CL. Apollonius Stoicus natione Chalcidicus & Baſilides Scythopolitanus Philoſophi inſignes habentur qui M. Aurelij Veri præceptores fuerant. *Circa hæc tempora Marcus quidam de Baſilidis Gnoſtici ſtirpe deſcendens ad Gallias venit, eáſque partes per quas Rhodanus & Garumna fluunt ſuâ doctrina maculauit, vt ex S. Irenæo viro Apoſtolicorum temporum refert S. Hieron. Epiſt. ad Theodorum.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CLI. Romæ Circus cecidit, multáſque domos vaſtat incendium. Rhodus & quædam Aſiæ vrbes terræ motu quatiuntur.

Anno Chriſti CLII. S. Teleſphorus Papa martyrium fecit die 5. Ianuarij, cùm ſediſſet annos vndecim, menſes 8. dies 29. Succeſſit S. Hyginus ſiue Higinius patria Athenienſis, profeſſione, vt volunt, Philoſophus, die 13. Ianuarij. Sub quo Romam veniunt Valentinus & Cerdo Hæretici.

Anno Chriſti CLIII. Olympiadis CCXXXIII. primo,

Post Marcum Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Celadion annis 14.

Anno Christi CLIV. Crescens Cynicus agnoscitur, qui Iustino nostri dogmatis Philosopho, quia se gulosum & præuaricatorem Philosophiæ arguebat, persecutionem postea suscitauit, quâ ille post aliquot annos gloriosè pro Christo sanguinem fudit.

Anno Christi CLV. Athenæus Naucratites Dipno-Sophistarum scriptor πολυμαθέστατος hoc tempore vixisse videtur.

Anno Christi CLVI. S. Hyginus Papa martyrio functus est die vndecima Ianuarij, cùm sedisset annos tres menses 11. dies 28. seu quadriennium vno alteróve die minùs. Succedit S. Pius I. patriâ Aquileiensis à S. Petro vndecimus à die 15. eiusdem Ianuarij mensis.

Anno Christi CLVII. Olymp. CCXXXIV. primo, Eusebius Pio tunc successisse Anicetum asserit ad annos vndecim, & sub eo Polycarpum Romam venisse.

Anno Christi CLVIII. Egesippus ex Iudæo Christianus simplici stylo Ecclesiasticam scribere Historiam primus aggreditur.

Anno Christi CLIX. Hermogenes Rhetor claret. Lex de adulterio repetita & grauiùs sancita.

Anno Christi CLX. Hierosolymæ Episcopatum post Marcum XVII. suscipit Cassianus, post quem XVIII. Publius, cui successit XIX. Maximus, XX. Iulianus, XXI. Gaianus, XXII. Symmachus, XXIII. Gaius, XXIV. Iulianus, XXV. Capito.

ANNO CHRISTIANÆ ÆRÆ CLXI. Olymp. CCXXXV. primo, Antoninus Pius Imperator obiit apud Lorium villam suam duodecimo ab Vrbe milliario, anno vitæ LXXVII. vel vt alij LXXIV. cum mensibus sex, cùm imperasset an. 22. menses 7. dies 26. Successerunt MARCVS AVRELIVS Antoninus cognomento Philosophus, qui Valeriam Faustinam Antonini Pij filiam duxerat, & L. Ælius VERVS Marci ex adoptione filius atque ex Lucilla filia gener eodem 7. Martij die: atque hi primùm æquo iure Imperium administrauerunt, cùm vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuissent, inquit Eusebius: tantúmque huius rei & nouitas & dignitas valuit

M. Aurelius.

L. Verus.

auctore Spartiano, vt Fasti Consulares nonnulli ab his sumerent ordinem Consulum. De Abercio Hierosolymitano Episcopo qui Lucillam Lucij Veri sponsam à cacodæmone vexatam liberauit vide pluribus Baronium.

Anno Christi CLXII. Lucio Cæsari Athenis sacrificanti ignis in cælo ab Occidente in Orientem ferri visus. Calpurnius Agricola missus in Britanniam, vt barbaros in officio contineret.

Anno Christi CLXIII. Vologeses Rex Parthorum vicinas sibi Romanas prouincias depopulatus à L. Vero sæpe vincitur, re prosperè gestâ per Statium Priscum, Auidium Cassium, & Martium Verum. Orta aduersus Christianos Persecutione, quam Seuerus Sulpitius nuncupauit ordine quintam, multi pro fide cæsi atque inter cæteros die 13. Aprilis S Iustinus Philosophus non multò post scriptam pro Christianis Apologiam alteram. Hermogenes Rhetor floret, & Sulpitius Apollinaris Pertinacis Imp. præceptor.

Anno Christi CLXIV. Seleucia Assyriæ vrbs cum trecentis millibus hominum à Romanis capta: Anaxata quoque & Cresiphon, aliæque vrbes occupatæ. Cornelius Fronto Orator insignis habetur, qui M. Antoninum Verum Latinis literis erudiuit. *S. Verus Viennensis Episcopus hoc tempore sacrum in martyrio sanguinem fudisse dicitur, cui successit Iustus presbyter ab exilio reuersus: ad quem Pij Papæ literæ extant, vt Martyrum Viennensium ad eundem Pium ab Attalo Pergameno perlatæ.*

Anno Christi CLXV. Olymp. CCXXXVI. primo, S. Pius I. Papa martyrio sublatus est die 11. Iulij, cùm sedisset annos 9. menses 5. dies 27. Successit S. Anicetus, natione Syrus, die 25. eiusdem mensis Iulij. Lucius Cæsar de Parthis cum fratre M. Aurelio Philosopho triumphauit. Apud Pisas Peregrinus Philosophus cognomento Proteus, rogo, quem ex lignis composuerat, incenso semet superiecit in frequentissimâ ludorum Olympicorum celebritate, præsente Luciano Samosateno, qui Dialogum de eo scripsit.

Anno Christi CLXVI. Post Celadionem Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus præfuit Agrippinus annis 12. Sanctus Polycarpus Romam venit, vt dissensiones super Paschatis festo componeret, multósque ab hæretico errore correxit. *Hinc plerique volunt in Gallias misisse Benignum & Andochium*

Presbyteros, Thyrsum Diaconum, Andeolum Subdiaconum, &c.

Anno Christi CLXVII. Reuersus in Asiam Polycarpus Smyrnæ pro Christo patitur in ignem coniectus, & mucrone transfossus die 23. Februarij: addit Pionium Eusebius, atque vtriusque scriptas ferri Passiones monet. Verùm Pionium alij ad tempora Decij reuocant. Martyrium quoque fecere per ea tempora Papylus, Geruasius atque Protasius, pluréſque alij, *inter quos numerantur à quibusdam Lugdunenses Martyres celeberrimi, quos sub Lucio Vero adhuc superstite passos Martyrologia asserunt.* Ipse quoque Eusebius ad hunc annum hæc habet: *Plurimi in Galliâ gloriosè ob nomen Christi interfecti, quorum vsque in præsentem diem condita libris certamina perseuerant. Verùm alij Athanacenses illos martyres ad confluentem Araris & Rhodani passos in decennium vsque prorogant.* De iisque intelligenda monent illa Seueri Sulpitij verba libro II. Historiæ multorum interpretationibus vexata: *Sub Aurelio deinde Antonini filio Persecutio Quinta agitata. Ac tum primum intra Gallias martyria visa, seriùs trans Alpes Dei religione susceptâ.* Sub eo certè Imperatore passi videntur *Lucianus Presbyter Aurelius, Flocellus puer Augustoduni, Benignus Diuione, Andeolus in territorio Vuarensi, Andochius & Thyrsus apud Sedelocum in Heduis*, aliíque aliis locis. Verum eorum acta mendis infecta caliginem maximam Lectoribus offundunt, vt veritatem in iis latentem vix liceat intueri.

Anno Christi CLXVIII. Lues multas prouincias occupauit, Româ ex parte vexata. Contra Germanos, Marcomannos, Quados, Sarmatas, & Dacos dimicatum. Soterem huic anno inserit Eusebius.

Anno Christi CLXIX. Olymp. CCXXXVII. primo, Antiochiæ post Hieronem Episcopus ordinatur Theophilus, cuius plurima extabant olim ingenij opera, nunc verò soli tres ad Autolycum libri. Eodem anno regni nono Lucius Verus inter Concordiam & Altinum ictu sanguinis, siue apoplexiâ, extinctus est, sedens cum fratre M. Aurelio Philosopho in eodem vehiculo.

Anno Christi CLXX. Antonino Imperatori Melito Sardensis in Asiâ Episcopus Apologeticum liberrimè scriptum edidit. Apollinaris Hierapolitanus in eadem Asia Episcopus insignis habebatur. *L. Iulius Iulianus circa ea tempora Præses prouinciæ Aquitaniæ fuit.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CLXXI. Dionysius Corinthiorum Episcopus clarus habetur, & Pinytus Gnossi in Creta Episcopus vir eloquentissimus, cum Philippo Gortynæ in eadem insulâ Antistite, aliisque. Pseudoprophetia, quæ secundùm Phrygas, κατὰ Φρύγας, nominatur, accepit exordium, auctore Montano, & Priscillâ Maximilláque insanis vatibus, *contra quos Ecclesia Gallicana semel iterúmque sententiam tulit* ἐυλαβῆ & ὀρθοδοξοτάτην *vt vocat Eusebius.* Vixerunt pariter eodem tempore hæretici Hermogenes & Ptolemæus Valentini discipulus, & Philosophus Epictetus.

Anno Christi CLXXII. Tatianus qui S. Iustini fuerat auditor, hæreticus agnoscitur, à quo Encratitæ. Bardesanes alterius hæreseos princeps notus efficitur: Tantáque per orbem totum pestilentia fuit, vt pene vsque ad internecionem Romanus exercitus deletus sit.

Anno Christi CLXXIII. Olymp. CCXXXVIII. primo, S. Anicetus Papa Martyr obiit die 17. Aprilis feriâ Paschali sextâ, cùm sedisset annos 7. menses 8. dies 24. Successit S. Soter ex Diacono post dies ab obitu decessoris 17. Fundis in Campaniâ oriundus, ad annos fermè quatuor. Sancta Felicitas die 23. Nouembris pro Christo passa est, quæ filios septem præmiserat in cælum die 10. Iulij felici martyrio coronatos.

Anno Christi CLXXIV. Imperator Marcus Aurelius Antoninus multis aduersùm se nascentibus bellis sæpè ipse intererat, sæpe Duces nobilissimos destinabat: in queis semel Pertinace (qui post Commodum inuitus imperauit) & exercitui, qui cum eo in Quadorum regione pugnabat, siti oppressis, pluuia diuinitus missa est; cùm è contrario Germanos & Sarmatas fulmina persequerentur, & plurimos eorum interficerent. Extabant Eusebij & Hieronymi tempore literæ Imperatoris quibus illam Germanicam sitim Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur. Inde Melitina Fulminatrix Legio dicta & rescripto dato mitigata Persecutio. Videndi in eam rem præter Eusebium in Chronico & lib. 5. Hist. cap. 5. Tertullianus in Apologetico, & aduersus Scapulam, Dio apud Xiphilinum, Orosius, & ex Poëtis Claudianus, quanquam is victoriam tantam vel magicis cantibus vel pietati meritísque ipsius Imp. Marci adscribat.

Anno Christi CLXXV. Auidius Cassius Orientis Præses purpuram sumit, falso de morte Imperatoris nuncio delusus: sed non diu post, vix elapsis tribus mensibus, in ipso belli molimine perimitur.

Anno Christi CLXXVI. Antoninus Imperator in Orientem profectus turbatas componit prouincias, Faustinam vxorem ad radices Tauri montis subito morbo raptam deflet, Athenis Templum Cereris ingreditur, atque in reditu Commodum filium toga virili donatum consortem regni facit & Imperatorem appellat die 5. Kalendas Exuperatorias, hoc est 27. die Nouembris, ex Lampridio. Sunt etiam qui reuersos Romam triumphasse asserant: Nec abnuit Eusebius: Antoninus cum filio de hostibus triumphauit, quos per triennium apud Carnutum in Pannoniâ habens statiua castra, vastauerat. Atticus Platonicæ sectæ Philosophus agnoscitur.

Anno Christi CLXXVII. Olymp. CCXXXIX. primo, S. Soter Papa martyrium subiit die 22. Aprilis, cùm sedisset annis tribus mens. 11. & diebus 21. Eusebius initio libri 5. Historiæ Ecclesiasticæ docet Soterem, cùm ad octauum annum peruenisset obiisse, eíque successisse Eleutherum ab Apostolis duodecimum anno Marci Aurelij Antonini Imperatoris 17. quo per quasdam terræ partes aduersus Christianos excitata aliàs persecutio recruduit. Eadem habet in Chronico de Soteris annis & Eleutheri primordiis, qui patriâ Nicopolitanus è Græciâ post dies vndecim à morte decessoris ex Diacono creatus est ineunte Maio. Post Theophilum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus constituitur Maximinus. *Lugdunenses siue Athanacenses Martyres* XLVIII. *nobilissimi, Photinus seu Pothinus Episcopus nonagenario maior, Attalus, Sanctus, Vectius Epagathus clarus genere adolescens dictus Aduocatus Christianorum, Blandina, aliique, ex receptâ apud plerósque opinione, secunda Iulij & consequentibus aliquot diebus glorioſæ confeßionis palmam retulerunt; partim ferro necati partim beſtiis expoſiti, partim in carcere mortui: de quibus videndi Eusebius libro 5. Historiæ cap. 2. 3. & 4. Seuerus Sulpitius lib. 2. Gregorius Turonensis, Ado, aliique. S. Irenaus, qui Pothini in Lugdunensi cathedra successor anno proximè sequenti electus fuit, à Martyribus Romam Legatus ob quasdam Ecclesiæ quæstion. Eus. & S. Hieronymo test. missus fuisse dicitur ad Eleutherum Roman. Pontificem.* Athenagoras verò Philosophus Athenienſis pro Chri-

ſtianis Legationem obiit ad Imperatores Antoninum eiúſque filium Commodum. Extat eius Apologia. *Ad idem tempus referendæ ſunt neces SS. Marcelli Cabillone, Valeriani apud Trinorchium, Alexandri & Epipodij ad Anciſam petram.*

Anno Chriſti CLXXVIII. Imperatores multis multa largiti ſunt, & pecuniam, quæ fiſco debebatur, prouinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ Vrbis foro incendi præceperunt: ac ne quid bonitati deeſſet, ſeueriores quaſque leges nouis conſtitutionibus temperauerunt. *S. Irenæus reuerſus in Gallias ſcripſit aduerſus Blaſtum de Schiſmate & Florinum de Monarchia & Ogdoade.*

Anno Chriſti CLXXIX. Antoninus poſt victoriam de Marcomannis, Hermenduris, Sarmatis, & Quadis, quibus cum triennale bellum geſſit, adeò in editione numerum magnificus fuit, vt centum ſimul leones exhibuerit. Smyrna vrbs Aſiæ terræ motu collapſa eſt: ad cuius inſtaurationem decennalis tributorum immunitas data eſt.

Anno Chriſti CLXXX. Marcus Aurelius Verus, ſiue Antoninus Philoſophus Imperator durante adhuc bello Marcomannico in Pannoniâ diem obiit extremum, præſente filio in caſtris, quæ Sirmij erant, 16. Martij menſis, cùm vixiſſet annos 58. menſes 10. & dies 20. imperaſſet annos 19. dies 10. Commodus. Succeſſit optimo parenti peſſimus filius L. Aurelius COMMODVS, qui paullo pòſt de Germanis triumphauit, & pacem Eccleſiis dedit, ſuaſu vt par eſt credere, Martiæ concubinæ Chriſtianorum ſtudioſiſſimæ. Poſt Agrippinum Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopatum ſortitur Iulianus annis 10. ſub quo Pantænus ex Stoïco Chriſtianus claruit Clementis Alexandrini præceptor.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CLXXXI. Olymp. CCXL. primo, Templum Serapidis Alexandriæ incenſum, Iſidis ſacra Romani ſuſcipiunt, iiſque initiatur Commodus. Theodotion genere Ponticus hoc fermè tempore ſcripturas ſacras ex Hebraïcâ linguâ in Græcam tranſtulit: quæ tertia eſt editio.

Anno Chriſti CLXXXII. Iulius Pollux Grammaticus inſignis habetur. *Commodus dicitur libertatem ac iura, quæ Belgis conceſſerat Aurelius, reſcidiſſe.*

Anno

Anno Christi CLXXXIII. Thermæ Commodianæ Romæ factæ. Imperator cædibus optimorum virorum grassari incipit. Vlpius Marcellus rebellantes Britannos reprimit.

Anno Christi CLXXXIV. Commodus Septembrem mensem nomine suo appellauit. Lucium Britannorum Regem hoc ferè tempore ad fidem Christi accessisse tradunt missis ad Eleutherum Rom. Pont. literis, ac post decennium abdicato regno factum Curiensem in Rhætia Episcopum Martyrio vitam finiuisse; alij tamen eundem in regno mortuum fuisse sine prole, quæ sibi posset succedere, & Gloceſtriæ sepultum volunt. Rhætis verò alium Lucium fuisse concionatum. Quas lites otiosis decidendas libens permittam.

Anno Christi CLXXXV. Olymp. CCXLI. primo, Hierosolymis XXVI. ordinatur Episcopus Maximus, post quem XXVII. Antoninus, XXVIII. Valens, XXIX. Dulcianus, XXX. Narcissus, XXXI. Dius, XXXII Germanicus, XXXIII. Gordius, XXXIV. rursum Narcissus. Tantis porrò apud Hierosolymam Episcopis constitutis, non potuimus, inquit Eusebius, decernere tempora singulorum, eò quòd vsque in præsentem diem Episcopatus eorum anni minimè saluarentur. Commodus Lucillam germanam suam, quæ Pompeiano nupserat, pluréſque è coniuratis necari iussit, operam præstante Perennio Prætorij Præfecto.

Anno Christi CLXXXVI. Origenes patre Leonida nascitur hoc fermè tempore.

Anno Christi CLXXXVII. Perennius aduersus Commodum conspirat: quo cum liberis occiso duo Præfecti Prætorio constituti. Apollonius, quem Senatorem Romanum pleríque nominant, ob Christianam religionem vocatus in iudicium, accepta in Senatu dicendi potestate, cùm eruditam orationem habuisset, sententia Senatorum damnatus, & supplicio capitis affectus est.

Anno Christi CLXXXVIII. In Capitolium fulmen ruit, & magna inflammatione facta Bibliothecæ & vicinæ quoque ædes crematæ sunt. Cleander homo vilissimæ originis, ob auaritiam, ambitionem, aliáque vitia populo exosus, cùm diu potentia Principis abusus esset, tandem eius iussu cum liberis & amicis peremptus est. Perit quoque Maternus miles,

qui in festo Matris Deorum Commodum opprimere statuerat.

Anno Christi CLXXXIX. Olymp. CCXLII. primo, Imperator Colossi capite sublato, suæ imaginis caput iussit illi imponi. Post Iulianum Alexandriæ constituitur Episcopus Demetrius annis 43.

Anno Christi CXC. Commodus multos nobilium interficit, & spectacula populo Romano præbet insignia Hercules, iaculator, gladiator. Talmudica collectio annis 120. post deleta à Tito Hierosolyma.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CXCI. Incendio Romæ facto Palatium & ædes Vestæ, ac delubrum Pacis, plurimáque Vrbis pars solo coæquatur.

Anno Christi CXCII. S. Eleutherus Papa ad superos abiit die 26. Maij, cùm sedisset annos 15 & dies 23. Suscepit Romanum Episcopatum Kal. Iunij Victor natione Afer post dies quinque à nece decessoris ad annos decem, cuius non mediocria, inquit Eusebius, de religione extant volumina. Commodus Imperator pridie Kalendas Ianuarias in domo Vestiliani strangulatur, conspiratione Martiæ pellicis, Læti & Electi Cubiculariorum, cùm imperasset annos 12. mens. 9. dies 14.

Pertinax. *Anno Christi* CXCIII. P. Heluius PERTINAX septuagenario maior, cùm Præfecturam Vrbis ageret, ex Senatusconsulto imperare iussus est. Aiunt obsecrante eodem Senatu, vt vxorem suam Augustam & filium Cæsarem appellaret, contradixisse, sufficere testatum quòd ipse regnaret inuitus. Tanta modestia præditus princeps ab ipsis circiter Kalendis Ianuariis imperauit per duos menses & dies 27. vsque ad 28.

Iulianus. Martij diem quo Didij IVLIANI Iurisperiti scelere in palatio *à Tunsio gente Tungro* occisus est; quem post 66. dies siue

Seuerus. duos menses & dies quinque C. Septimius SEVERVS apud Muluium Pontem interfecit Kalendis Iunij, antequam inciperet Olympiadis CCXLIII. annus primus. Auditâ quippe cæde Pertinacis tres sibi imperium vsurparunt Clodius Albinus in Britannia, Pescennius Niger in Syria, & Seuerus in Pannonia, qui oriundus ex prouinciæ Tripolitanæ oppido Lepti solus ex Africa vsque in præsentem diem, inquit Eusebius, Romanus Imperator fuit: & in honorem Pertinacis, quem Iulianus occiderat, Pertinacem se cognominari iussit. Idem

Albinum sibi adiunxit, collata Cæsaris dignitate, vt Nigrum facilius tutiúsque superaret.

Anno Christi CXCIV. Seuerus post varios cum Nigro in Oriente conflictus eius copias ad Issum concidit, ex quo certamine fugâ dilapsus, vel prope Euphraten, vel, vt alij haud procul Cyzico obtruncatus est. Victor Papa Theodotum τὸν σκυτέα Byzantinum ab Ecclesia eiecit.

Anno Christi CXCV. Clemens Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter Pantæni discipulus Στρωματεὺς siue contextor dictus, in disputatione dogmatis nostri disertissimus habetur. Seuerus Byzantium obsidet.

Anno Christi CXCVI. exorta inter fideles de Paschatis celebratione controuersiâ, an secundùm legem Mosis XIV. mensis Pascha obseruandum esset, coactum est Romæ Episcoporum Concilium, cui cum pluribus aliis interfuisse dicitur vocatus à Victore Papa Theophilus Cæsariensis Antistes. In eo decretum est aduersus Quartadecimanos agendam esse à Christianis solennitatem Paschalem ex institutione maiorum die Dominico decimumquartum Lunæ diem post vernum æquinoctium proximè consequente. Eodem fermè tempore eandémque ob causam celebratæ sunt variæ per orbem Synodi. I. in Gallia præside S. Irenæo Lugdunensi Metropolita à tredecim vt perhibent Episcopis. II. Cæsareæ in Palæstina, cui præfuit Theophilus, cuiúsque fragmentum recitat Ven. Beda libro de Vernali æquinoctio. III. in Achaia Præside Bacchylide siue Bacchylo Corinthiorum Episcopo. IV. præside Palma in Ponto. V. in prouincia Osrhoënorum: aliæque, quarum loca non expressit Eusebius lib. 5. Hist. cap. 22. At Polycrates Ephesiorum Episcopus, eíque consentientes vicini Episcopi decreuerunt ex recepta à maioribus suis consuetudine celebrandum esse Pascha Luna 14. primi mensis, eodem cum Iudæis die, siue Dominicus is esset, siue in quamcumque hebdomadis feriam incidisset. Quod decretum, cùm à Victore Papa excommunicationem intentante, ac nisi, per literas intercessisset Irenæus, in pertinaces Asianos vibrante, tum à Conciliis Arelatensi I. Niceno I. aliísque prorsus abolitum est. Narcissus quoque Hierosolymor. Episcopus præter prædictos, plurimíque Ecclesiarum pastores, quid eis probabile visum fuerit ad eam litem dirimendam, literis edide-

runt, quarum memoria ad nos vsque perdurat, inquit in Chronico Eusebius. *Extat quoque Victoris Papæ epistola ad Desiderium Viennensem Episcopum: quam viri eruditi saltem vt suspectam repudiant non secus ac aliam ad Paracodam.*

Anno Christi CXCVII. Olymp. CCXLIV. primo, Iudaïcum & Samariticum bellum motum. Seuerus aduersus barbaros in Mesopotamia pugnat. Byzantini triennio obsessi tandem se dedunt, & mœnibus ac libertate mulctantur, Perinthiis contributi. Reuersus in Italiam Imperator, cùm contra Clodium Albinum copias moueret, in itinere Bassianum maiorem natu filium Cæsarem fecit, & M. Aurelium Antoninum vocauit. Numerianus quidam ex Grammatico Dux repente factus prosperè rem gerit in Galliis aduersus Albinum.

Anno Christi CXCVIII. *Cæso ad Rhodanum Clodio Albino, vrbs Lugdunensis à Seueri militibus direpta fuit atque incensa: & in amicos fautoresque Albini crudelissimè sæuitum. Tunc occisum fuisse cum omnibus Christianis S. Irenæum Apostolicorum temporum virum quidam sentiunt, licet plerique existiment cladi superfuisse ad aliquot annos.*

Anno Christi CXCIX. Seuerus Antoninum Bassianum maiorem natu filium ex Cæsare Imperatorem creat, minorem verò P. Septimium Getam Cæsarem: ludos edit, congiarium populo, militibus donatiuum exhibet. Tertullianus Afer vir eloquentissimus librum de Coronâ militis scribit: iisque temporibus aptari meritò possunt quæ Iudæis opponit capite septimo: Gætulorum varietates & Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, *& Galliarum diuersæ nationes*, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò subdita; & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs possumus, &c. Christi regnum & nomen vbique porrigitur, vbique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, vbique regnat, vbique adoratur.

Anno Christi CC. Seuerus susceptа in Orientem expeditione Parthos eorúmque Regem Artabanum, & Adiabenos superauit, Ctesiphontem cepit ac diripuit. Arabas quoque interiores ita cecidit, vt regiones eorum Romanam prouinciam fecerit. Ob quæ Parthicus, Arabicus, Adiabenicus cognominatus est.

TERTIVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM TYRANNORVM AC CÆDIVM.

Ab anno Domini IESV 201. *M.* 4254. *Romæ* 954. *ad annum Christi* 300. *M.* 4353. *Romæ* 1053.

DVCENTESIMO PRIMO CHRISTIANÆ ÆRÆ ANNO, Olymp. CCXLV. primo, S. Victor I. Papa die 28. Iulij martyrij palmam adeptus est, cùm sedisset annis 9. mense vno & diebus 28. Successit S. Zephyrinus, patriâ Romanus, post vndecim dies anno Seueri Imper. nono, vt docet Eusebius, non solùm in Chronico, sed etiam libri 5. Hist. cap. 27. τούτου ὃ ἔτει δίκα παρασάντος τῆς λειτουργίας Ἀσφάλιος καθίσταται Ζεφυρῖνος ἀμφὶ ὃ ἔννατον τῆς Σεβήρου βασιλείας ἔτος. Ex Tertulliano discimus vexatos fuisse in Africâ Christianos à Proconsule Scapula, priusquàm in eos Imperator seuerè edixisset. Seuerus Alexandriam venit, Ægyptum ordinat, dein vnà cum filiis post biennium in Vrbem cum triumpho de Parthis aliisque nationibus reuertitur & Decennalia celebrat.

Anno Christi CCII. Sexta Persecutione in Christianos excitatâ Leonides pater Origenis die 2. Aprilis, Philippus Ægypti Præses, aliique plures gloriosâ martyrij morte transferuntur: dictíque tum Christiani semiaxij & sarmentitij. *Plerique S. Irenæum hoc anno die 28. mensis Iunij cum omni fere populo suo passum volunt, cùm alij citiùs collocare malint, eo scilicet tempore, quo Lugdunum à Seuero post Albini cædem direptum incensúmque fuit. Huius discipuli Felix Presbyter, Fortunatus & Achilleus Diaconi; Ferreolus Presbyter & Ferrucio Diaconus iisdem fermè temporibus passi videntur: hi Vesuntione, illi Valentiæ ad Rhodanum.* Antoninus Imp. cum Plautilla Plautiniani Præfecti Prætorio ditissimi, & in Christianos crudelissimi, filiâ nuptias contrahit. Iudas Christianus scriptor suum in Danielis hebdomadas commentarium in hunc vsque annum deduxit, teste Eusebio lib. 6.

cap. 7. Quartam verò Scripturæ ſacræ verſionem adornabat hoc circiter tempore Symmachus.

Anno Chriſti CCIII. L. Septimius Plautianus, cùm inſignia Conſulatus ante accepiſſet, P. Septimij Getæ Cæſaris factus hoc anno in Conſulatu ordinario Collega, primus II. Conſul vocatus fuiſſe perhibetur. Quod plerique poſtea fuerunt æmulati, vt diſcimus ex Faſtis, Dione, aliíſque. Idem Dio tunc Capuæ ſcribendæ hiſtoriæ operam dabat, cùm Veſuuij montis horrendum mugitum audiuit. De Pantheo ab Imperatore reſtituto vide Gruteri Inſcriptiones ipſo initio.

Anno Chriſti CCIV. Chilone & Libone Coſſ. Ludi ſæculares meſſis tempore magna pompa celebrati Iuliano 249 & poſt eodem ab Auguſto exhibitos 120. vt docent Cenſorinus cap. 17. de Die Natali, Zoſimus lib. 2. aliíque. Plautianus præcipuus motæ in Chriſtianos perſecutionis incentor, detectâ in Imperatores conſpiratione, eiúſque fautores & amici hoc, vel vt alij ſequenti anno trucidati. Alexander ob confeſſionem Dominici nominis inſignis habetur. Muſanus noſtræ Philoſophiæ ſcriptor agnoſcitur. In hoc anno, addit Euſebius, Seueri 12. Abraami 2220. Antiochenæ vrbis 252. Iobelæum à maioribus inuenimus obſeruatum.

Anno Chriſti CCV. Olymp. CCXLVI. primo, occaſione perſecutionis à Seuero indictæ in Chriſtianos quidam cenſent Minutium Felicem Romæ cauſas agentem terſum illum edidiſſe dialogum qui inſcribitur Octauius, ſuperiori ſæculo Franciſ. Balduini eximia Præfatione atque hoc noſtro multorum notis plurimùm illuſtratum.

Anno Chriſti CCVI Bulas latro à Seuero dolo captus meritas ſcelerum pœnas luit. Origenes Alexandriæ ſtudiis eruditur ſibíque virilitatem adimit. Caracalla & Geta ſublato Plautiano, quem velut Pædagogum verebantur, in vitia turpémque vitam prolabuntur.

Anno Chriſti CCVII. Seuerus in Britannos bellum transfert, vbi vt receptas prouincias ab incurſione barbaricâ faceret ſecuriores, vallum ſiue murum lapideum per 122. paſſuum millia à mari ad mare duxit: quod tandem poſt biennium factum fuiſſe volunt. Tertullianus Afer Centurionis Proconſularis filius omnium Eccleſiarum ſermone celebratur. Hoc anno contra Marcionem ſcripſiſſe creditur & ſeq. eruditum

de Pallio librum. Caracalla decennalia celebrauit circa Kalendas Iunij menſis.

Anno Chriſti CCIX. Olymp. CCXLVII. primo, P. Septimius Geta ſuperioris anni Conſul ex Cæſare decreto Senatus nuncupatur Imperator.

Anno Chriſti CCX. Armamentarium vetuſtate collapſum prope Lugdunum Batauorum reſtituunt Imperatores, vt docet vetus Inſcriptio an. 1520. eruta.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCXI. Seuerus Imperator Eboraci in Anglia moritur die 4. Februarij, cùm vixiſſet annos 69. menſes 8. imperaſſet annos 17. menſes 8. dies 3. eiuſque corpus inde Romam delatum. Succedunt M. Aurelius ANTONINVS, Caracalla dictus vulgò, propter genus veſtis quod Romæ erogauerat, eiúſque frater L. Septimius Geta. Poſt Serapionem Antiochiæ Epiſc. conſtituitur Aſclepiades. Antoninus.

Anno Chriſti CCXII. Antoninus fratrem Getam in gremio Iuliæ Domninæ matris annum 22. ætatis & menſem 9. agentem crudeliter occidit die 26. Februarij, amicos eius vſque ad viginti millia, & I C. inſignem Papinianum Præf. prætorio, quod compoſita oratione parricidium illud excuſare nollet. Alexander XXXV. Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatur adhuc viuente Narciſſo, & cum eo pariter Eccleſiam regit.

Anno Chriſti CCXIII. Olymp. CCXLVIII. Imperator ad Iſtrum & Septentrionales Romani orbis prouincias proficiſcitur. Alemannici cognomen aſſumpſiſſe deuictis ad Mœnum Alamannis teſtis eſt Spartianus. De Sunnone Sicambrorum Rege eiuſque ſucceſſore Hilderico ex Trithemio ſimilibúſque fabularum nugarúmque propolis nonnulla Caluiſius, quæ tu cum aliis eiuſdem commatis mercibus ableges velim procul ad Garamantas & Indos, aut toto diuiſos orbe Britannos.

Anno Chriſti CCXIV. In Concilio Africanorum Antiſtitum præſide Agrippino Carthaginenſi Primate decretum eſt Hæreticos denuò eſſe baptizandos.

Anno Chriſti CCXV. Antoninus Alexandriæ populum, immiſſis in eos armatis militibus immaniter trucidauit, quòd ipſum aliàs irriſiſſent. Romæ thermas ſui nominis exſtruxit,

támque impatiens libidinis fuit, vt nouercam ſuam, vel vt alij, matrem ipſam Iuliam vxorem duxerit. Tertullianus Montano ab aliquot annis adhærens librum de Monogamia ſcripſit, damnatis ſecundis nuptiis, aliiſque Eccleſiæ Catholicæ ritibus 160. annis poſt ſcriptam à S. Paulo primam ad Corinthios Epiſtolam. Oppianus Cilix Poëta hoc ferè tempore mortuus creditur qui Halieutica Seuero & Caracallæ, Cynegetica eidem poſt obitum patris dedicauit, vt aliàs pluribus docebimus.

Anno Chriſti CCXVI. Caracalla Augarum Oſrhoënorum Regem dolo euocatum in vinculis habet, Artabano Parthorum Regi illudit, multos ex militibus occidit, regnúmque populatur. Arbella capit & ſepulcra Parthorum abiectis oſſibus euertit.

Anno Chriſti CCXVII. Imperator Antoninus Caracalla interficitur à Martiale Centurione inter Edeſſam & Carras die 8. Aprilis anno ætatis 43. imperij à morte partis 6. menſibus 2. & diebus quinque. M. Opilius MACRINVS Præfecturam prætorio gerens ſuccedit, & filium M. Opilium Diadumenianum Cæſarem creat. Iulius Africanus ſeriem Stadionicarum concinnauit à Choræbo Eleo ad vltimum ætatis ſuæ Heliodorum Alexandrinum, qui iterùm ſtadium vicit præſenti Olympiade CCXLIX. ineunte. Hierichunte Quinta Sacrarum literarum in dolio reperta eſt editio.

Macrinus.

Anno Chriſti CCXVIII. Macrinus Imp. cum filio Diadumeniano occiditur in Archelaide à militibus die 7. Iunij, cùm imperaſſet annum vnum & menſes circiter duos. Succedit viuente adhuc Macrino die altera poſt Eidus Maij M. Aurelius Antoninus ALAGABALVS ſiue Heliogabalus Imperatorum omnium nequiſſimus, Antonini Caracallæ, vt putabatur, filius, qui adeò impudicè in imperio ſuo vixit, vt nullum genus obſcœnitatis omiſerit. Antiochiæ in Syria hoc anno hiemauiſſe teſtatur Herodianus. Poſt Aſclepiadem Antiochiæ Epiſcopus conſtituitur Philetus. Abgarus vir ſanctus regnauit Edeſſæ teſte apud Euſebium Africano. Circenſibus Vulcanaliorum Romæ Amphitheatrum incenſum.

Alagabalus.

Anno Chriſti CCXIX. S. Zephyrinus Papa obiit die 26. Auguſti poſt ſedem annorum 18. & totidem dierum. Succedit S. Calliſtus I. patria Romanus ineunte Septembri ad an. 5.

Anno

Anno Christi CCXX. Imperator Romæ Heliogabalum Templum ædificauit in honorem Dei sui Alagabali, seu Heliogabali, cuius fuerat antea Sacerdos: quemque cæteris omnibus Diis prælatum humanis victimis cæsis aliquot pueris placasse fertur. Rabbi Samuel floret quem Tekuphas ex 7. Octob. in 24. Sept. retraxisse volunt in Kalend. Iudaïco.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCXXI. Olymp. CCL. primo, In Palæstinâ Nicopolis, quæ priùs Emmaus vocabatur, vrbs condita est, industriam legationis ad Imperatorem pro eâ suscipiente Iulio Africano scriptore temporum, qui Chronicon suum vsque ad Consules huius anni Annium & Claudium Seleucum perduxisse dicitur. Alagabalus Bassianum siue Alexandrum Seuerum, Mammææ filium, consobrinum suum adoptauit, collata Cæsaris dignitate, auxítque Tribunitia potestate.

Anno Christi CCXXII. Imperator perditissimus Alagabalus cum matre Iulia Sohemica tumultu militari interfectus est die 6. aut Martij, ætatis 18. cùm imperasset annos tres, menses 9. & dies 4. vixisset verò dumtaxat 18. Cadauer eius vnco tractum per Vrbem à plebe & in Tiberim proiectum. Successit Marcus Aurelius ALEXANDER Seuerus Imperator optimus adolescens 16. annorum, cuius ad primordia historiam suam integram Dion Cassius pertexuit, reliquis, quæ ad Consulatum suum consequuta sunt, veluti per Appendicem breuiter adiectis. Hippolytus Portuensis Episcopus hoc anno Alexandri primo Canonem Paschalem confecit, quo Pascha celebratum est die 21. Aprilis, & decimaquarta Paschæ contigit Idibus Aprilis sabbato, cùm mensis embolimæus fuisset, quæ tria huic anno vnicè competunt. Qui enim cum Baronio ex malè collocata annorum Christi vulgarium epocha ad annum 224. reuocant, sibi contradicunt ipsi, cùm 13. Aprilis dies fuerit feria tertia, & 14. Paschalis die 22. Martij, non 13 Aprilis. Sed de his vide effossam anno 1551. in æde Laurentiana prope Romam Inscriptionem, eiúsque enarratores Scaligerum, Petauium, Bucherium, alióque. Alexander.

Anno Christi CCXXIII. Alexander tam Seuerus disciplinæ militaris corrector fuit, vt quasdam tumultuantes Legiones integras exauthorauerit. Idem Christum, Abrahamum,

Apollonium Thyaneum, atque Orpheum in Larario suo quotidie coluisse dicitur, in matrem Mammæam vnicè pius, & ob id omnibus amabilis. Permisit Iudæis, vt in Palæstinâ degerent, suisque priuilegiis vterentur. Præfectorum quos in prouincias destinabat nomina publicè proponebat, vt si quis quem accusare vellet, id commodè faceret: Dicebat enim, cùm id Christiani faciant in ordinandis Sacerdotibus, multò magis id fieri debere in prouinciarum Rectoribus. Idem affigi vbique ac proclamari iubebat illud effatum: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Anno Christi CCXXIV. S. Callistus I. Papa mortem pro Christo Martyr obiit die 14. Octobris, cùm sedisset annos 5. mensem vnum & dies 12. Quæ autem Christianorum cædes Alexandro imperante contigerunt, eius solent consiliariis & assessoribus adscribi, Domitio Vlpiano (quem ridiculè Miræus Alexandri, vt Papinianum Seueri, Cancellarium appellat) Pomponio, Celso, Modestino, Paullo, Proculo, Venuleio, similibúsque Iureconsultis & Iudicibus, Christianæ religionis hostibus infensissimis. Succedit Callisto Vrbanus I. patria Romanus, cùm sedes Pontificia dies sex vacasset.

Anno Christi CCXXV. Olymp. CCLI. primo, Iphitæo 1001. Alexander Mathematicos Romæ profiteri permittit, plurimísque sancitis legibus Rempublicam instaurat.

Anno Christi CCXXVI. Vlpianus cùm Prætorianos milites offendisset, è Palatio quo confugerat extractus, interfectus est, impulsore Epagatho qui anno seq. in Ægyptum missus vt Præfectura fungeretur, in Creta insula occisus fuit. Imperator Thermas Neronianas Romæ reficit, & iis nouas de suo nomine dictas Alexandrinas adiicit. Palmatius Consularis, Calepodius, Simplicius, aliíque plures Romæ martyrio coronati.

Anno Christi CCXXVII. Geminianus, siue Geminus, Presbyter Antiochenus, & Beryllus Episcopus Bostrenus in Arabiâ clari scriptores habentur. Artaxerxem Persam hoc vel præcedenti anno ab Artabano Parthorum Rege defecisse volunt annis 329. ante annum Cosrhois quintum, Iustiniani Imp 28. ex Agathiâ.

Anno Christi CCXXVIII. Origenes Cæsareæ in Palæstinâ à Theoctisto Episcopo, Presbyter ordinatur, quem Alexan-

driam reuerſum poſt biennium vexaſſe dicitur Demetrius Epiſcopus: vnde illi ſecedendi data occaſio, relicto Heraclâ ſcholæ ſucceſſore.

Anno Chriſti CCXXIX. Olymp. CCLII. primo, poſt Philetum Antiochiæ conſtituitur Epiſcopus Zebennus: Dio Caſſius Aproniani filius, Hiſtoriæ Romanæ ſcriptor, collega fuit hoc anno Alexandri Seueri III. Conſulis.

Anno Chriſti CCXXX. S. Cæcilia virgo die 21. Nouembris, cum Tiburtio, Valeriano, Maximo, aliiſque martyrij palmam adepta eſt. De iis Conſule Martyrologia & Baronium ſiue in Notis ſiue in Annalibus Eccleſiaſticis.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCXXXI. Poſt Demetrium Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur Heraclas annis 16. ad quem veniſſe dicunt Alexandriam Africanum doctrinæ eius fama commotum. S. Vrbanus I. Papa martyrio vitam finiit die 25. Maij, cùm ſediſſet annis ſex, menſibus 7. diebus 4. Succeſſit exeunte Iunio S. Pontianus patria Romanus.

Anno Chriſti CCXXXII. Florebat eo tempore Ammonius Platonicus Philoſophus Chriſtianæ religionis ſectator, Euangelicæ Harmoniæ auctor, quem Alexandriæ docentem audiit per annos vndecim Plotinus patria Lycopolitanus, cuius vitam ſcripſit Porphyrius. Origenes Hexapla atque Octapla ſua magno ſtudio adornabat: cuius memorantur inſignes amici Firmilianus Cæſareæ in Cappadocia & Alexander Hieroſolymorum Epiſcopi, diſcipuli verò Theodorus ſiue Gregorius cognomento Thaumaturgus Neocæſareæ in Ponto poſtea creatus Epiſcopus, eiúſque frater Athenodorus.

Anno Chriſti CCXXXIII. Olymp. CCLIII. primo, Artaxerxes Perſici imperij Parthis deuictis, occisóque eorum Rege Artabano, poſt annos ab Arſace 400. in Oriente inſtaurator Romanos fines populatur, & Alexandri Seueri literas ſuperbè contemnit.

Anno Chriſti CCXXXIV. Imperator ſuſcepta in Perſas expeditione Artaxerxem glorioſiſſimè vincit, reuersúſque Romam triumphat die 25. Septembris: Dein Pontianum Papam in Sardiniam relegat.

Anno Chriſti CCXXXV. Alexander aduerſus Germanos

profectus, quòd militarem disciplinam seueriùs exerceret, cum matre Mammæâ à Prætorianis militibus principe Epagatho occisus est *in vico prope Moguntiacum, cui nomen Sicilia, recentiores quidam Siclingen vocant*, die 18. Martij labente anno Iphiti 1010. Olymp. CCLIII. secundo (Anonymus paullò obscurius loquitur atque intricatiùs, dum ait: Sunt omnium Olympiades vsque ad annum 13. Alexandri Olympiades 253. quæ sunt anni 1012. sic autem debet exponi: Alexandri Imperatoris 13. annus incidit in Olymp. 253. quæ cùm orbe reuoluto ad exitum perducta fuerit, consient anni Iphitæi 1012.) cùm imperasset annos 13. & dies 9. vel vt alij 13. vixisset verò annos 29. menses 3. dies 7. Iulius MAXIMINVS Thrax, Gotho patre, Alanâ matre, dictus ob sæuitiam Cyclops atque Busiris, primus ex corpore militari sine Senatus auctoritate ab exercitu Imperator electus est, vel die 18. Martij, vel Kalendis Aprilis. Hic rebus prosperè in Germaniâ gestis Sirmij hyemauit & septimam aduersus Christianos, siue vt Eusebius habet, Ecclesiarum Sacerdotes, Persecutionem mouit, pluribus occisis, atque inter cæteros S. Pontiano Romano Pontifice die 19. Nouembris, cùm sedisset annos 4. & menses ferè quinque. Successit S. Anterus siue Anteros, natione Græcus, ineunte Decembri, ad vnum circiter mensem.

Anno Christi CCXXXVI. S. Anterus Papa martyrio coronatus est die 3. Ianuarij, cùm vix vno mense sedisset. Succedit post dies 13. Fabianus, patria Romanus, annis 13. M. Antonius Gordianus Africanus purpuram sumit Carthagine in Africâ cum filio Gordiano, & Romæ Augusti proclamantur die 27. Maij, verùm hoc in prælio à Capeliano, aliisque Maximini ducibus cæso, vitam ille laqueo finiit anno ætatis 80. circa Maium mensem anni proximè consequentis.

Anno Christi CCXXXVII. Olymp. CCLIV. primo, D. Cœlius BALBINVS & M. Clodius PVPIENVS Maximus, qui anno Christi 227. Consulatum vnà gesserant, à Senatu aduersus Tyrannum deliguntur Imperatores, qui exosus omnibus in castris ad Aquileiam positis cum filio Maximo, & Præfecto prætorio, aliisque pluribus à militibus interfectus est mense circiter Octobri, cùm imperasset biennium & menses ferè sex. Capitolinus in vita Gordiani iunioris notat eclipsim Solis insignem contigisse initio imperij eiusdem,

Balbinus. Pupienus.

quæ fuerit omen non diu imperaturi Gordiani. Buntingus, Keplerus, Petauius, Ricciolus, aliique qui ad Eclipsim Solis factam 12. Aprilis huius anni respiciunt, animaduertere debuerant, non ante Maium mensem periisse Gordianos Africanos, nec iuniorem à militibus Imperatorem acclamatum nisi post electos à Senatu Balbinum & Pupienum, eosdémque postea à militibus in Ludis Capitolinis interfectos.

Anno Christi CCXXXVIII. GORDIANVS iunior Gordiani Senioris nepos, adhuc penè puer, annos 13. vel 16. natus, à militibus Imperator factus est initio huius anni, saltem ante mensem Aprilem, cuius secunda die ac secunda feria horis ante meridiem quatuor contigit Eclipsis Solis à Capitolino memorata. Eusebius ait Gordiano Romam ingresso Pupienum & Balbinum qui imperium arripuerant in palatio occisos, quam cædem Historici ad Ludos Capitolinos referunt, seu dum celebraretur Agon Capitolinus 39. Hunc porro annum, cuius velut index & titulus quidam est, M. Vlpij Criniti & Proculi Pontiani consulatus, Periodi Iulianæ 4951 Censorinus in eruditissimo de die Natali commentariolo multis, iisque indubitatis, characteribus designauit, ab Olympiade prima 1014. Romæ 991. Iulianum 283. Augustæum 265. Actiacum 267. Nabonassareum 986 & Philippi Aridæi siue à morte Alexandri M. 562. quorum Thoth die 25. Iunij feriâ secundâ contigit. Quas temporum notas, si ad Baronij, Onuphrij, aliorúmque (qui vulgaris Æræ Christianæ caput vno vel duobus annis citiùs anteuertunt, & à vero Christi, vt putant, Natali non distinguunt) Chronologias, tanquam Lydium lapidem admoueris, videbis illicò quantum à certissimo veritatis tramite aberrent. Gordianus.

Anno Christi CCXXXIX. Post Zebennum seu Zebinum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus ordinatur Babylas ad an. 12.

Anno Christi CCXL. Sabinianus tyrannus in Africâ opprimitur. In Labesitanâ eiusdem Africæ colonia condemnatus est à 90. Episcopis Priuatus quidam Hæreticus quem & Fabianus Papa & Donatus Carthaginensis Præsul seueriſſimè notarunt. Vide ep. 55. S. Cypriani ad Cornelium Papam de Fortunato & Feliciſſimo. Origenes Athenas iterum petiisse asseritur, vt conquisitis vndequaque libris Bibliothecam suam instructissimam locupletaret.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCXLI. Olymp. CCLV. primo, Gordianus Misithei doctissimi viri filiam ducit vxorem, tum ad Persicam, expeditionem se accingit. *Ad hunc annum spectat vetus hæc inscriptio: Pro salute Imp. Antonini Gordiani Pij Fel. Aug. totiúsque domus diuinæ, proque statu ciuit. Lactor. Tauropolium fecit ordo Lact. D.N. Gordiano II. & Pompeiano Coss. VI. Id. Dec. curantibus M. Erotio & Festo Caninio Sacerdot.*

Anno Christi CCXLII. Imperator per Mœsiam, Thraciam Asiamque venit in Syriam, captísque Nisibi, Carris, aliísque vrbibus bellum aduersus Persas prosperè gerit. Agon Capitolinus quadragesimus celebratus est.

Anno Christi CCXLIII. Misitheum socerum Præf Præt. cuius consilio & industriâ hactenus res feliciter processerant, Gordianus occidit dolo Philippi Arabis, cui etiam Præfecturam prætorij imprudens commisit.

Philippus. *Anno Christi* CCXLIV. M. Iulius PHILIPPVS Arabs Præfectus Prætorio innocentissimum Imperatorem Gordianum, cùm superata Persarum natione victor reuerteretur in patriam, haud longè à Romano solo interficiendum curauit ipsis Kalendis Martiis, vt quibusdam placet, postquàm imperasset annos sex. Huic milites ædificarunt tumulum, qui Euphrati imminet, ossibus eius Romam reuectis. Philippus pace cum Sapore Persarum Rege facta in Italiam rediit cùm Bosram vrbem in finibus Arabiæ instaurari iussisset, deductísque colonis Philippopolim vocauit.

Anno Christi CCXLV. Olymp. CCLVI. primo, Philippus Priscum fratrem suum Syriæ exercitibus præfecit: Seuerianum verò generum Mysiæ ac Macedoniæ.

Anno Christi CCXLVI. Imperator Philippum filium suum adeò seueri vultus puerum, vt numquam risisse fama sit, consortem regni facit, hoc est Cæsarem, primúsque omnium ex Romanis Imperatoribus Christianus fuit, inquit Eusebius. Qua de re multi acriter in vtramque partem disputant.

Annis Christi CCXLVII. & CCXLVIII. Philippis patre Aug. & filio Cæsare Coss. sub initia atque exitum millesimi anni ab Vrbe conditâ Ludi Sæculares acti sunt Romæ: ob quam solennitatem innumerabiles bestiæ in Circo magno interfectæ, ludíque in campo Martio theatrales tribus diebus

ac noctibus populo peruigilante celebrati. Quadraginta missus natali Romanæ vrbis, id est die 21. Aprilis, concurrerunt, & agon mille annorum actus, inquit Eusebius in Chronico: vbi etiam additur, Theatrum Pompeij incensum, & Hecatonstylon, atque à Philippo vrbem nominis sui in Thraciâ constructam. Idem Imperator Poëtas propter poëseos abusum lege edita ex albo Professorum bonarum artium sustulit, & priuilegiis exclusit. Ad hæc tempora reuocatur Synodus in Arabia celebrata aduersùs hæreticos affirmantes animas hominum mortales esse, eásque cum corporibus extingui ac in nouissimo die cum iisdem pariter excitatum iri. Quam in rem videndus Eusebius libri 6. Hist. cap. 30. Huic interfuisse volunt Origenem, quem idem Auctor cap. 25. testatur ad saniorem mentem reduxisse Beryllum Arabiæ Episcopum, quòd de Diuinitate Christi Domini haud rectè sensisset ab Episcopis damnatum. S. Cæcilius Cyprianus in locum demortui Donati creatus est Carthaginensis Episcopus Africæ Primas ad annos decem & menses aliquot: Sanctus quoque Dionysius Heraclæ morte vacuum Alexandriæ thronum conscendit, quem ad annos 17. obtinuit.

Anno Christi CCXLIX. Olymp. CCLVII. primo, Philippus Imperator Veronæ à militibus peremptus est, cùm imperasset annis quinque, & mensibus aliquot sextum iam delibasset. Filius verò eius Philippus iunior Cæsar Romæ equo excussus, dum languet, occiditur. Successit C. Messius Quintus Traianus DECIVS ex inferiore Pannonia Budaliæ natus, qui in odium Philipporum Octauam in Christianos Persecutionem mouit, quam pluribus describunt S. Cyprianus, Eusebius, Orosius, alij, filiúmque suum Q. Herennium Etruscum Messium Decium Cæsarem creauit. Decius.

Anno Christi CCL. S. Fabianus Papa glorioſa morte pro Christo defungitur die 20. Ianuarij, vel vt alij 18. cùm sedisset annos 15. & dies 5. Vacauit post eius obitum Sedes Romana vno anno & tribus insuper mensibus. S. Antonius Monachorum pater in Ægypto nascitur. S. Paulus primus Eremita arrepta in eremum fuga persecutionem Alexandriæ grassantem vitauit, in qua thus obtulisse dicitur Origenes cum pluribus aliis, vnde dicti Thurificati, Libellatici, Sacrificati, &c. de quibus sæpe queritur S. Cyprianus. Romæ am-

phitheatrum incensum. Interfectis ob martyrium Alexandro Hierosolymorum Episcopo apud Cæsaream Palæstinæ, & Babylâ Antiocheno Præsule suffecti sunt in eorum locum Episcopi Mazabanus & Fabius, seu Flauianus. *Decio & Grato* huius anni *Consulibus, sicut fideli recordatione retinetur*, verba sunt Anonymi Auctoris vitæ S. Saturnini apud Gregorium Turonensem libro 1. Historiæ Francorum capite 30. *primum ac summum Tolosana ciuitas S. Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt Turonicis Gatianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Aruernis Stremonius, siue Austremonius Episcopus, Lemouicinis Martialis est destinatus Episcopus. De his verò B. Dionysius præsentem vitam gladio imminente finiuit. Saturninus verò, &c.* quæ vberrimam in vtramque partem disputandi segetem hoc sæculo eruditis scriptoribus subministrarunt. Eodem anno aut sequentis initio celebrata est à Clero Romano atque Episcopis, qui tum Romæ erant, Synodus in causa lapsorum, decretúmque, vt si qui ex iis infirmi de vita periclitarentur, præuia exomologesi ac pœnitentia reciperentur à Præsulibus: aliorum verò causa & reconciliatio ad electionem vsque Romani Pontificis suspenderetur. Præbuerat occasionem Schismati in Africa Felicissimus Presbyter, qui lapsos neglecta Ecclesiæ disciplina admitti volebat: cui cùm Nouatus Episcopus rerum nouarum semper cupidus, arrogans perfidúsque initio adhæsisset, postea Romam veniens Nouatianum presbyterum sequutus est, eíque auctor fuit, vt à paucis suæ partis electus Schisma aduersus Cornelium Papam conflaret, séque ab Ecclesiæ vnitate segregatum, caput ac principem hæreticorum sui nominis constitueret. Verùm de his plura Eusebius, & Cypriani ad varios Epistolæ.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCLI. S. Cornelius patria Fundanus, cùm sedes à morte S. Fabiani annum amplius vacasset, pridie Kalendas Maias, vt quidam volunt, creatus est Romanus Pontifex ordine 22. Ex aduerso autem à paucis factiosis ordinatus fuit primus omnium Antipapa Nouatianus auctor sectæ Catharorum. S. Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis docet Cornelium Papam scripsisse ad Flauianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum de Synodis Romana,

mana, Italica, Africana; & aliam de Nouatiano, & iis qui lapsi sunt; tertiam de gestis Synodi; quartam ad eundem Flauianum valdè prolixam Nouatianæ hæreseos causas & anathemata continentem. Lucius Priscus qui Macedoniæ præerat, & Iulius Valens Romæ assumpta tyrannide cæduntur. Decius Imperat. III. Consul cum filio Cæsare sub finem huius anni in prœlio aduersus Gothos trans Danubium inito in Abritto occisus est, cùm tres circiter annos, siue, vt habet Aurelius Victor, 30. menses imperasset. Succedit C. Vibius Trebonianus GALLVS qui Caium Vibium Volusianum filium consortem imperij fecit, & inchoatam à Decio in Christianos persecutionem acerrimè persequutus est. Gallus

Anno Christi CCLII. celebrata est in Africa Synodus de pace lapsis pœnitentibus danda contra Nouatiani dogmatis assertores, decretúmque à sancto Cypriano illius Præside, & 84. Episcopis, vt lapsi pœnitentiam agentes in Ecclesiæ quidem communionem reciperentur, non tamen citra vrgentem necessitatem, aut impletum satisfactionis tempus. Illud idem in Romana Synodo firmatum fuit, additúmque vt Sacerdotes lapsi functione deinceps abstinerent, & Laïca communione contenti essent. Occasione pestilentis morbi multas Romani orbis prouincias deuastantis S. Cyprianus librum de Mortalitate scripsit. *Euodius Velaunorum Episcopus hoc tempore in montem Anicium Ecclesiam transtulisse dicitur.*

Anno Christi CCLIII. Olymp. CCLVIII. primo, S. Cornelius Papa Martyr occubuit die 14. Septembris, cùm sedisset annis 2. mensibus 4. diebus 17. Successit post dies 35. S. Lucius, patria Romanus, die 21. Octobris. Idibus verò Maij celebrata fuerat Carthagine Synodus 42. Episcoporum in causa Feliciſsimi, Nouati, & Nouatiani, qui se ab vnitate Ecclesiastica seiunxerant, iámque in aliis Episcoporum conuentibus damnati fuerant & proscripti. Extat Synodica ad Cornelium inter Epistolas S. Cypriani, cui Schismatici atque Hæretici opposuerunt ex aduerso Fortunatum Carthaginensem Episcopum.

Anno Christi CCLIV. Gallus & Volusianus, cùm aduersus Æmilianum, qui in Mœsia res nouas moliebatur, ex Vrbe profecti essent, in Foro Flaminij, seu vt alij putant, Interamnæ interfecti sunt à militibus post imperium annorum duo-

rum & menſium fere quatuor: Æmilianus verò tertio menſe inuaſæ tyrannnidis extinctus eſt. Succeſſit Publius Licinius VALERIANVS Colobius in Rhætia ſiue Norico ab exercitu Auguſtus ſalutatus, qui Publium Licinium Ignatium GALLIENVM filium ſuum, à Senatu Romæ Cæſarem appellatum, imperij conſortem adſciuit. Origenes moritur Tyri annos natus 69. Libellus de Præfectis Romanæ Vrbis hinc incipit ad annum vſque Chriſti 354.

Valerianus.

Anno Chriſti CCLV. S. Lucius I. Papa martyrij coronam percepit die 4. Martij, cùm ſediſſet anno vno, menſibus quatuor & aliquot diebus. Succeſſit S. Stephanus I. patria Romanus, poſt 30. dies ex Archidiacono electus Pontifex die 9. Aprilis. Hoc anno mitigatâ Præſidum in Chriſtianos perſecutione celebratæ ſunt in Africâ tres Synodi, quibus præfuit S. Cyprianus I. in qua decreta eſt pœna in diaconum quemdam à Rogatiano accuſatum, alióſque Clericos proteruos & contumaces, atque excommunicatus Geminius Victor, qui moriens Fortunatum quemdam Preſbyterum contra ſacros canones filiorum ſuorum tutorem teſtamento nominarat II. Epiſcoporum 66. aduerſus eos, qui Circumciſionis exemplo abutentes nolebant infantes baptizari ante octauum diem III. coacta fuit in causâ Baſilidis Legionenſis, & Martialis Aſturicenſis in Hiſpania Epiſcoporum, qui & libellis idololatriæ commaculati erant, & nefandorum criminum conſcientia vincti; in quâ ſtatutum fuit, Libellaticos, id eſt, eos, qui in perſecutione priuatim fidem abnegantes publicum idolorum cultum pecuniâ redemiſſent, ad pœnitentiam quidem admitti poſſe, verùm ab honore Sacerdotij & Epiſcopali dignitate prohibendos eſſe. *Quod ad epiſtolam Cypriani 67. quæ data eſt ad Stephanum Papam, ſpectat, de Martiano Arelatenſi Epiſcopò, qui miſericordiæ ac pietatis aduerſarius dudum ſe Nouatianis adiunxerat, huius fidem ſollicitare conati ſunt viri eruditi. Verùm ex eâ & Fauſtinum Lugdunenſium Epiſcopum & duas in Galliâ habitas Synodos & nonnulla alia vetuſtatis monumenta habemus.*

Anno Chriſti CCLVI. tres in Africâ celebratæ ſunt Synodi de baptiſmo hæreticorum. In ſecundâ numerati ſunt Epiſcopi 71. decretúmque, vnum eſſe baptiſma in Eccleſiâ Catholica, proindéque Hæreticos ad Eccleſiam confugientes non rebaptizari, ſed baptizari. Ad tertiam, quæ Kalendis

Septembribus habita est, postquam redditæ fuissent literæ Stephani Papæ acta priorum conuentuum reprobantis, conuenerunt ex prouinciis Africa, Numidia & Mauritania 87. Episcopi, priorémque sententiam confirmarunt. Eodem ferme tempore à Firmiliano Cæsareæ in Cappadocia Metropolitano, aliísque Episcopis, tum Iconij in Phrygia, tum etiam Synnade congregatis, decretum fuit, baptismum, ordinationes, impositiones manuum, aliudve quoduis sacrum à Cataphrygibus, aliísque Hæreticis administratum esse inualidum, neque ab Ecclesia Catholica recipiendum. Idem in Ægypto sancitum fuisse asserunt, præside S. Dionysio Alexandrino. Verùm iis omnibus strenuè se obiecit Stephanus Papa, coactáque anno seq Romæ Synodo constituit, non esse recedendum à traditione Apostolicâ de non iterando baptismate illorum Hæreticorum, qui eadem, qua vteretur Ecclesia, verborum forma baptizassent; cósque sic ab iis baptizatos, si ad Ecclesiam redire velint, non aliter, quàm per solam manuum impositionem, recipiendos.

Anno Christi CCLVII. Olymp. CCLIX. primo, Nona in Christianos Persecutione, quam Valerianus aut nouo edicto excitauit, aut intermissam renouauit, complures martyrij laurea donati sunt, atque imprimis S. Stephanus I. Papa die 2. Augusti capite plexus est, cùm sedisset duobus annis, mensibus tribus, & diebus 22. Post dies 22. eiusdem mensis 24. suffectus est S. Sixtus, siue Xystus, eius nominis secundus, Athenis Atticis oriundus, ex Archidiacono, ad annum vnum minus octodecim diebus. Errant enimuerò qui annum integrum cum decem insuper mensibus ac diebus 23. Pontificatui eius attribuunt: quantò verò magis, qui cum Eusebio 8 vel 11. annos illi concedunt. *Ab eo in Gallias missum volunt S. Genulfum primum Cadurcorum Episcopum, cum S. Genito seu S. Genitore eius parente, quorum memoria extat in Bituricensi prouinciâ. Ad idem quoque sæculum spectant SS. Marcellus & Anastas. haud procul Argantomago pro Christo passi.* Sabellius eodem fermè tempore Noeti de vnitate personarum in Deo hæresim defendere aggressus est, quo S. Gregorius Thaumaturgus maximè florebat doctrina & miraculis clarissimus.

Anno Christi CCLVIII. S. Sixtus II. Papa cùm præfuisset Ecclesiæ mensibus dumtaxat vndecim & diebus 13. ac die 29.

Iunij leuata fuissent è Catacumbis SS. Petri & Pauli corpora, martyrio coronatus est die 6. Augusti, & post eum S. Laurentius R. E. Archidiaconus die 10. eiusdem mensis. S. Cyprianus die 14. Septembris prope Carthaginem passus est, qui primùm Rhetor, deinde Presbyter, ad extremum per decem annos Carthaginensis Episcopus fuit. Quòd verò Sixtus Pontifex ante Cyprianum passus sit, Petauium, Miræum, Emmium, aliósque docere potuit, tum Cyprianus ipse ep. 82. ad Successum scriptâ, tum qui eius vitam ac passionem breui oratione perstrinxit Pontius Diaconus. Errauit quoque insigniter Caluisius, qui Cypriani martyrium in annum seq. distulit, cùm certo certius sit Fusco & Basso Coss. pro Christo mortem obiisse. Alios eadem quoque procella sustulit. Hippolytum, Nicephorum, Eugeniam virginem, *Cassium & Victorinum apud Aruernos in Galliâ*, Fructuosum Ep. Tarraconensem, &c. Subrogatus est Sixto S. Dionysius Papa die 10. Septembris ex Monacho, cuius generationem se non potuisse reperire fatetur auctor Pontificalis Damaso attributi: quanquam alij natione Græcum fuisse contendant Thuriis in Calabria oriundum. Qui autem à Maximo Ostiensi die Iulij 22. feria sexta Dionysium consecratum volunt ex Actis S. Laurentij, coguntur iidem fateri aut plures menses vacasse Romanam sedem, quàm hactenus vulgò creditum sit, aut dilatam fuisse ob persecutionis ardorem electi Pontificis inaugurationem.

Anno Christi CCLIX. Scythæ Asiam populantur, captis Trapezunte, Chalcedone, Nicæâ, aliísque vrbibus: Ephesi Templum Dianæ deflagrat. Sapores Persarum Rex Orientem infestat, occurrentemque cum exercitu Valerianum vincit, capit, & more vilis mancipij ignominiosissimè habet. quæ clades exeunte hoc anno aut sequentis initio contigit, cùm sex annos reipublicæ præfuisset. Gallienus patre in Persas ducto solus imperans nostris pacem reddidit, in omnem lasciuiam dissolutus.

Anno Christi CCLX. aduersus Gallienum tanto oneri ferendo imparem, luxu ac nequitiis perditissimum Imperatorem, tum barbaræ vndique nationes insurgunt; quo referas velim illa Eusebij: Germani Rauennam vsque venerunt: *Alamanni vastatis Galliis in Italiam transiere*. Græcia, Macedonia,

Pontus, Asia depopulata per Gothos: Quadi & Sarmatæ Pannonias occupauerunt: *Germani, hoc est Franci, Hispanias obtinuèrunt, Tarracon expugnata est:* Parthi Mesopotamiam tenentes Syriam incursauerunt, &c. vt de aliis modò sileam, tum Tyranni complures, quos ex Trebellio, Pollione, aliisque scriptoribus summatim referemus.

I. ITAQVE ex XXX. Tyrannis qui per ea tempora pullularunt, fuisse dicitur Marcus *Cyriades*, natione Syrus, qui Saporis fretus auxilio captis Antiochia, Cæsarea, & Tarso, purpuram sumpsit anno 258. & sequenti à suis peremptus est, antequàm Valerianus aduersus Persas pugnaturus accederet.

II. *Ingenuus*, siue *Ingenus*, Pannoniarum rector, à Mœsiacis legionibus dictus Imperator Fusco & Basso Coss. hoc est eodem anno Christi 258. per Celerem Verianum profligatus est: & crudelissimè in omnes eius fautores sæuitum, vt ex epistolâ Gallieni datur intelligi.

III. Quintus Nonius *Regillianus*, in Illyrico ducatum gerens, salutatur Imperator à militibus, & paullò post ab iisdem occiditur anno circiter 262.

IV. V. VI. VII. Marcus Fuluius *Macrianus* ad imperium euectus operâ *Balistæ*, qui Præfectus prætorio sub Valeriano fuerat, adscitis in consortionem regni filiis Q. Fuluio *Macriano* & C. Fuluio *Quieto*, in Illyrico siue Thracia ab *Aureoli* copiis cæsus est cum cognomine filio: nam *Quietus* natu minor ab Emisenis interfectus est satagente *Odænato*, postquam *Balistam*, qui regiam quoque purpuram induerat, prælio superasset.

VIII. IX. Odenatus siue *Odænathus* Palmyrenorum in extremis Syriæ finibus Decurio partes Valeriani eiúsque filij Gallieni aduersus Persas sequutus est, Nisibin & Orientis pleraque recepit, Saporem, eiúsque liberos vicit sæpius fugauítque, tum superatis Macriani filio *Quieto*, ac *Balistâ*, à consobrino suo, alij nepotem vocant, *Mæonio* viro spurcissimo, qui & ipse Imperatoris nomen purpurámque sumpserat, occisus est, cum maiore natu filio *Herode*, siue *Herodiano*, quem post reditum è Perside pater ad imperij consortium adsciuerat.

X. XI. Publius Valerius *Valus*, Proconsul Achaiæ, à legionibus Imperator acclamatus, missum à Macriano L. Cal-

purnium *Pisonem* Frugi, Thessalicum dictum, quòd in Thessalia purpuram induerit, virum optimum, cui similem Romana Respublica tunc non haberet, iussit occidi, & vicissim ipse à militibus paullò post interemptus est.

XII. Tiberius Cestius Alexander *Æmilianus*, Præfectus Augustalis, Alexandriæ in Ægypto sumpsit imperium, consentiente exercitu. Verùm à Theodoto Gallieni duce captus, & ad Imperatorem missus, eius iussu in carcere præfocatus est.

XIII. Caius Annius *Trebellianus*, Isaurorum princeps, Romani imperij dignitatem nomènque ambiit, cúmque breui tempore apud Cilicas regnasset, in prælio cæsus est à prædicti Theodoti Ducis fratre Causisoleo, nomine Ægyptio.

XIV. Sextus Iulius *Saturninus*, inuitus ad thronum à militibus euectus est, & ab iisdem propter nimiam, quam in eos exercebat sæuitiam necatus. Hunc dixisse ferunt, cùm purpuram induit: Commilitones bonum ducem perdidistis, & malum Principem feciſtis.

XV. Caius Titius Cornelius *Celsus*, auctore Vibio Passieno Proconsule Africæ, & Fabio Pomponiano limitis Libyci duce, Imperator salutatus, & peplo Cælestis Deæ ornatus est. Breuissimum tamen imperium fuit: nam septimo die occisum à Siccensibus ferunt, & cadauere à canibus laniato imaginem eius nouo iniuriæ genere in crucem fuisse sublatam.

XVI. XVII. *Marcus Piauonius* Victorinus, *à Postumo Galliarum tyranno vocatus ad consortionem imperij, ab Ateriano quodam interfectus est, cuius torum antè violauerat.* Victorinus *iunior ex Cæsare Augustus creatus cum patre sublatus è viuis, cum eodem tumulatus est Coloniæ Vbiorum, hac inscriptione additâ:* Hîc duo Victorini tyranni siti sunt.

XVIII. XIX. *Marcus Cassius Latienus* Postumus, *Gallus genere, Transrhenani limitis Dux, Galliarúmque Præses, vir in bello fortissimus, in pace constantissimus, occiso apud Coloniam Agrippinam Salonino Gallieni filio, eiúsque morum institutore Albino, sumpsit imperium, obtinuitque annis septem. Rheni sinistram dextrámque ripam aduersus Barbarorum crebras incursiones pluribus instruxit munimentis, disciplinam militarem restituit*, Instaurator seu Restitutor Galliarum *merito iure appellatus. Quas cùm pacatè regeret, seueriscque legibus temperaret à militibus, quòd Moguntiacum partibus Lolliani addi-*

ctum diripere vetuisset, interemptus est. Filius eius Caius Iunius Cassius Latienus Postumus *ex Cæsare Imperator dictus, aut cum patre necatus est, aut, vt nonnulli volunt, paucis ante mensibus periit.*

XX. *Spurius Seruilius* Lollianus *aduersus* Posthumum *rebellauit, eóque mortuo Gallias aliquamdiu rexit, donec à militibus morti datus est, quòd eos in munitionibus Rheni reficiendis nimio labore grauaret.* Lucius Ælianus, quem quidam numi exhibent, ignotus est Trebellio, Victori, aliísque scriptoribus antiquis, aut forte sub nomine Lolliani in eorum libris alicubi delitescit.

XXI. XXII. *Marcus Aurelius* Marius *ex fabro ferrario siue gladiorum armorúmque artifice, post cædem Postumi in Galliis electus Augustus, tres dumtaxat dies imperauit, quibus vix elapsis à milite quodam trucidatus est.* Victoria *siue* Victorina *senioris Victorini mater, post* Marij *necem, Treuiros vicinósque Belgas per aliquod tempus rexit,* Mater Castrorum, *& Augusta nuncupata.*

XXIII. Appius Claudius *Censorinus* vir omnibus in republicâ perfunctus honoribus, cùm in agro degeret senex, aduersus Claudium Imperator factus, & paullò post ob disciplinam censoriam à militibus de medio sublatus, verè fuit, Felix ad omnia, infelicissimus Imperator, vt sepulchro eius prope Bononiam incisa monet epigraphe.

XXIV. Marcus Acilius *Aureolus*, è Dacia oriundus, à copiis militaribus, quibus cum imperio præerat, salutatus Augustus, contra Gallienum sæpe conseruit, eóque opera Heracliani & Cecropij Ducum trucidato cum Claudio pacem aliquamdiu coluit, tum rupto fœdere pœnas dedit haud procul Mediolano interfectus ad Pontem, qui Aureoli nomen inde retulisse perhibetur.

XXV. *Mæonius* Odenati consobrinus, vel nepos, illo, eiúsque filio Herode siue Herodiano, interfectis, à Zenobiâ ad Orientis imperium adscitus, breui à militibus pro suæ luxuriæ meritis interemptus est.

XXVI. XXVII. XXVIII. *Zenobia*, altera Odenati vxor, prudentissima fœmina, quæ se de Cleopatrarum Ptolemæorúmque gente iactabat, post mariti necem, imperiali sagulo perfuso per humeros habitu, nomine filiorum *Herenniani & Timolai* vel vt alij scripserunt *Herminæ Vaballathi* eorum ex maiore natu fratre Herode nepotis, diutiùs quàm fœmineus sexus patiebatur imperauit: Siquidem *Gallieno* adhuc re-

gente rempublicam regale mulier ſuperba munus obtinuit, & *Claudio* bellis Gothicis occupato, vix denique ab *Aureliano* victa & triumphata conceſſit in iura Romanorum, vt ſuo poſtea monebimus loco. Quum illam *Aurelianus* cepiſſet, atque in conſpectum ſuum ductam ſic appellaſſet, Quid ô Zenobia auſa eſt inſultare Romanis Imperatoribus? Illa dixiſſe fertur, Imperatorem te eſſe cognoſco qui vincis: *Gallienum* & *Aureolum*, & cæteros, principes non putaui. Victorinam mei ſimilem credens in conſortium regni venire, ſi facultas locorum pateretur, optaui. Hæc & plura Trebellius, quem vide.

XXIX. XXX. *Caius*, Peſuuius Tetricus, *Populi Romani Præſidatum in Aquitaniâ regens*, Victorinæ *affinis*, *eius hortatu poſt mortem* Victorini vtriuſque, *imperium capeſſiuit ſumptâ Burdigalæ purpurâ*, *filiúmque ſuum* Piueſuuium Tetricum *Cæſarem creauit. Is cùm multa feliciter egiſſet*, *diúque imperaſſet*, *ab Aureliano principe victus*, *eidem ſe dedit*, *& ab eo in triumphum ductus eſt eo tempore*, *quo* Zenobia Odenati *vxor. Corrector deinde totius Italiæ factus*, *id eſt Campaniæ*, *Samnij*, *Lucaniæ*, *Brutiorum*, *Apuliæ*, *Calabriæ*, *Hetruriæ*, *atque Vmbriæ*, *Piceni*, *& Flaminiæ*, *omníſque Annonariæ regionis*, *in ſumma dignitate reliquum vitæ peregit*, ab Aureliano *ſæpe collega*, *nonnumquam commilito*, *aliquando etiam Imperator appellatus. Eius verò filius cum patre per triumphum ductus*, *omnibus poſtea Senatoriis honoribus functus eſt*, *illibato patrimonio*, *quod ad ſuos poſteros miſit*, *ſemper inſignis.*

Longiùs cuipiam forte proceſſiſſe videbor, quàm reſpoſtulabat. Sed quid faciam? vt cum Trebellio Pollione concludam: Omnis ſcientia naturæ facilitate verboſa eſt. Ad penſum itaque reuertor non inuitus.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCLXI. Olymp. CCLX. primo, poſt Demetrianum Antiochiæ conſtituitur Epiſcopus Paulus Samoſatenus. Cùm à Pentapolitanis apud Romanum Pontificem accuſatus fuiſſet Dionyſius Alexandrinus Antiſtes, quòd in ſcriptis aduerſus Sabellium commentariis minùs rectè de Trinitate ſenſiſſet, neque perſonarum modò, ſed etiam ipſius naturæ diſtinctionem viſus eſſet adſtruere, omnium Epiſcoporum qui Romam ad Synodum à Dionyſio Papâ vocati conuenerant, ſententia atque iudicio abſolutus

fuit.

fuit. Martyres verò habiti, qui hoc circiter tempore peſte laborantes Alexandriæ aliíſque iuuerunt locis, vt docent Faſti Sacri vltimo die Februarij. S. quoque Thaumaturgus Gregorius Synodum Neocæſareæ coëgit paullò pòſt quàm Barbari Scythæ, qui Imperij Romani fines incurſationibus vexarant, ſuam in patriam receſſiſſent. Indeverò prodiiſſe creditur inſignis illa in Iure Græco Epiſtola Canonica, vndecim duodecimve Canonibus conſtans, aduerſus eos, qui ἐν τῇ καταδρομῇ τῶν βαρβάρων idolothyta comederant, aliíſque peccatis ſe commaculârant. In poſtremo eius canone quinque Pœnitentium gradus apertè diſtinguuntur.

Anno Chriſti CCLXII. Tyranni Regillianus in Pannoniâ & Saturninus in Ægypto cæſi, de quibus plura præmiſimus. Peſtis Romæ furit, vnóque die Pollio memorat quinque hominum millia periiſſe.

Anno Chriſti CCLXIII. Gallienus nutantem rempublicam aduerſus tyrannos vtcumque ſuſtentans, ducibus Aureolo & Claudio Poſtumum Galliarum tyrannum vincit, & Romæ decennalia celebrat. Porphyrius, qui & Malchus, patriâ Tyrius, annum agens ætatis 30. Plotinum Romæ audire incipit annos natum 59. Eodem circiter anno celebrata eſt Antiochiæ Synodus, in quâ à S. Gregorio, eiúſque fratre Athenodoro, Firmiliano, Theotimo, Hymenæo, cuius primordia ſeriùs ab Euſebio locantur, Heleno, pluribúſque aliis Epiſcopis damnata ſunt Pauli Samoſatenſis impia dogmata, quibus inter alia aſſerebat; Chriſtum Dominum purum fuiſſe hominem, ante Mariam non extitiſſe, noménque Filij Dei bonis iuſtíſque operibus ſibi comparaſſe. Euſebius ait à cunctorum prædicatione deſciuiſſe, & Artemonis hæreſim ſuſcitaſſe. Neque tamen ſede Epiſcopali deiectus eſt, quòd pœnitentiam ſimulans hæreſi abiurata Catholicam fidem profeſſus fuiſſet.

Anno Chriſti CCLXIV. Odenatus Palmyrenorum Decurio & Princeps aduerſus Perſas feliciter dimicat, Niſibin & Carras occupat, & ad Gallienum captos Satrapas Romam mittit.

Anno Chriſti CCLXV. Olymp. CCLXI. primo, obierunt ſanctiſſimi Præſules Gregorius Thaumaturgus die 17. Nouembris, & Dionyſius Alexandrinus die 17. Decem-

bris, cui succeſſit Maximus annis 18. vt docet Euſebius.

Anno Chriſti CCLXVI. Vrbis Romanæ Præfectus fuit Paternus: de quo ſimilibúſque conſule Libellum de Præfectis Vrbis. Paulus Samoſatenus Zenobiæ familiaris, vt eam ad Chriſtianorum Fidem inflecteret, Iudaïcas quaſdam opiniones religioni miſcuiſſe dicitur.

Anno Chriſti CCLXVII. Cæſis *Poſtumo*, & Odenato, ſuccedunt *Victorinus Victorinæ filius*, & Zenobia: hæc in Oriente, *ille in Galliis, quas à Poſthumo, Victorino, & Tetrico ex Barbaris receptas auctor eſt Euſebius.* Valerianus Valeriani Senioris Imp. filius, & Gallieni frater, non tamen vterinus, Tribunitiam poteſtatem accipit & Auguſtus appellatur.

Anno Chriſti CCLXVIII. Gallienus, Imperator ignauiſſimus, tandem Mediolani interfectus eſt cum fratre Valeriano iuniore, die 21. Martij, vt quidam ſcribunt, anno ætatis quinquageſimo, poſtquàm imperaſſet cum patre annis 6. aut 7. & ſolus annis circiter octo. Marcus Aurelius CLAVDIVS, Ticini electus eſt Imperator, die 24. eiuſdem menſis, atque Aureolum tyrannum de medio ſuſtulit. In Chriſtianos quoque ſæuiiſſe docent Marius, Martha, Audifax, & Abachum Perſæ, & Priſca virgo, quam aliqui minus ſapienter ad Claudij Neronis tempora reuocarunt. *Sanctus Firminus Ambianorum Epiſcopus primus hoc vel ſequenti anno paſſus dicitur die 25. Septembris, Iuſtinus quoque, & alij.*

Claudius.

Anno Chriſti CCLXIX. Olymp. CCLXII. primo, Claudius Gothos Illyricum & Macedoniam vaſtantes memorabili prælio cæſis barbarorum trecentis viginti millibus, nauiúmque demerſis duobus millibus ſuperat. Ob quæ in curiâ clypeus ei aureus, & in Capitolio ſtatua aurea collocata eſt. In Alexandria Bruchium, quod per multos annos fuerat obſeſſum, deſtruitur. *Diocletiano apud Tungros in Belgicâ moranti Druias imperium prædixit, cùm Aprum occidiſſet, vt pluribus verbis narrat Vopiſcus.*

Anno Chriſti CCLXX. Imperator Claudius peſte ſublatus eſt Sirmij in Illyrico, poſtquam annis fere duobus regnaſſet, ſiue anno vno, menſibus decem, & diebus quinque. Marcus Aurelius Quintillus eius frater à Senatu Auguſtus appellatus decimoſeptimo imperij die à militibus Aquileiæ occiditur. Lucius Domitius AVRELIANVS, Sirmij obſcuro

Aurelianus.

genere natus, Imperator eligitur Martio circiter menſe, ſunt qui 20. Februarij diem nominatim deſignent. Edictum propoſuit militibus in hæc verba: Si vis Tribunus eſſe, immò ſi vis viuere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, ſegetem nemo detrahat, oleum, ſal, lignum nemo exigat, annona ſua contentus ſit; De præda hoſtis, non de lacrymis Prouincialium miles viuat, ſtipendium in baltheo non in popina habeat: arma terſa ſint: alter alteri quaſi ſeruus obſequatur: in hoſpitiis caſtè ſe agant. qui litem fecerit vapulet. Hæc & alia ex eius epiſtola militari ad Vicarium Flauius Vopiſcus in eius vita, quam lege. Plotinus Philoſophus Platonicus moritur. Paulus Samoſatenus, cùm abdicatam ante aliquot annos hæreſim repetiiſſet, coactâ rurſus Antiochiæ Synodo ab innumeris Epiſcopis de errore corruptíſque vitæ moribus conuictus, damnatus, déque Epiſcopali ſede amotus eſt, ſubſtituto in eius locum Domno. Verùm, cùm ille ædibus Epiſcopo aſſignatis exire iuſſus, obtemperare nollet, vi detruſus eſt, præcipiente Aureliano Imperatore, vt domus Eccleſiæ illis tribueretur, quibus Chriſtiani Italiæ & Vrbis Romæ Epiſcopi per litteras tribuendam præſcriberent. Sunt qui eadem de re coactam velint Romæ Synodum à S. Dionyſio Papa, quem pacata mors viuis exemit die 26. Decembris, cùm præfuiſſet Eccleſiæ annis 12. menſibus 3. & diebus 14. S. Felix I. patria Romanus, in eius locum ſubrogatus eſt, die 31. eiuſdem menſis. *A Dionyſio miſſos ferunt in Gallias Euangelij præcones 12. Fuſcianum, Victoricum, Rufinum, Valerium, Criſpinum, Criſpinianum, Quintinum, Lucianum, Piatum, Chryſolium, Marcellinum & Albinum, quos S. Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus per varias Belgicæ regiones diſperſerit.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCLXXI. Aurelianus ob cladem ab Alemannis & Marcomannis ad Placentiam acceptam iuſſit Sibyllinos libros conſuli, reſcripto dato tertio Idus Ianuarij: Miror vos, Patres ſancti tandiu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, non in Templo Deorum omnium, tractaretis. Idem Romanam vrbem firmioribus muris vallauit, Templum Solis ædificauit, primúſque Agonem Solis inſtituit.

Anno Chriſti CCLXXII. Decimam in Chriſtianos Per-

ſecutionem mouit Imperator, *in quâ paſſus dicitur Auguſtoduni anno ætatis* 20. *S. Symphorianus die* 22. *Auguſti; S. Columba Virgo Senonis, SS. Patroclus & Sauinianus Trecis*, aliíque plures. Idem in Orientem aduerſus Zenobiam expeditione ſuſceptâ Byzantium, Tyanam, Antiochiam, aliáſque vrbes recepit. *Quòd ſi Symphorianus tertium ætatis agens annum & Tergemini Lingonenſes Speuſippus, Eleuſippus & Meleuſippus à S. Benigno S. Polycarpi diſcipulo verè baptizati ſunt, non video quî ad hæc vſque tempora potuerint eſſe ſuperſtites.*

Anno Chriſti CCLXXIII. Olymp. CCLXIII. primo, Zenobia apud Immas haud longè ab Antiochiâ ab Aureliano vincitur, & cum liberis capta ad triumphum reſeruatur. Vopiſcus ſcribit Longinum Philoſophum, quo illa ad Græcas literas magiſtro vtebatur, iuſſu Imperatoris fuiſſe necatum. In ea pugna ſtrenuiſſimè pugnauit Pompeianus dux, cognomento Francus, cuius familia hodiéque apud Antiochiam perſeuerat, inquit Sanctus Hieronymus in verſione Euſebiani Chronici, ex cuius ſtirpe Euagrius Preſbyter cariſſimus deſcendit. Conſtantinus Magnus naſcitur ex S. Helenâ, de cuius patria & natali filij ſolo ingens inter eruditos controuerſia.

Anno Chriſti CCLXXIV. *Aurelianus Tetrico tyranno apud Catalaunos prodente exercitum ſuum Gallias recepit;* Romámque reuerſus triumphauit, currum præcedentibus Tetrico atque Zenobia, è quibus Tetricus Corrector poſtea Italiæ fuit: Zenobia verò in Vrbe ſummo honore conſenuit, à qua Zenobia familia nuncupata: Vide quæ paullo ante à nobis fuere obſeruata. Euſebius Laodicenus inſignis Epiſcopus habetur. Monetarij vitiatis pecuniis rebellant, grauibúſque necantur pœnis. Ormiſdæ poſt vnum regni Perſici annum defuncto ſuccedit Waranes ad annos tres.

Anno Chriſti CCLXXV. Aurelianus cùm aduerſus Chriſtianos perſecutionem vrgeret acriùs, fulmen iuxta eum comitéſque eius ruit, ac non multò pòſt inter Conſtantinopolim ſiue Byzantium & Heracleam in Cænophrurio viæ veteris fraude Mneſthei Secretariorum Notarij occiſus eſt menſe Ianuario, (quidam diem 29. deſignant) cùm regnaſſet annis ſex minus menſe & paucis diebus, primúſque ex Romanis Imperatoribus diademate capiti ſuo impoſito, gemmis auratáque veſte vſus fuiſſet. Eo mortuo interregnum fuit menſium

circiter octo, Senatu ac militibus mutuò sibi potestatem eligendi Imperatoris deferentibus. M. Claudius TACITVS, vir egregiè moratus, & tractandæ Reipublicæ imprimis idoneus tandem à Senatu eligitur die 25. Septembris. S. Felix I. Papa martyrij coronam adeptus est die 30. Maij, cùm sedisset annos 4. menses 4. dies 29. scripsissétque epistolam ad Maximum Antiochenum Episcopum quam in duodecim capitibus citat S. Cyrillus Alexandrinus. Successit S. Eutychianus patria Lunensis in Tuscia, creatus die 4. Iunij, cùm sedes vacasset dies quinque. *Franci interim è paludibus suis egressi cum Burgundionibus & Vandalis plurimas Galliæ vrbes occupant. Huc quoque referri potest Croci Alamannorum Ducis per Gallias excursio, delubri quod Gallica lingua Vasso dicebatur in Aruernis deflagratio, Ausonij Engolismensis Episcopi cædes, & martyrium S. Priuati Gabalorum Episcopi, de quibus Greg. Turonensis, &c.* Tacitus.

Anno Christi CCLXXVI. Tacitus Imperator mense Martio Tyanæ apud Pontum interfectus est (sunt qui diem 13. Aprilis assignent) cùm ducentos dies imperasset seu mensibus sex cum dimidio. M. Aurelio Floriano fratri eius tribuuntur menses duo cum 20. diebus priusquam Tarsi in Cilicia necaretur. Successit vtrique Marcus Aurelius PROBVS vir egregius, oriundus è Sirmiensi Pannoniâ, die 3. Iulij militari consensu salutatus Imperator: *quem Gallias à Barbaris occupatas ingenti virtute restituisse testatur Eusebius: Vopiscus verò scribit sexaginta de Barbaris ciuitates receptas & 700. propemodum millia deleta.* Probus.

Anno Christi CCLXXVII. Olymp. CCLXIV. primo, Probi verò secundo, iuxta Antiochenos CCCXXV. insana Manichæorum hæresis in commune generis humani malum exorta, auctore Manete, de quo præter Augustinum, Philastrium, aliósque SS. Partes videndi S. Leo Papa sermone 2. de Pentecostes festo, S. Epiphanius hæresi 66. Petrus Siculus, &c. Anatolius Laodicenus Episcopus Philosophorum disciplinis eruditus plurimo sermone celebratur. Cyclus eius Decemnouennalis ab anno superiore inchoatur. Waranes II. apud Persas regnare incipit.

Anno Christi CCLXXVIII. Probus *Gallos* & Pannonios vineas habere permisit, Almámque in Illyrico prope Sirmium, & Aureum montem militari manu consitos Prouincialibus

colendos dedit. *Idem Proculo Bonosóque Tyrannis ad necem adactis Gallias omnino pacauit.*

Anno Christi CCLXXIX. Post Timæum Antiochenæ Ecclesiæ constituitur Episcopus Cyrillus. Saturninus Magister exercitus nouam ciuitatem Antiochiæ orsus est condere : qui postea imperium molitus inuadere Apameæ occisus fuit. Probus Illyricum recepit, Geticósque populos subegit.

Anno Christi CCLXXX. Probus in Orientem profectus Persis bellum infert, Blemyas subigit, & Copton, ac Ptolmaidem Romano iuri adiicit.

Porrò hic notandum videtur, quod iam aliàs sæpe monuimus, circa hunc æræ Christianæ annum in Annalibus Baronij, Tabulis Galteri, Chronico Gordoni, aliorúmque recentiorum scriptis labem esse duorum annorum (Onufrius Panuinius aliíque eum sequuti vnum tantùm Consulatum expunxere) quos Imperatori Probo adimunt, ac duo Consulum paria ex Fastorum albo abradunt, vt suum illum errorem de Natali Christi anno, quem biennio communem nostram ac veram Ecclesiæ æram antecessisse putant, seriùs cognitum, quoquo modo emendare videantur, vt pluribus obseruarunt Scaliger, Dekerius, Caluisius, Petauius, Bucherius, & si qui alij reconditioris temporum scientiæ viti consultissimi. Huc vsque igitur biennio ferè semper à nostra ac veriore Chronologia aberrauit Baronius, vt cùm S. Petrum Romam venisse ait anno Christi 43. Solyma expugnata anno 72. Traianum iniisse imperium anno 100. Consulatum Vlpij & Pontiani tot characteribus temporum munitum incidisse in annum 240. & similia propemodum infinita : de quibus strictim te hîc quoque monere volui, ne aut nos hactenus à tanto viro Annalium Ecclesiasticorum parente discrepantes temeritatis arguas causæ nescius, aut ipse in similes cum iis errores, quod contingere pleríque dolemus, ac nuper Marco Zuerio Boxhornio, Ecclesiæ Catholicæ calumniatori impudentissimo, & collectarum ex variis, præsertim Hæreticis, ac Romanorum Pontificum hostibus, laciniarum consarcinatori scientiæ temporum imperitissimo, aliísque eiusdem farinæ scriptoribus, contigisse in tanta Chronologiæ veritatis luce huic sæculo affusa mirati sumus, ipsemet imprudens impingas.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCLXXXI. Olymp. CCLXV. primo, Imperator in Thracia centum Baſtarnarum millia ad tutelam Romanorum finium collocauit. Plura de his ſimilibuſque dabunt Vopiſcus ac Zoſimus.

Anno Chriſti CCLXXXII. Probus optimus Princeps tumultu militari, dum per Illyricum tendit in Italiam apud Sirmium in turre, quæ vocatur Ferrata, ob ſeueriorem diſciplinam occiditur, die, vt volunt, Nouembris ſecundâ, cùm imperaſſet annis ſex, & quatuor menſibus. M. Aurelius CARVS *Narbone in Gallia natus*, vel, vt alij in Colonia quadam Illyrici, Narbonâ dictâ, à militibus ſalutatus Imperator filios ſuos M. Aurelium Carinum, & M. Aurelium Numerianum Cæſares creauit: *atque illo ad tuendas contra Barbaros Gallias miſſo*, hunc ſecum duxit in Orientem pugnaturus aduerſus Perſas. Hoc autem anno cœpit Paſchalis cyclus annorum 84. de quo ex Paſchaſino Lilybetano in Siciliâ Epiſcopo, qui Romanam ſupputationem vocat, & Proſpero Aquitanico multa Bucherius ad Victorium. Poſt Maximum Alexandrinæ Eccleſiæ præfuit Theonas annis 19. *S. Pelagius Conſtantiæ in Galliis paſſus eſt die* 28. *Auguſti.* Carus.

Anno Chriſti CCLXXXIII. Caro poſt ſubactam Meſopotamiam omnémque Parthorum regionem vaſtatam, vel apud ipſam, quam ceperat, nobiliſſimam hoſtium vrbem Creſiphontem, vel poſitis ſuper Tigridem caſtris fulmine icto, in tentorio, cùm annum circiter imperaſſet, filij eius CARINVS & NVMERIANVS in imperium ſuccedunt. S. Eutychianus Papa pro fide Chriſti Martyr occubuit die 8. Decembris, poſtquàm præfuiſſet ſedi Romanæ annis 8. menſ. 6. diebus 4. ſubrogatus eſt die 17. eiuſdem menſis S. Caius, genere Dalmata, patria Salonitanus, affinis, vt volunt, Diocletiani Imperatoris. Floret Dorotheus Antiochenus preſbyter, qui fuit Euſebij Cæſarienſis Ep. Præceptor. Carinus. Numerianus.

Anno Chriſti CCLXXXIV. Numerianus, cùm propter oculorum ex nimio fletu exortum dolorem lecticulâ veheretur, inſidiis Arrij Apri ſoceri ſui occiſus eſt; vix fœtore cadaueris poſt aliquot dies ſcelere comperto. Cum Carino fratre Conſulatum huius anni ſuſceperat, variiſque ſpectaculis ludos Romæ celebrandos curauerat. Caius Valerianus DIOCLETIANVS Iouius à Diocleâ Dalmatiæ vrbe primò Dio- Diocletianus.

cles dictus, obscuro genere, scribæ filius & Anolini Senatoris libertus, Imperator Calchedone renunciatus die 17. Septembris (non ipsis Palilibus, vt sibi falsò quidam persuaserant) Aprum in primâ militum concione manu propria interfecit, exclamans : Iam Aprum fatalem occidi, iurauítque sine suo scelere Numerianum interfectum. Æra Diocletiani siue Martyrum dicta vulgò Tarich alkupti, Tarich Alschaada, & Amath macharath, Ægyptiis, Coptis, Abyssenisque etiamnum familiaris, sanctisque Patribus occasione Paschalis festi sæpiùs memorata, initium ducit cum Enneadecaeteride Alexandrinâ, seu Cyclo Decemnouali Paschali, à die 29. Augusti mensis huius anni Iuliani 329. feria 6. in quam incidit Neomenia Thoth fixa anni Ægyptiaci. Alfonsus Castellæ Rex docet hanc æram esse posteriorem ærâ Incarnationis annis Iulianis 283. diebus 241. seu diebus 103606. præcedere verò æram Alfonsinam annis Romanis 967. diebus 277. siue diebus 353473. Reliquos huius anni characteres in nostra Chronologica Concordia siue Chronico Technico plenius explicuimus, vbi prætermissâ Æra Actiaca, quæ annis 313. exactè præcessit, in illius locum hanc Diocletianeam substituimus. De Martyribus hoc anno pro Christiana Religione trucidatis consule Eusebij Historiam.

Anno Christi CCLXXXV. Olymp. CCLXVI. primo, Carinus, qui cum Aristobulo Kalendis Ianuarij, ipso anno, vt testatur Idatius in Fastis Consularibus, Consul III. processerat, apud Margum Mœsiæ vrbem in prælio victus occiditur ab vno è ducibus Diocletiani, qui in demortui Carini locum Consul suffectus, M. Aurelium Valerium MAXIMIANVM Herculium, vergente ad exitum anno creauit Cæsarem, *& in Gallias misit.* Claudius, Asterius, Neon, Theonilla, Cosmas & Damianus, aliíque Martyres passi.

Anno Christi CCLXXXVI. Diocletianus in consortium Imperij Kalendis Aprilis Maximianum Herculium assumit, *qui rusticorum multitudine oppressâ, quæ ducibus Salonino Amando, & Lucio Pomponio Æliano factioni suæ Bacaudarum nomen indiderat, pacem Galliis reddidit. Horum nomen diu superstes fuit in Fossatensi ad Matronam prope Lutetiam Parisiorum S. Mauri castro, quod Bacaudarum castrum dicebatur.* SS. Sebastianus, Tiburtius, Tranquillinus, Marcellinus, Marcus, Zoë, &c. *Mauricius quoque cum Legione*

gione Thebæâ ad Agaunum in faucibus Alpium Penninarum, aliíque plures circa hæc tempora pro Christi fide necati perhibentur. Lucius Achilleus in Ægypto & Syria tyrannidem inuasit: Quinquegentiani in Africa duce M. Aurelio Iuliano rebellarunt: Carausius quoque viliſſimo loco *natus apud Menapios*, vel vt alij ex vrbe Hiberniæ Mænapia oriundus, cùm *apud Bononiam mare per tractum Belgicæ & Armoricæ, quod Franci & Saxones infeſtabant*, pacandum à Maximiano accepiſſet, ſumpta purpura Britannias occupauit per ſex ſeptémve annos.

Anno Chriſti CCLXXXVII. *Gereon, Victor, Caſſius, aliíque milites ad Rheni ripam iubente Maximiano dicuntur occiſi, cui Treueris Claudius Mamertinus Panegyricum dixit.*

Anno Chriſti CCLXXXVIII. *conſignari poteſt martyrium S. Victoris Maſſilienſis ſub eodem Maximiano in ea vrbe tum agente.*

Anno Chriſti CCLXXXIX. Olymp. CCLXVII. primo, Hierax ſiue Hieracas hæreſim in Ægypto ſpargit.

Anno Chriſti CCXC. SS. Tharaci, Andronici, atque Probi martyrium accidiſſe fertur die 11. Octobris, vt docent eorum Acta, quæ edidit Roſueidus noſter.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCXCI. Kalendis Martij à Diocletiano & Maximiano creati ſunt Cæſares Flauius Valerius CONSTANTIVS Chlorus, Flauij Eutropij & Claudiæ Imperatorum Claudij II. & Quintilli ex fratre neptis filius, Naiſſo vt quidam opinantur, in Dardania oriundus, & Galerius Valerius Maximianus Armentarius in Dacia prope Serdicam natus. Quos vt ſibi iungerent arctiùs, Diocletianus Valeriam filiam Armentario, Maximianus Herculius Theodoram priuignam Conſtantio, qui ſanctam Helenam Conſtantini Magni matrem abdicare coactus eſt, collocauit. Die Martij 15. feria 6. Defecit Sol, vel vt cum Idatio loquar, fuerunt tenebræ inter diem. Constantius.

Anno Chriſti CCXCII. Diocletianus in Ægyptum, Maximianus Herculius in Africam, Armentarius in Orientem, Conſtantius aduerſus Carauſium in Britanniam profecti Romanum imperium vndíque barbarorum tyrannorúmque excurſionibus turbatum pacare ſtuduerunt.

Anno Chriſti CCXCIII. Olymp. CCLXVIII. primo, Buſiris & Coptos contra Romanos rebellantes ad ſolum vſ-

que ſubuerſæ ſunt. Carauſius, cùm regnaſſet in Britannia annis ſeptem, fraude Allecti vnius ex ſuis Ducibus necatus eſt, qui triennio eandem prouinciam obtinuit. Waranes III. Perſarum Rex cœpit.

Anno Chriſti CCXCIV. Baſtarnas & Carpos ſubactos ex Eutropio diſcimus. Monet quoque Idatius caſtra facta in Sarmatia contra Acinco & Bononia. Narſeus Waranis III. in regno Perſico ſucceſſor Romanis bellum intulit, ſitáſque ad Orientem regiones excurſionibus vaſtauit.

Anno Chriſti CCXCV. Carporum, Baſtarnarum, Sarmatarúmque plurimæ gentes Romanis Imperatoribus ſe tradiderunt, & in varias prouincias diſperſæ ſunt. *Allectum ab expugnatione Bononiæ, Morinóque freto ſubmouet Conſtantius, Batauiam occupatam à Francis recuperat: claſſem in Belgicæ oppidis ad fluuios ſitis ædificatam è portu Geſſoriacenſi in Britanniam immiſit.* Primus Diocletianus adorari ſe vt Deum iuſſit, & gemmas veſtibus calceamentíſque inſeri, cùm ante eum omnes Imperatores in modum Iudicum ſalutarentur, & Chlamydem tantùm purpuream à priuato habitu plus haberent. Domna & Indes ob Chriſti fidem coniiciuntur in carcerem Nicomediæ iuſſu Galerij Armentarij.

Anno Chriſti CCXCVI. S. Caius Papa martyrio vitam clauſit die 22. Aprilis, cùm ſediſſet annos 12. menſes 4. dies 5. Poſt dies vndecim creatus eſt die 3. Maij Pontifex S. Marcellinus, patriâ Romanus. Alexandria cum omni Ægypto per Achilleum ducem à Romana poteſtate deſciuerat. Hanc octauo obſidionis menſe cepit Diocletianus, plurimóſque per totam Ægyptum grauibus proſcriptionibus, exiliíſque vexauit, interfectis iis, qui auctores perduellionis extiterant. Tunc euerſas quidam volunt Buſiridem & Copton, quarum ſupra loco fortè non ſuo meminit Euſebius. Aſclepiodotus Præfectus Prætorio Conſtantini Cæſaris Alectum Britanniæ tyrannum oppreſſit, eámque inſulam decimo quàm à Romanis defecerat anno recuperauit. *Ipſe verò Conſtantius iuxta Lingonas ſexaginta Alamannorum millia cecidit.* Galerius Maximianus victus à Narſeo ante carpentum Diocletiani purpuratus cucurrit. Quinquegentiani in Africa à Maximiano Herculio ſubacti. Veturius Magiſter militiæ Chriſtianos milites perſequitur paullatim ex illo iam tempore perſecutione inci-

piente. Sunt quoque qui Suſannam eodem anno velint cum pluribus aliis martyrio coronatam.

Anno Chriſti CCXCVII. Olymp. CCLXIX. primo, Galerius Maximianus contractis per Illyricum & Mœſiam copiis Narſeum Perſarum Regem Romanis finibus in Oriente iam ab aliquot annis infeſtum ſuperans, vxoribus, ac liberis, ſororibúſque eius captis, imperij limites profert, atque à Diocletiano Imperatore in Meſopotamia cum præſidiis morante ingenti honore ſuſcipitur. Thermæ Diocletianæ Romæ factæ, & Maximianæ Carthagine. Huc referri quoque poſſunt verba Anonymi in Panegyrico ad Conſtantium: *Per victorias tuas, Conſtanti Cæſar inuicte, quidquid infrequens Ambiano & Bellouaco & Tricaſſino ſolo Lingonicóque reſtabat, Batauo cultore reuireſcit. &c.* Legionem militum Thebæanorum duce Mauritio pro Chriſto decimatam primùm, deinde promiſcuè cæſam in variis locis in hunc annum ex Sigonio differunt Caluiſius, aliíque, nos cum aliis præuertimus.

Anno Chriſti CCXCVIII. Poſt Hymenæum Eccleſiæ Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatur Zardas. Ormiſdas II. apud Perſas regnare cœpit poſt Narſeum ſeu Narſetem à Romanis captum. *De morte Clodij Gallorum Regis eiúſque ſucceſſore Walthero ex Trithemij quiſquilius non eſt quod Lectorem diutiùs morer.*

Anno Chriſti CCXCIX. Victi ſunt Marcomanni, quantum ex Idatio datur intelligi: ſed à quo quibúſve auſpiciis non additur. *De Eumenio Rhetore eiúſque ſchola alius volentibus ſuperis nobis erit dicendi locus.*

Anno Chriſti CCC. Maximianus per ea tempora ædificaſſe dicitur Thermas Mediolanenſes, Aquileienſe palatium nouum, Amphitheatrum Veronenſe, ac ſimilia immanium ſubſcriptionum opera: ad quæ molienda vſum eſſe docet Euſebius ſeruitiis militum, quos exauthoratos ad ergaſtula & publicas functiones amandauit.

QVARTVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM, CONSTANTINI ET FILIORVM.

Ab anno Domini IESV 301. *M.* 4354. *Romæ* 1054. *ad annum Christi* 400. *M.* 4453. *Romæ* 1153.

TRECENTESIMO PRIMO ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNO, Olympiadis CCLXX. primo, Diocletianus labente regni anno 18. & Maximianus Herculius Augusti sæuissimam in Christianos Persecutionem, quæ nobis est ordine Vndecima, decernunt, quâ anno proximè sequenti per eos dies, quibus Dominicæ Passionis memoria celebratur, promulgatâ, innumeri homines pro Christi Domini Religione asserenda totum per orbem cæsi sunt: nec vllis vnquam bellorum cladibus adeò mundus exhaustus est, certatim in glorioſa martyria ruentibus cunctis. In his numerantur Methodius Tyri Episcopus, Albanus Verulamiensis dictus Britannorum Protomartyr, *Donatianus & Rogatianus fratres Nannetis*, Procopius, Zacchæus, Vincentius vterque, hoc est tum Oscensis, *tum Agennensis* Diaconi, *Fides & Capraſius*, Marcellinus Presbyter, Petrus Exorcista, Agnes, *Fuscianus & Victorinus apud Ambianos cum hospite Gentiano, Valerius & Ruffinus in Sueſſionibus, Quintinus in Veromanduis, Piatus & Chryſolius apud Tornacenſes, Julianus Briuate apud Aruernos. Ferreolus Tribunus haud procul Rhodani ripâ, Geneſius Arelate, Modeſtus Tiberius & Florentia Ceſſerone*, Victorinus Petauionensis non Pictauiensis Episcopus, *Antoninus Apamea ad Aurigeram amnem, Domninus Apriliaci, Macra in Finibus Remorum*, Treueris pæne innumerabiles sub Rictiouaro Galliarum Præside vario mortis genere necati, & plurimi alij ex Romano, aliisque Martyrologiis notissimi. In sola Ægypto 144. millia occisa ferunt, in exilium ejecta 700. millia. Tunc enim glorioſis mortibus martyria auidiùs quærebantur, quàm nunc Episcopatus ambitionibus appetantur, inquit Seuerus Sulpi-

tius, quem cum Eusebio, Orosio, aliísque consule, neque omittenda ipsa Martyrum acta omni fide à Notariis conscripta primitus, sed postea sæpe ab interpolatoribus & sciolis amanuensibus aliísve fœdè corrupta, vt nonnunquam quid verum, quid falsum sit, vix à solertissimis indagatoribus dignosci queat. Post Zardam Ecclesiæ Hierosolymorum præfuit Hermon, Antiochiæ verò post Cyrillum Episcopus constitutus est Tyrannus. Eiurarunt fidem nonnulli sacrósque libros persecutoribus tradiderunt, vnde ortum postea Donatistarum in Africa schisma luctuosissimum.

Anno Christi CCCII. circa Paschales ferias aduersus Christianos feralia Imperatorum edicta pependerunt de diruendis Ecclesiis & sacris libris incendio tradendis, &c. Alexandrinæ Ecclesiæ post Theonam Episcopus ordinatur Petrus, qui postea nono persecutionis anno gloriosè martyrium perpetrauit, inquit Eusebius, qui hæc etiam addit: Iobeleus secundùm maiores. Diocletianus & Maximianus Augusti insigni pompa Romæ triumpharunt; antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, sororibus, liberis, & omni præda, quâ Parthos spoliauerant. Terræ motu horribili apud Tyrum & Sidonem multa opera conciderunt, & populus innumerabilis oppressus XIX. Diocletiani anno secundum Antiochenos anno CCCL. mense Martio in diebus Paschæ Ecclesiæ subuersæ sunt: Quarto autem, seu quinto labente, persecutionis anno Constantinus regnare orsus. Hæc ille.

Anno Christi CCCIII. Diocletiano VIII. & Maximiano Herculio VII. Coss. quarto Nonas Martij, vel vt alij ex Optato Mileuitano, die Iduum Maiarum, Cirthæ in Numidiâ à Secundo Episcopo Tigisitano, & paucis aliis celebrata est Synodus, in quâ nonnulli librorum sacrorum Traditores vitandi Schismatis causa in communionem recepti sunt, & Paulum quemdam in locum defuncti Episcopi ordinarunt. Eodem anno circa decimum Kalendas Septembres prope Sinuessam in crypta Cleopatrensi dicuntur conuenisse trecenti Episcopi in causa Marcellini Papæ, quòd in templo Vestæ & Isidis, thus Ioui, Saturno, Herculíque adoleuisset & sacrificium obtulisset. Verùm communi omnium Præsulum suffragio, iuxta illud celeberrimum effatum: Nemo vmquam iudicauit Pontificem, quoniam prima sedes à nemine iudica-

tur, relictus est suæ conscientiæ Marcellinus. Acta quæ extant à Donatistis conficta, vel deprauata, censuerunt eruditione præstantes viri cum Baronio, qui pluribus de iis disserit.

Anno Christi CCCIV. Diocletianus Nicomediæ, & Maximianus Herculius Mediolani, purpuram ponunt Kalendis Augusti, vergente ad exitum, aut à paucis iam diebus finito secundo persecutionis anno. CONSTANTIVS verò Chlorus & Maximianus Armentarius eadem hora nuncupantur Augusti, cùm iam ab anno superioris sæculi 91. facti fuissent Cæsares. illúdque Cæsaris nomen dignitatemque Flauio Valerio Seuero, & Caio Valerio Maximino, cui cognomen Daza, duarum Armentarij sororum filiis contulerunt. S. Marcellinus Papa martyrio coronatus est die 26. Aprilis, cùm sedisset annos 7. menses 11. dies 26. S. Marcellus Romanus Presbyter factus est Pontifex post dies 25. Maij 21. vel potiùs vt alij, ab exeunte Nouembri, cùm sedes Romana vacasset aliquot mensibus, non verò sex annis, mensibus vndecim, & diebus sex, vt quidam ridiculè somniarunt.

Constantius.

Anno Christi CCCV. Olymp. CCXXI. primo, S. Antonius annos natus præterpropter quinque & quinquaginta crebra per Ægyptum extruit monasteria, & discipulum inter alios habet S. Hilarionem, natione Syrum. Constantinus clam ex aula Maximiani Armentarij dilapsus magna festinatione, truncatisque vt per Italiam transiens Seuerum vitaret, veredis, *ad patrem Constantium Bononiæ, quam Galli prius Gesorianum vocabant, agentem venit.* Ad hunc annum reuocatur à viris doctis Concilium, quod Eliberi in Bætica Hispaniæ prouincia haud procul Granatensi vrbe celebratum est ab Episcopis 19. pluribúsque Presbyteris, cùm pace Ecclesiis nondum reddita, & sæuiente pluribus adhuc in locis persecutione omnia etiam tuta timebantur, grauiúmque pœnarum metu cohibendi erant à lapsu Christiani. Rara autem apud Veteres Canonum illius Concilij mentio, cùm ob nimiam in lapsos seueritatem, quam obiter perstrinxisse videtur Innocentius I. ep. 3. cap. 2. tum quòd obscuro in loco à paucis atque ex occasione dumtaxat conscripti fuissent, nec nunquam in corpus Canonum Ecclesiæ Romanæ, aut antiquas Collectiones relati. Andreas ex Tribuno militum in Cilicia compre-

henſus mortem pro Chriſto paſſus eſt die 19. Auguſti Dominicâ.

Anno Chriſti CCCVI. Conſtantius Chlorus Imperator Eboraci in maiore Britanniâ obiit in complexu filij 8. Kalendas Auguſti exeunte anno primo Olympiadis 271. vt habet Socrates cap 1. lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cùm imperaſſet annis duobus, menſibus tribus, & diebus 25. eodémque illo die 25. menſis Iulij idem Flauius Valerius CONSTANTINVS omnium militum conſenſu leuatus eſt, teſte in Faſtis Conſularibus Idatio, non quidem Auguſtus, ſed Cæſar duntaxat: nam anno demum ſequenti à Maximiano Herculio, cuius filiam Fauſtam vxorem duxit, Auguſti ſiue Imperatoris nomen accepiſſe teſtes ſunt Euſebius atque Zoſimus. Cæcilianus in locum Menſurij ſuffectus Carthaginenſis Epiſcopus factione Lucillæ & aliorum vexatur tanquam à Traditoribus ordinatus. Schiſmatici duce Donato à Caſis nigris Epiſcopo Maiorinum ſuæ factionis Epiſcopum Carthagine creant, opponúntque Cæciliano, quem Felix Aptungitanus ordinarat. *De Aſcarico & Regaiſo Francorum Regibus, qui per abſentiam Conſtantij pacem violauerant, à Conſtantino ſub ipſa regni auſpicia captis & vltimo cruciatu punitis plura dabunt Eumenius, Nazarius, & quiſquis eſt Auctor Epithalamij Conſtantini & Fauſtæ.* Conſtantinus.

Anno Chriſti CCCVII. Conſtantini imagine Romam perlatâ Marcus Aurelius Valerius Maxentius Maximiani Herculij filius à Prætorianis militibus Auguſtus appellatus eſt. Chriſtianam religionem initio ſimulauit, Seuerum Cæſarem à Maximiano Armentario contra ſe miſſum haud procul Româ, vel vt alij habent, Rauennæ interficiendum curat, patrémque ſuum Româ Italiáque pulſum cogit *ad Conſtantinum Treueris in Galliis agentem accedere.* Meletius Lycopolitanus Epiſcopus à S. Petro Alexandrino Præſule ob crimina depoſitus ſchiſma conflauit, cui adhæſiſſe ferunt Arium, iam tum aliquid ſiniſtri in Eccleſia molientem.

Anno Chriſti CCCVIII. Caius Valerius Licinianus Licinius Carnunti in Pannoniâ iuſſu Maximiani Armentarij ex Cæſare factus eſt Imperator die 11. Nouembris. Sunt tamen qui in annum 311. id differant paullò ante mortem Armentarij. Carthagine altera Schiſmaticorum Synodus coacta eſt, in quâ à 270. Epiſcopis Donatianæ factionis per dies 75. poſt

multas concertationes ſententia decreta eſt, vt Traditoribus, immenſi etiam criminis reis, quamuis rebaptizari nollent, communicaretur; itaque deinceps per 40. annos vſque ad perſecutionem Macarianam factum eſt. Vide ep. 48. S. Auguſtini quæ eſt ad Vincentium. Kalendis Iunij S. Pamphilus Cæſarienſis Preſbyter doctiſſimus & Euſebij Hiſtoriarum ſcriptoris amiciſſimus iuſſu Firmiliani Præſidis martyrio affectus eſt.

Anno Chriſti CCCIX. Olymp. CCLXXII. primo, S. Marcellus I. Papa martyrio vitam finiit die 16. Ianuarij, ſæuiente in Chriſtianos Maxentio, cùm Eccleſiæ præfuiſſet annos 4. menſem vnum & dies 25. Succeſſit poſt viginti dies S. Euſebius, natione Græcus, die 5. Februarij. In Phrygia integra vrbs ob Chriſti fidem internecione deleta memoratur. S. Quirinus Siſcianus Epiſc. gloriosè pro Chriſto interficitur. Nam manuali mola ad collum ligata è ponte præcipitatus in flumen, diutiſſimè ſupernatauit, & cum ſpectantibus collocutus, ne ſui terrerentur exemplo, vix orans, vt mergeretur, obtinuit. Vide Euſebium & Martyrologium die 4. Iunij.

Anno Chriſti CCCX. Maximianus Herculius ſiue ſenior dictus, detectis à filia Fauſta, quas aduerſus Conſtantinum eius coniugem parabat, inſidiis, *profugit Maſſiliam*, ibíque iuſſu generi ſui ſtrangulatus interiit annis 26. quàm à Diocletiano ad imperium fuerat aſſumptus. Cadauer eius Mediolani ſepultum. S. Petrus Alexandrinus Antiſtes, cuius extant Canones XV. de Pœnitentia, illuſtri martyrio defunctus eſt die 26. Nouembris. Succeſſit Achillas, qui Arium, à deceſſore ob Meletianum ſchiſma excommunicatum, pœnitentiam ſimulantem in integrum reſtituit. Multæ Virgines Chriſtianæ in Lupanaria detruſæ auxilio Chriſti ſaluæ integræque euaſerunt.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCXI. S. Euſebius Romanus Pontifex obiit die 26. Septembris, cùm ſediſſet annis duobus menſibus 8. & diebus 21. Succeſſit ſeptimo poſt die 3. Octobris S. Melchiades ſeu Miltiades natione Afer; nugas enim nugantur maximas, qui Hiſpanum adeóque Mantuanum aſſerunt. Suffectus quoque Achillæ eſt eodem anno Alexander Alexandrinus Epiſcopus. S. Lucianus Martyr Nicomediæ

comediæ pro Christo passus est, cùm pro Christianis coram Præfecto apologiam recitasset. Galerius Maximianus Armentarius Imperator dirâ morte sublatus est Romuliani loco natali in Dacia Ripensi, prope Sardicam, vt Aurelius Victor docet, cùm paullò ante Persecutionem edicto compressisset annósque imperasset 19. absolutos. Maximinus Theotechni cuiusdam impulsu eandem persecutionem paullò post renouauit & Acta Pilati commentus est.

Anno Christi CCCXII. Constantinus cælesti Crucis ostento, & verbis illis, ἐν τούτῳ νίκα, animatus, è Galliis, transcensis Alpibus in Italiam venit, hostiles copias ad Veronam profligat, Maxentium Maximiani filium, cùm ferè sexennium, vt ait Auctor Panegyrici, per desidias consumpsisset, haud procul Româ ad Muluium pontem opprimit. Corpus Tyranni postera die è Tiberino flumine sublatum est, capútque eius incisum in vrbem delatum. Gesta sunt hæc sub Autumnum huius anni à Româ condita MLXV. pridiè quàm Maxentius erat septimum regni sui annum inchoaturus, hoc est, vt multi sentiunt ipso die 24. Septembris, vnde Indictionum, quas Cæsareas vocant, siue Primi Quindecennalis Cycli in Oriente atque Occidente celeberrimi, ducitur initium. Maximinus Constantini ac Licinij metu Christianis æquiorem se præbuit. Hic S. Catharinam, quæ Græcis Αἰκατερίνη dicitur, variis tormentis obiecisse ac gladio tandem subiecisse perhibetur. De ea agunt Martyrologia die 25. Nouembris. Anno 307. mortem eius illigant nonnulli recentiores.

Anno Christi CCCXIII. Olymp. CCLXXIII. primo, Licinius Mediolani Constantiam Constantini Magni filiam ducit vxorem, & Galerium Maximinum in Illyrico victum in Ciliciam compulit, vbi Tarsi fœdo morbo multísque cruciatibus vexatus, impiam efflauit animam, cùm in fauorem Christianorum paullò antè edictum publicasset, quod extat apud Eusebium. Zosimus à Consulatu Chilonis & Libonis docet centum & decem annorum tempus fluxisse ad hunc annum, quo ludos sæculares consueto more celebratos oportuit. *Constantinus Francos è Galliâ eiicit, eorúmque regiones transmisso Rheno populatur.* Idem Donatistarum causam Romano Pontifici cognoscendam tradidit, cùm Anulimus Africæ Proconsul supplices eorum libellos Carthagine die 15. Aprilis mi-

sisset, quibus causæ suæ cognitores Episcopos Gallicanos dari sibi postulabant. Romæ itaque celebrata est Synodus Constantino III. & Licinio III Coss. in Laterano in domo Faustæ die secundo Octobris feria sexta à Melchiade Papa, Materno Agrippinensi, Rhœticio Augustodunensi, Marino Arelatensi, aliisque Episcopis iussu & aduocatione Constantini congregatis, vt hanc controuersiam dirimerent. In ea Cæcilianus à calumniis, quibus fuerat impetitus, liber & immunis iudicatus est, damnati verò Donatus Maiorini in Cathedrâ Carthaginensi successor, eiúsque sequaces S. Melchiades Papa sub finem eiusdem anni obiit die 10. Decembris, cùm præfuisset Ecclesiæ annis duobus, mensibus totidem, & diebus septem.

Anno Christi CCCXIV. Kalendis Februariis, vel vt alij die 31 Ianuarij feria prima suffectus est in locum demortui Melchiadis Romanus Pontifex S. Siluester I. ad annos fere 22. Huius anno primo, Volusiano & Anniano Consulibus celebratum est Constantini Imp. iussu Primum Arelatense Concilium, in quo Donatistarum pertinax aduersus Cæcilianum ac diuturna contentio, quæ iam ab aliquot annis Africam vexabat, iterum discussa est, ac pro parte composita, & de baptismo Hæreticorum Ecclesiæ lex tradita, eiúsque iterandi praua consuetudo repressa penitus atque interdicta. Tot verò confluxere ex diuersis prouinciis Antistites, vt S. Aug. lib. 2. de Bapt. cap. 9. & ep. 162. non dubitarit plenarium, & vniuersale, & vniuersæ Ecclesiæ nuncupare. Præter epistolam Constantini ad Vicarium Africæ Ælianum à cuius sententia die 15. Februarij lata Donatistæ appellauerant, & alteram ad Chrestum Ep. Syracusanum, Synodicam Concilij ad Siluestrum Papam de rebus in Concilio gestis, necnon rescriptum eiusdem Imp. ad Episcopos qui interfuerant, vt ad suas quisque Prouincias ac ciuitates reuerterentur, extant 22. Canones cum subscriptionibus. Eodem anno consignari solet Ancyræ in Galatia celebratum Concilium ab 18. Episcopis in causa lapsorum sub persecutione Galerij Maximini, cautúmque inter cætera, ne quisquam lapsorum ad Ecclesiæ communionem admitteretur, qui non ante conuenientem pro delicto pœnitentiam egisset. Extant eius canones 24. Post Hermonem Hierosolymorum constituitur Episcopus Macarius.

Anno Christi CCCXV. orto inter Augustos bello occasione Bassiani eiúsque fratris Sinicij, Constantinus bis hoc anno (quanquam Idatius in Fastis præcedentem designet) Licinium superauit, primò ad Cibalim die 8. Octobris, ex quo prœlio fugit in Daciam cum vxore, filio, & Thesauris, & C. Iulium Valentem Cæsarem fecit, deinde in Mardyensi campo, vbi pene omnes Liciniani internecione deleti. Licinius pace impetrata Illyricum, reliquásque Occidentis prouincias Constantino permisit. Valens paullò pòst necatus. Sunt qui ad hunc annum reuocent Synodum Neocæsareæ ad Lycum in Cappadocia habitam à 13. Episcopis, qui fermè omnes Concilio Ancyrano subscripserant. In ea ad œconomiam Ecclesiasticam rectè constituendam, omniúmque fidelium mores piè ac sanctè componendos editi sunt Canones 14. In actis S. Siluestri, quæ ab Hadriano Papa ad Carolum Magnum olim fuisse missa volunt, Iudæi tam per Scripturam sacram, quàm per miracula memorantur profligati à S. Siluestro Papa, multísque aliis Episcopis, coram Constantino decimum imperij annum agente, eiúsque sancta matre Helenâ.

Anno Christi CCCXVI. Diocletianus olitor ex Imperatore factus haud procul à Salonis in villâ suâ Spalato perit epoto veneno die 3. Decembris, teste Idatio, solúsque omnium, inquit Eusebius, inter Deos priuatus refertur. S. Martinum Sabariæ hoc anno natum docet Gregorius Turonensis libri 1. Hist. Francorum cap. 26. Sed biennio triennióve anteuertit, siquidem verum sit annos tantùm 81. in viuis egisse. Sigonius, aliique, Gallicani de Scythis victoriam referunt. Colluthus Alexandrinus Presbyter in populum prauas hoc tempore spargebat de fide sententias, non secus atque Arius, de cuius primordiis consule Lactantium cap. vlt. lib. 4. ad Constantinum, Acta Basilij Amaseæ Episcopi, Epiphanium hæresi 69. Orosium lib. 7. cap. 19. aliósque.

Anno Christi CCCXVII. Olymp. CCLXXIV. primo, Kalendis Martiis Crispus & Constantinus filij Constantini ex Mineruinâ & Faustâ, & Licinianus seu Licinius, Licinij Augusti filius, Constantini ex sorore nepos, Cæsares appellantur, Gallicano & Basso Coss. Eclipsis Solis die 20. Decembris feriâ sextâ cœpit horis vndecim à mediâ nocte, siue hora no-

na, vt habet Idatius, sed minus accuratè sub sequentis anni Coss. Fuerat alia quoque Solis Eclipsis anno superiori die Iulij 6. feria itidem sexta, hora 4. & 57. minutis post mediam noctem, de quâ egisse arbitror Aurelium Victorem. Crispum, addit Eusebius, Lactantius literis Latinis erudiuit, vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeò in hac vita pauper, vt plerumque etiam necessariis indiguerit. Hoc circiter tempore, cùm hæresim suam disseminare cœpisset Arius, ipse eiúsque 12. Sectatores, qui Filium Dei non sine principio à Patre genitum sed creatum in tempore blasphemabant, à centum fermè Episcopis, præside S. Alexandro, Alexandriæ congregatis damnati sunt, & à communione Catholica reiecti. Metrophani subrogatur Byzantij Episcopus Alexander ad annos 23.

Anno Christi CCCXVIII. *Crispo Cæsari Galliam commisit Constantinus.* Arius in Palæstinam aliásque Orientis prouincias, profectus, inter cæteros Eusebium Nicomediensem Episcopum sibi conciliat, cóque adiutore vsus turbas ciet, & multos suæ sociat impietati. Errat hic insigniter Caluisius, dum ex Sigonio floruisse asserit cum Nazario Rhetore, Lampridio, Spartiano, Capitolino, Vopisco, & aliis Minucium Felicem, qui toto sæculo præcessit.

Anno Christi CCCXIX. Licinius in odium Constantini Christianos de aula sua expulit. Concilia celebrari vetuit, multósque variis pœnis subiecit. XL. Martyres in Cappadocia frigore enecti, S. Basilius Amaseæ Episcopus, aliíque passi. Constantinus Sarmatas Istrum transgresso cum eorum Rege Rausimodo cecidit, & Hosium Cordubensem Episcopum Alexandriam misit, qui collecta Synodo Generali, non solum de Ariano tumultu egit, sed & Colluthum Presbyterum, qui multos ordinasse dicebatur, in ordinem redegit, ac pullulantem in Ægypto Sabellianam hæresim repressit. Eusebius Alexandri Episcopi Alexandrini duas epistolas refert cum literis eiusdem Constantini ad eundem Alexandrum & Arium scriptis. Post S. Philogonium Antiochiæ constituitur Episcopus Paullinus, siue Paullus aliis dictus.

Anno Christi CCCXX. Baronius censet coactum fuisse ad collapsam Ecclesiæ disciplinam restaurandam Concilium Laodiceæ in Phrygia Pacatiana à Nunechio Metropolitano

Prouinciæ & 32. Episcopis. Extant sanciti in eo Canones 59. At non adeò exploratum est, quo tempore habitum sit Gangris in Paphlagonia Concilium canonibus 20. circumscriptum, aduersus Eustathium Sebastianensem in Armenia Episcopum, qui nimio virginitatis & martyrij amore actus in transuersum, nuptias damnarat, multáque alia ad Manichæorum dogmata propiùs spectantia prætextu quodam sanctitatis excogitauerat. Constantinus, tum multa alia in Christianæ religionis fauorem edixit, tum de diei Dominicæ à litibus feriatione legem sanxit, quæ prima est Codice de Feriis. *Crispinus Cæsar Alamannos vincit Galliam infestantes. Nazarius Rhetor per ea tempora insignis orationem Panegyricam Constantino dixit, Crispúmque Cæsarem terrorem paternum, quo semper Barbaria omnis intremuit, deriuare ad nomen cœpisse asseruit.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCXXI. Olympiadis CCLXXV. primo, Constantinus Medicis & Professoribus literarum immunitatem concedit, multáque alia decernit. Quinquennalia Crispi & Constantini Cæsarum celebrata. Dira interim Licinij in Christi fideles persecutio.

Anno Christi CCCXXII. Lactantius scribit septem libros Institutionum diuinarum, qui extant.

Anno Christi CCCXXIII. Imperator Clericos à celebrandis lustrorum sacrificiis eximit, & aduersus Licinium Christianis infensissimum copias parat. Habuisse in exercitu ferunt 120. millia peditum & 10. equitum milla. Caluisius hoc anno vult superatum fuisse à Constantino Licinium ad Hadrianopolim 3. Iulij feria 4. Verùm alij in sextam feriam annúmque sequentem differre malunt.

Anno Christi CCCXXIV. Constantinus de Licinij legibus irritandis rescriptum dedit die 16. Maij, eúmque ad Hadrianopolim vincit die 3. Iulij cæsis 34. millibus: Crispus nauali prælio Amandum Licinianæ classis Præfectum profligat ad Callipolim. Iterum victus Licinius ad Calchedonem die 18. Septembris, Nicomediam recessit, & Constantia apud fratrem agente vita donatus, in ordinem posita purpura redactus est, ac Thessalonicam missus. Constantius leuatus est Cæsar die 8. Nouembris, vt docet Idatius in Fastis. Post Paullinum Antiochiæ ordinatus est Episcopus Eustathius frustra sata-

gentibus Arianis, vt eò Eusebius Cæsarienſis transferretur. Hoc eodem anno die 30. Maij (non Constantino Augusto III. & Prisco Coss. vt vulgò habetur, sed Crispo Cæsare III. & Constantino Cæsare III. Coss.) celebrata dicitur Romæ Synodus in Thermis Traiani à 286. Episcopis, vt quæ ad disciplinam Hierarchici ordinis & pacem Ecclesiæ stabiliendam necessaria essent, constituerentur. Extant Canones 20. cum Epilogo breui, & subscriptionibus dicti Concilij, quod suspectum fuit hactenus plerisque viris eruditis. Eclipsis Solis die 6. Augusti feria 5.

Anno Christi CCCXXV. Olymp. CCLXXVI. primo Vrbis conditæ 1078. Æræ Hisp. 363. Seleucidarum 636. Iunij nostri, siue vt Græcis dicitur Dæsij mensis die 19. Paullino & Iuliano Coss. (Socrates l. 1. cap. 9. ait reperisse ἐν τῇ δεκατριακάδι τοῦ Μαΐου μηνός, siue 13. Kal. Iunij, non verò 11. vt habet Latinus Interpres) Nicææ in Bithynia congregati trecenti decem & octo Patres, præsente Constantino Imperatore vigesimum annum in imperio agente, & adstantibus Sedis Apostolicæ Legatis Hosio Episcopo Cordubensi, Vito seu Victore, atque Vincentio, Concilium celebrarunt, in quo Fidei Symbolum conditum, dirempta de Paschatis celebratione vetus controuersia, Arius palinodiam recantans, eiúsque sequaces communioni restituti, ac præter alia multa ad Ecclesiasticam disciplinam spectantia, sanciti viginti canones: quos exhibet Binius cum Alexandri epistolis, oratione Constantini de Pace ad Patres congregatos, variisque eius epistolis, Symbolo Fidei, subscriptionibus Episcoporum, libello Eusebij Nicomedienſis, & Theognidis Nicæni, epistola Concilij ad Ægyptios, Actis à Gelasio Cyziceno conscriptis, interprete Alfonso Pisano & Canonibus 80. ex Arabicâ linguâ Latinitate donatis, cum præfatione & Scholiis Franciſci Turriani, &c. Quòd verò spectat ad Epistolam Nicænæ Synodi ad Siluestrum, & Siluestri rescriptum ad Synodum, ea aut commentitia, aut saltem valdè corrupta reputantur ab eruditis. Ipse autem Siluester sub anni exitum, Romæ intra Thermas Domitianas coactâ 275. Episcoporum Synodo, probasse dicitur, quæ Nicææ à Patribus 318. inter quos S. Nicolaus Myrensis in Lycia Episcopus, S. Spiridion, Alexander vterque Alex. & C P. Eustathius Antiochenus, &c. fuerant definita in Magnâ

& Myſtica, vt quibuſdam dicitur, Synodo, quæ deſiit die 25. Auguſti. Sub finem Concilij Nicomediæ Vicennalia celebrauit Imperator, & Kal. Octobris gladiatorum cruenta ſpectacula edicto ſuſtulit, Hæreticorum conuentus prohibuit, eorúmque ædes Catholicis attribuit. Licinius nouas res molitus Theſſalonicæ priuatus occiditur, & in Cappadocia Martinianus quem Cæſarem anno ſuperiori creauerat.

Anno Chriſti CCCXXVI. Euſebius Pamphili Martyris contubernalis Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopus Chronicon ſuum vſque ad hunc annum perduxit, quo Conſtantini Auguſti Vicennalia Romæ eſſe edita memorat: reliqua vſque ad annum æræ vulgaris 378. pertexuit S. Hieronymus. Crux Domini IESV à S. Helenâ (quæ die 18. Aug. anni ſequentis obiiſſe dicitur ætatis 80.) Hieroſolymis inuenta eſt, extructæque variis in locis in Chriſti honorem baſilicæ. S. Athanaſius ſucceſſit in locum S. Alexandri Epiſcopi Alexandrini, quinto menſe poſt celebratum Nicææ Concilium, frendentibus in eum Arianis. Criſpus Cæſar Polæ in Iſtria, vel vt alij, Romæ, à Nouerca Fauſta accuſatus crudeliſſimè interficitur, necnon Licinianus, ſeu Licinius iunior, Conſtantiæ Conſtantini ſororis & Licinij Auguſti filius. In Perſide excitata in Chriſtianos à Sapore perſecutione, Acepſimas, Aithales, multíque alij necati, de quibus Martyrologia die 22 Aprilis.

Anno Chriſti CCCXXVII. Conſtantinus vxorem ſuam Fauſtam ob falſam Criſpi innocentiſſimi iuuenis delationem iuſſit in balneo interfici, atque ex vocabulo matris ſuæ, quam diximus hoc anno die 18. Auguſti defunctam, & in baſilica SS. Martyrum Marcellini & Petri Via Lauicana magnificè ſepultam, Drepanum Bithyniæ vrbem in honorem S. Martyris Luciani ibi conditi à ſe inſtauratam, Helenopolim nuncupauit. Cuias fuerit Helena non conſtat: Bithynam potiùs, quàm Britannam extitiſſe vero ſimilius eſt. *Incertum quoque, quod nonnulli audacter ſcribunt, ab eadem Sanctenſem in Cliuiâ, Bonnenſem ad Rhenum in Diœceſi Colonienſi, Veſuntinam in Sequanis, aliáſque in Galliâ fuiſſe ædificatas Eccleſias.* Calocerus magiſter pecoris camelorum in Cypro tyrannidem arripit, & poſt aliquot annos opprimitur. Arnobius Rhetor in Africa clarus habetur, qui cum Siccæ ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem ſomniis compelleretur,

neque ab Episcopo impetraret fidem, quam semper impugnauerat, elucubrauit aduersus pristinam religionem luculentissimos libros,& tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrauit. Arius frustra extorquere nititur reditum Alexandriam à S. Athanasio, qui Frumentium Tyrium Indis, quos prædicatione sua ad fidem conuerterat, Ep. dedit.

Anno Christi CCCXXVIII. In Antiochia Dominicum, quod vocatur Aureum, ædificari cœptum. Donatus agnoscitur, à quo per Africam Donatiani. Circa idem ferè tempus Iberis, operâ cuiusdam ancillæ, Euangelium Christi prædicatum fuit. S. Athanasius diœcesim suam peragrans Ischyram in Mareotide pro Episcopo se gerentem deiicit, sanctósque Monachorum Patres Antonium atque Pachomium inuisit. Constantinus obseruato iampridem Byzantij ad Bosporum Thracium situ, & maxima rerum omnium opportunitate, instaurare ac munire aggreditur. Qua de re consulendi Auctor Chronici Alexandrini, quod longè meliùs CP. dixeris, Theophanes, Suidas, Codinus, Cedrenus, Glycas, Zonaras, Manasses, iisque antiquior Philostorgius Arianus, qui anno Christi 425. Historiam suam scribere desiit.

Anno Christi CCCXXIX. Olymp. CCLXXVII. primo, Iuuencus Presbyter, natione Hispanus, Euangelia Heroicis versibus explicat, qui modo extant. Publilius Optatianus Porphyrius (quem non rectè quidam cum Philosopho Tyrio eiusdem nominis, Christian. infensissimo hoste miscuerunt) missо ad Constantium insigni (vt quidem vocat Hieron. nam multi laboriosas illas difficilésque nugas nihili æstimant) volumine Carminum variis figuris numerísque distinctorum ab exilio liberatur. Idem Hieronymus recenset Antiochenos Episcopos Vitalem, Philogonium, Paulianum & Eustathium, quo in exilium ob fidem truso, Arriani Ecclesiam obtinuerunt Eulalius, Eusebius, Euphronius, Placillus, Stephanus, Leontius, Eudoxius, Meletius, Euzoïus, Dorotheus, rursum Meletius. Quorum, inquit, idcirco tempora non digessi, quòd eos hostes potiùs Christi, quàm Episcopos iudicem. Ariani Meletianis iuncti S. Athanasium variis calumniis onerant. Verùm fraude detecta Constantinus auctores tantorum scelerum execratus est, & Eusebium Nicomediensem sede sua deiici iussit.

Anno

Anno Christi CCCXXX. Romæ Veteris MLXXXIII. die Maij vndecima feria secunda Gallicano & Symmacho Coss. Constantinus Imperator NOVÆ ROMÆ, quam nomine suo Constantinopolim appellari voluit, ENCÆNIA maximo apparatu celebrauit, collatisque in eam varij generis ornamentis omnium penè vrbium nuditate, vt ait S. Hieronymus, dedicauit; Senatum instituit Romano similem, eadem die quotannis cum sacra effigie suâ natalem vrbis peragi, Zeuxippum quoque balneum publicum Circo proximum aperiri præcepit, &c. Metrodorus Philosophus agnoscitur.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCXXXI. Imperatoris edicto Gentilium templa euersa, S. Athanasius à Meletianis & Arianis fictis criminibus exagitari incipit, confracti calicis, & occisi Arsenij, incentore Eusebio Nicomediensi. Circa ea tempora Præfectos Prætorio quatuor à Constantino Imp. par est credere Orientis, Illyrici, Italiæ, *& Galliarum: atque huic datos tres Vicarios. I. Treuerensem cui parerent Belgica vtraque, inferior superiórque Germania cum Britannia insula. II. Lugdunensem, qui quatuor Lugdunenses regeret cum Maxima Sequanorum. III. Viennensem in Allobrogibus ad Rhodanum, cui subditæ forent Narbonensis vtraque, Aquitaniæ* 1. 2. *&* 3. *quæ Nouempopulonia quoque dicta, & Alpes cùm Maritimæ, tum Graiæ & Penninæ.*

Anno Christi CCCXXXII. Romani duce Constantino Cæsare Gothos in Sarmatarum regione vicerunt die 20. Aprilis. Cùm rescripsisset Imperator de veteranorum filiis ad militiam cogendis S. Martinus annos natus 17. inter milites cœpit profiteri.

Anno Christi CCCXXXIII. Olymp. CCLXXVIII. primo, Dalmatio & Xenophilo Coss. *Chalcedone profectus auctor Itinerarij Burdegalensis à Pithæo editi die* 30. *Maij lustratâ Palæstinâ rediit Constantinopolim die* 26. *Decembris. Florebat eo tempore Exuperius Burdegalensis, qui Rhetoricam Tolosæ ac Narbone Martio docuit, & Dalmatij filios grandi mercede instituit, à quibus Præses Hispaniæ factus tandem, vt canit Ausonius in Professoribus cap.* 18. *decedens placidos mores, tranquilláque vitæ tempora prædiues finiuit sede Cadurcâ.* Constantinus die 27. Septembris immunitatem confirmat Medicis & Professoribus literarum, & ad S. Athanasium perhonorificas literas scribit. Constans verò minor na-

tu eiusdem filius die 25. Decembris leuatus est Cæsar, vel, vt verbis Hieronymi vtar, prouectus est ad regnum. Pestilentiâ & fame innumerabilis multitudo in Syriâ Ciliciáque periit.

Anno Christi CCCXXXIV. Optato & Paullino Coss. Iulius Firmicus defectionem Solis medio diei tempore obseruauit, quæ accidit die Iulij 17. feria 4. Scribebat autem libros illos de Matheſi paullò ante Constantini Magni obitum, vt pluribus demonstrauimus in Chronico Technico ad annum 355. occasione erroris Caluisiani. Sarmatæ Limigantes dominos suos, qui nunc Argaragantes vocantur, facta manu in Romanum solum expulerunt ad trecenta millia, quos Constantinus per varias imperij prouincias dispersit. Calocerus in Cypro res nouas iampridem molitus opprimitur, & iussu Dalmatij Cæsaris designati Tarsi Ciliciæ viuus comburitur. Hierosolymis sub Episcopo Macario templum S. Crucis Septembris 17. fortè meliùs 14. dedicatum est, ἐν τῷδε ἤρξατο ἡ σωτηρία, inquit Alex. Chronicon. Cæsarienſis in Palæstinâ Synodus in causa S. Athanasij coacta, & Tyrum subinde translata.

Anno Christi CCCXXXV. Constantinus tricennalia edidit Constantinopoli πολὺ φιλοτίμως die 25. Iulij, & Dalmatium fratris sui Dalmatij filium Cæsarem creauit die 18. Septembris, Anniballianum verò Dalmatij fratrem data ei Constantinianâ filia sua Ponti Regem constituit, & Cæsaream Cappadociæ amandauit. Conciliabulum Tyri celebratur, in quo, cùm S. Athanasius de Arsenij cæde aliisque obiectis criminibus se purgasset, pertinaci aduersariorum furore damnatus, ad Constantinum fugere coactus est. Dedicatæ ab iisdem Episcopis Basilicæ, vna Tyri, altera Hierosolymis Martyrium dicta, quæ Eustathij cuiusdam presbyteri Constantinopolitani industria fuerat constructa. Constantinus cum liberis suis ad S. Antonium honorificas literas mittit. Patera Rhetor Romæ glorioſissimè docet. Nazarij Rhetoris filia in eloquentia patri coæquatur. *Tiberianus vir disertus Præfectus prætorio Gallias regit.* S. Syluester Papa obiit die vltima Decembris, cùm Ecclesiæ præfuisset annis vno & viginti, atque vndecim mensibus.

Anno Christi CCCXXXVI. S. Marcus, patria Roma-

nus, creatus die 16. Ianuarij Pontifex, post octo menses diéſque 22. obiit die 7. Octobris. S. Iulius patria Romanus die 27. Octobris electus est Papa ad annos 16. & sex ferè menses. Euocati Constantinopolim Episcopi, qui Tyri S. Athanasium damnauerant, nouis eum criminibus onerant, quibus commotus Imperator, & ipsum *Treueros in Galliam*, & eius fautores aliò alios amandauit. *S. Maximinus Pictauis, vt ferunt, ortus parentibus Senatorij ordinis, Treuerensis Antistes benignè profugum excepit, cum quo amicitiam contraxit S. Seruatius Tungrensis, aliique Gallicani Episcopi.* Arius post oblatam suæ fidei professionem & Imperatorem peruersis artibus ludificatum miro Dei iudicio in Foro haud procul à Curia miseranda morte periit. Constantinus Basilicam Apostolorum extruxit Constantinopoli, in qua sepeliretur, reliquias SS. Lucæ, Andreæ, atque Timothei in eandem transferri curauit, & Indorum legatos munera ferentes excepit.

Anno Christi CCCXXXVII. Cùm in Persas bellum pararet Constantinus, in Achyrone villa publica iuxta Nicomediam mortuus ad cælestia regna ablatus est anno ætatis 66. imperij 31. labente, ipso Christianæ Pentecostes die 22. Maij. S. Hieronymus in Chronico scribit extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatum, in Arianum dogma declinasse, & ab eo tempore vsque in suam ætatem Ecclesiarum rapinas & totius orbis secutam esse discordiam. De baptismo multi ex veteribus assentiuntur, quibus refragatur Baronius, aliíque recentiores, quos vide. Post Constantinum tres eius liberi ex Cæsaribus Augusti appellati die nono Septembris, iam inchoato anno primo Olympiadis CCLXXIX. diuisóque inter se imperio, CONSTANTINVS maximus natu *Gallias, & quidquid trans Alpes erat*, obtinuit; CONSTANS Italiam, Africam, & Illyricum; CONSTANTIVS denique à freto Propontidis Asiam cum Ægypto & Thracia nactus, cùm ex Mesopotamia protinus aduolasset C P. Patris corpus magna pompa efferri & humari curauit in æde SS. Apostolorum. Iulius Papa Romæ Concilium celebrasse dicitur, quo & Nicænæ Synodi acta probata sunt, & hæresis Ariana damnata.

Constantinus. Constás. Constantius.

Anno Christi CCCXXXVIII. Constantius Constantini Magni frater, Dalmatius quoque & Anniballianus eiusdem

Augusti ex Dalmatio nepotes, Optatus Patricius, Ablauius Præfectus prætorio, multíque nobilium factione Constantij & tumultu militari interempti sunt, seruatis tantùm Gallo & Iuliano Constantij filiis, quorum hunc tenera ætas, illum ægritudo vix neci subtraxit. Cùm Sapor Persarum Rex vastata Mesopotamia Nisibin frustra per duos menses obsedisset, S. Iacobo Episcopo precibus suis eam ab imminenti discrimine liberante, profectus aduersus hostes Constantius Antiochiæ à graui morbo curatus est opera S. Spiridionis Trimithuntis in Cypro Episcopi. *Constantinus iunior è Gallijs sanctum Athanasium, qui apud S. Maximinum Treuerensem Episcopum biennium & quatuor menses substiterat, Alexandriam cum literis ad Alexandrinos remittit*, vbi magno cum honore ab omnibus exceptus est, frementibus necquicquam Arianis.

Anno Christi CCCXXXIX. Constantinus & Constans Augg. fratres matrimonia cum fratris sororísve filia sub capitali pœna prohibent, & missos ab Arianis Legatos de Athanasio expostulantes aspernantur. Idem quoque præstitit Iulius Papa. Ex hoc loco, inquit Hieronymus, impietas Ariana Constantij Regis fulta præsidio exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis primùm Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecuta est.

Anno Christi CCCXL. S. Athanasius ad Synodum à Iulio Papa indictam venit, & Romæ sesquiannum commoratus, S. Antonij vitam ac miracula magno multorum emolumento publicauit. Mortuo S. Alexandro CP. Episcopo, cùm vixisset annos 98. & sedisset annos 23. suffectus est Paulus, quo ejecto, Constantius successorem dedit Eusebium Nicomediensem. Alter Eusebius Cæsariensis Metropolitanus, cui plurimùm debet Historia Ecclesiastica, hoc anno obiisse dicitur. Deponitur per calumniam Eustathius Patriarcha Antiochenus. Constantinus iunior bellum fratri Constanti inferens iuxta Aquileiam occisus in Alsam fluuium proiectus est. Sunt tamen, qui Constantinum insidiis Constantis fuisse oppressum velint. Hic verò Aquileiæ die 6. Aprilis mortuo iam fratre fuisse dicitur, eiúsque prouincias ordinasse.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCXLI. Olympiadis CCLXXX. primo, *Constans vario euentu aduersus Francos in*

Galliis pugnat. In Oriente horribilis terræ motus extitit, quo plurimæ vrbes conſederunt, præter Antiochiam, in qua vrbe Dominicum Aureum, ſic dicta Baſilica à Conſtantino Magno extrui cœpta, dedicatum eſt, Conſtantio præſente, & Epiſcopis pluſquam 90. qui in ea ſolemnitate Synodum celebrantes S. Athanaſium deponunt, Georgium Cappadocem ſubrogant, & cum canonibus 25. Confeſſionem fidei edunt, quæ dicta eſt in Encæniis, ſuppreſſo οὐσίας nomine. Audius auctor hæreſis Audianæ in Cœleſyria clarus habetur. Romæ Iulius Papa in Synodo decretam Antiochiæ S. Athanaſij damnationem reſcindit, & Marcellum Ancyræ in Galatia Epiſcopum ad communionem recipit.

Anno Chriſti CCCXLII. Mortuo Euſebio ex Nicomedienſi Epiſcopo Sedis CP. incubatore Hermogenes magiſter militiæ tractus eſt CP. & diſcerptus à populo, ob Epiſcopum Paulum, quem Regis imperio pellebat, & factione Arianorum, qui Macedonium artis plumariæ opificem in locum Pauli ſubrogarant. Hic Romam ſe recepit, cum pluribus aliis Epiſcopis, in quibus S. Athanaſius clam Alexandria dilapſus, vbi multæ cædes patratæ cùm per Philagrium Præfectum Georgius Cappadox introductus eſt. *Franci hoc anno à Conſtante perdomiti & pax cum eis facta, inquit Hieronymus.*

Anno Chriſti CCCXLIII. Sapor Perſarum Rex, Chriſtianos perſequi aggreſſus, Simeonem Seleuciæ & Cteſiphontis Epiſcopum, Vſthazanem, alióſque plures occidit. Sunt & qui moneant huius anni initio die Ianuarij 10. ad ſuperos abiiſſe in Thebaide S. Paulum Eremitam ætatis 113.

Anno Chriſti CCCXLIV. Ariani in Antiochena Synodo longiorem fidei formulam μακρόστιχον dictam falſo Luciani Martyris titulo decorarunt. Ibidem inter cætera volunt Photini primùm damnatam hæreſim, qui Marcelli Ancyræ Epiſcopi olim diſcipulus ac diaconus, per ludibrium Scotinus dici ſolitus, infelix doctrinæ ſuæ lolium paullò ante diſſeminare cœperat. Neocæſarea vrbs Ponti ſubuerſa, maríque abſorpta, excepta Eccleſia, & Epiſcopo, cæteríſque, qui ibidem reperti ſunt. Rhodus quoque terræ motu quaſſata. *Titianus vir eloquens Præfecturam prætorio apud Gallias adminiſtrat.*

Anno Chriſti CCCXLV. Olymp. CCLXXXI. primo,

Dyrrachium Dalmatiæ vrbs terræ motu corruit & tribus diebus ac noctibus Roma nutauit, plurimæque Campaniæ vrbes vexatæ. Ad Seleuciam Syriæ magnis reipublicæ impensis portus effectus est, montis magna parte excisa. Sapor rursum tribus mensibus obsidet Nisibin, & aduersus eum expeditione suscepta Constantius parum feliciter pugnat. Constantinianæ Thermæ Coss. Amantio & Albino iuxta Apostolorum ædem CP. ædificari cœperunt die 17. Aprilis. Gallus eiúsque frater Iulianus Clerici facti.

Anno Christi CCCXLVI. Coss. Constantino & Constante Augg. qui quòd non Kalendis Ianuariis, sed mediante anno Consulatum adiissent, reperitur hic annus inscriptus. Post Consulatum Amantij & Albini, Solis Eclipsis facta est die Iunij siue Dæsij sexta, feria quinta, de qua ad annum Constantij 10. S. Hieronymus, qui addit Eusebium Emesenum Arianæ signiferum factionis multa & varia conscripsisse. S. Athanasius ad Constantem Augustum Româ venit Mediolanum, vbi Protasius tunc erat Episcopus. Celebratum in ea Concilium fuisse, de quo iratis animis recesserint Episcopi Orientales, quòd hæreticam Arij sententiam damnare voluissent, narrat Liberius Papa in epistola post octo annos data ad Constantium Imperatorem. *Agrippinense seu Colonienſe Concilium quarto Idus Maias aduersus Euphratam eiusdem vrbis Episcopum, qui Christi diuinitatem negabat, celebratum dicitur, præsentibus Episcopis Maximino Treuerorum, Valentino Arelatensi, Donatiano Cabillonensi, Seuerino Senonensi, Optatiano Tricassium, Jesse Nemetum, Victore Vangionum, Valeriano Antisiodorensium, Simplicio Augustodunensium, Amando Argentinensium, Iustiniano Rauricorum, Eulogio Ambianorum, Seruatio Tungrorum, Dyscolio Remorum, quorum sententiæ referuntur, cum epistolâ Diopeti Episcopi Aurelianorum, consensu & mandato Martini Moguntiacensium, Victoris Mediomatricorum, Desiderij Lingonum, Pancharij Vesontiensium, Sanctini ab Archiclauo seu Virdunensium, Victorini Parisiorum, Superioris Neruiorum, Mercurij Sueßionum, Eusebij Rotomagensium, quos eamobrem hoc loco visum est nominatim recensere, quòd plurimi eorum vix aliunde noti sint etiam eruditissimis Antiquitatis indagatoribus, & suspecta sint meritò quibusdam Acta illius Synodi, cuius dumtaxat meminit Lupus in vita S. Maximini anno 839. literis consignata.*

Anno Christi CCCXLVII. Sardicæ Illyrici vrbe in con-

finio Thraciæ ac Mœsiæ celebratum est Concilium à 370. Episcopis, *quorum* 34. *ex solâ Galliâ fuisse memorantur, & in iis Maximinus Treuirorum, Euphratas Agrippinensium, (quem cum Vincentio Capuano missum à Synodo ad Constantium legatum affirmat Theodoretus libro* 2. *cap.* 8.) *Dyscolius Remorum, Seruatius Tungrorum, Eulogius Ambianorum, Victorinus Parisiorum, Simplicius Augustodunensium, Superior Neruiorum, &c.* In eo coram Hosio Cordubensi Præsule, Archidamo, & Philoxeno Legatis Papæ, S. Athanasius absolutus est à Patribus, sanciti aliquot canones, & damnati Ariani, qui paullò post Philippis in Thracia coitione facta statuerunt numero 76 Orientales Episcopi Consubstantialis vocem à nullo deinceps vsurpandam; vnde factum est vt pseudo-Sardicense hoc Concilium ab Augustino aliísque diceretur Arianum. ἐνδέχεται δὲ τοῦτο ἔτος ἐπὶ μὲν τῆς Κωνσταντίνου τελευτῆς Ρουφίνου καὶ Εὐσεβίου ὑπατευόντων, inquit Sozomenus lib. 3. cap. 11. Berytus in Phœnicia terræ motu quassata maximam partem periisse dicitur.

Anno Christi CCCXLVIII. ab Vrbe condita post mille annos centesimo exeunte, quem nullis sollennibus frequentatum queritur Aurelius Victor, Coss. Philippo & Salia siue Sallea, natus est Aurelius Prudentius Poëta, vt ipse scribit præfatione in Cathemerinon: Irrepsit subito canities mihi, oblitum veteris me Saliæ arguens, sub quo prima dies mihi. Concilium Carthaginense I. vulgò dictum ex diuersis Prouinciis Africanis celebratum est, cui præfuit Gratus Carthaginensis Episcopus. Acta & Canones eius 14. extant in Tomis Conciliorum. Circumcelliones, impellente vtroque Donato, Carthaginensi scilicet & Bagaiensi Pseudoepiscopis, grassantur in Catholicos, multísque in locis ab immissis militibus occiduntur. Bellum Persicum nocturnum apud Singaram, in quo militum stoliditate victoria Romanis periit; neque vllum, ait Hieronymus, Constantio ex nouem grauissimis prœliis contra Persas grauius fuit, quo & Nisibis obsessa, & Bizabdæ, atque Amida captæ. SS. Athanasius & Paulus sua solia C P. hic, ille Alexandrinum recuperarunt, tum Iulij Papæ Romani auctoritate freti, tum minacibus literis à Constante ad fratrem datis. Maximus post Macarium Hierosolymitanus Ep. moritur: post quem Ecclesiam Ariani inuadunt, id est Cyrillus, Eutychius, rursum Cyrillus, Hirenius, tertiò

Cyrillus, Hilarius, quartò Cyrillus, &c. quæ ex Chronico Hieronymi repetes.

Anno Christi CCCXLIX. Olymp. CCLXXXII. primo, Constantius benignè exceptum Antiochiæ S. Athanasium cum honore Alexandriam remisit, omnibus contra ipsum actis abolitis. Eidem quoque tempore coactam puto Hierosolymis Synodum, quæ eidem fauerit. *Sunt qui Agrippinense Concilium aduersus Euphratam in hunc annum differri velint, postquam ex Oriente in Gallias reuersus impium aduersus Christi diuinitatem dogma docuisset.*

Anno Christi CCCL. *Constans Augustus in castro Helenæ, haud longè ab Hispaniis, à Gaisone Franco anno ætatis* 30. *interfectus est. Purpuram sumpsere Magnentius natione itidem Francus apud Augustodunum leuatus die* 18. *Januarij*; Vetranio Magister militum apud Mursiam, aut Sirmium, Kalendis Martij; Nepotianus verò Eutropia Constantini Magni sorore natus die 3. Iunij Romæ. Verum hoc à Magnentij ducibus paullò post occiso die 28. eiúsque capite pilo per vrbem circumlato, multísque factis cædibus & proscriptionibus nobilium, vt scribit S. Hieronymus, Vetranio intra decimum à rebellione mensem die 25. Decembris in ordinem redactus, detractis ipsi à Constantio apud Naissum Regiis insignibus, & in exilium Prusiadem Bithyniæ missus. Vrsacius & Valens Arianorum principes Romam profecti Iulio Papæ supplices pœnitentiæ libellos obtulisse dicuntur. *Missi à Magnentio in Orientem Maximinus Treuerorum & Seruatius Tungrorum Episcopi à S. Athanasio Alexandriæ perhumaniter excipiuntur*: vnde noua in Athanasium conflata calumnia.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCLI. Constantius Imperator Gallum patruelem suum Cæsarem facit Idibus Martiis, eúmque indito prius Constantij nomine, & data in vxorem sorore Constantia, quæ antea Anniballiano nupserat, Antiochiam aduersus ingruentes Persas amandauit. Magnentius apud Mursam in Pannoniâ cum Decentio fratre, *cui Gallias regendas permiserat, quasque aduersus Chonodomarium Alamannorum Regem malè defenderat*, à Constantio vincitur, quo in prælio Romanæ vires conciderunt. Socrates & Sozomenus in tanto tumultu, rerúmque omnium perturbatione, Sirmij hoc

anno

anno habitam putant Synodum, in qua agente potissimum Basilio Ancyrano Episcopo Photinus damnatus sit, & edita fidei confessio, quæ probata est à S. Hilario atque Vigilio. Verùm versantur in doctorum manibus eruditissimæ super ea re nostrorum Sirmondi atque Petauij τῶν μακαρίτων Dissertationes aliquot (pleræque typis nondum editæ) quorum hic Baronianam de Sirmitano Concilio in annum 357. differendo sententiam omnibus viribus oppugnauit, ille propugnare conatus est Vtri verò palma adiudicanda sit, aliorum malim potius esse iudicium quàm meum. S. Paulus ejectus è sede C P. in exilium Cucuzi strangulatus est ab Arianis. S. Martinus anno ætatis 35. baptizatus est, cùm Constantius omnes milites fieri Christianos iussisset exauctoratis, qui detrectarent, omnibus, & in paganorum sortem ordinémque redactis. Chronicum Alex. Iudæi ad fidem conuersi Historiam refert, & obsidionis Nisibenæ solutionem, de qua plura ex Volagesi Nisibeni Ep. epistolâ.

Anno Christi CCCLII. S. Iulius I. Romanus Pontifex obiit die 12. Aprilis, cùm præfuisset annis 15. mens. 4. diebus 17. & paullò ante mortem Synodum Romæ coëgisset, in quâ hæresis Photini damnata est, vt ex epistolâ Liberij ad Orientales, & ex fragmentis S. Hilarij colligere licet. Liberius Papa creatus est die 8. Maij. *Magnentius tyrannus apud Longalium victus à Constantij exercitu, ad Ticinum postea in Galliâ Cisalpinâ victor euadit.* Gallus Antiochiæ nonnullos nobilium necat, Iudæósque, qui interfectis per noctem militibus, arma ad rebellandum duce quodam Patricio inuaserant, oppressit pluribus cæsis hominum millibus vsque ad innoxiam ætatem, eorúmque ciuitatibus Diocæsareâ, Tiberiade, Diospoli, aliísque igni traditis. Crucis signum Hierosolymis & per Orientem apparuit vel 30. Ianuarij Luna 28. vt ait Idatius æra Hisp. 390. nondum inchoata, vel Nonis Maij per dies Pentecostes ad horam tertiam ex Cyrillo. Chron. Alex. idem apparuisse docet anno præcedente Constantio ad Mursam in Pannoniis cum Magnentianis depræliante.

Anno Christi CCCLIII. Olymp. CCLXXXIII. primo, *Magnentius apud Montem Seleucum in Vocontiis ab exercitu Constantij victus, rebúsque desperatis, Lugduni in palatio propria se manu interficit die* 11. *Augusti. Decentius vero frater eius, quem ad tuendas*

Gallias Cæſarem miſerat, apud Senonas laqueo vitam expleuit die 18. *eiuſdem menſis.* Gallus Cæſar Domitianum ex Comite Largitionum præfectum Orientis alióſque interficit. *Conſtantius Arelate in Galliis Circenſes ambitioſo apparatu edidit die* 10. *Octobris, qui Tricennalibus eius initium dabat, non finem, ex quo ſcilicet teſte Idatio leuatus eſt Cæſar anno* 324. *Ibidémque coacta eſt Epiſcoporum Synodus, in quâ poſt damnationem S. Athanaſij, factione præſertim Saturnini Arelatenſis Epiſcopi, S. Paulinus Treuirorum Antiſtes, Rhodanius Toloſanus, aliíque in exilium pulſi ſunt.* Gennadius Forenſis Orator, & *Mineruius Burdegalenſis Rhetor, quem vt ſuum præceptorem celebrat Auſonius*, Romæ inſignes habebantur.

Anno Chriſti CCCLIV. Gallus Cæſar iuſſu Conſtantij, cui in ſuſpicionem ob egregiam indolem venerat, callidè Antiochia accerſitus in Flanonâ Iſtriæ inſula (Iſſum alij habent) occiſus eſt, cùm antea Conſtantina eius vxor, quam Megæram mortalem vocat Ammianus, fratris accitu ex Oriente veniens repentina vi febrium in Bithynia periiſſet. Iulianus Galli frater opera Euſebiæ Auguſtæ eductus è cuſtodia Mediolano Athenas proficiſcitur, Græciámque peragrans fatidicos conſulit. SS. Baſilius & Gregorius Cappadoces vnà tum Athenis operam literis dabant, & in Iuliano ſigna perditæ mentis agnouerunt. *Siluanus Magiſter peditum in Galliis apud Coloniam Agrippinam res nouas molitus* 28. *rebellionis die militari tumultu extinctus eſt.* Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus Præceptor S. Hieronymi Romæ inſignes habentur, è quibus Victorinus etiam ſtatuam in foro Traiani meruit. Naſcitur Tagaſte in Numidia S. Auguſtinus Idibus Nouembris, patre Patricio, matre Monica ſanctiſſima fæmina. S. Athanaſius ſcribit Apologiam pro fuga ſua, & Liberius Papa ad Conſtantium Imp. qui cum Gundomado & Vadomario Alemannorum Regibus fœdus pepigit, vt pluribus narrat Ammianus: *Conſtantius conſulatu ſuo ſepties & Cæſaris iterum* (hoc eſt ſub finem anni præcedentis) *egreſſus Arelate Valentiam petit in Gundomadum & Vadomarium fratres Alamannorum Reges arma moturus, quorum crebris excurſibus vaſtabantur confines limitibus terræ Gallorum, &c.* Libellus de Præfectis Vrbis in hunc annum definit, à quo incipere dicitur Computus Paſchæ antiquiſſimus vſque ad an. 610. de quo Onufrius & Caluiſius.

Anno Chriſti CCCLV. Arbetione & Lolliano Coſſ. Me-

diolani Constantius cum suis Arianis Concilium celebrat, vnde sequuta exilia eorum, qui subscribere noluerunt damnationi S. Athanasij, atque imprimis Dionysij Mediolanensis, Eusebij Vercellensis, Luciferi Calaritani, Pancratij Romani Presbyteri & Hilarij diaconi, ipsiusque etiam Liberij Papæ, qui Roma Mediolanum accitus Berœam relegatus est. Hoc in exilium ob fidem truso omnes Clerici iurauerunt, vt nullum alium susciperent. Verùm cùm Felix ab Arianis fuisset in Sacerdotium substitutus, plurimi, inquit S. Hieronymus, peierauerunt, & post annum cum Felice ejecti sunt, cùm Liberius Romam rediit. *Siluanus aduersus Germanos in Gallis re bene gesta apud Constantium de inuadendo imperio falsò insimulatus, purpuram sumit missoque aduersus eum Vrsicino duce, à militibus perimitur.* Iulianus Cæsar die 6. Nouembris creatus à Constantio, ductáque in vxorem Helenâ ipsius Imperatoris sorore, *cùm iam Franci Coloniam Agrippinam cepissent, in Gallias missus est. Alcimus & Delphidius Rhetores in Aquitaniâ florentissimè docent. Huius abundantiam, illius fortitudinem commendat Sidonius Apollinaris.* Donatus Carthagine pellitur. Quidam sectatores eius etiam Montenses vocabant, eò quod ecclesiam Romæ primùm in Monte habere cæpissent.

Anno Christi CCCLVI. S. Antonius Anachoretarum in Ægypto pater annos natus 105. obiit die 17. Ianuarij, relictis insignibus discipulis Sarmatâ, Amathâ atque Macario, aliisque. Syrianus Dux cum exercitu ab Imp. missus ad expellendum Alexandria S. Athanasium crudeliter sæuiit in Catholicos die 15. Mechir siue 9. Februarij, eique subrogandum curat Georgium. Elapsus Athanasius in eremo delituit. Reliquiæ S. Timothei discipuli B. Pauli inuectæ sunt CP. mense Panemo die 4. Iulij vel, vt Idatius, Kalendis Iunij, & in æde SS. Apostolorum sub ipso altari repositæ. *S. Hilarius Ep. Pictauiensis in Biterrensi Synodo factione Saturnini Arelatensis, reliquorúmque, qui cum eo erant, Arianorum in Phrygiam pulsus* (ante triennium, ait S. Hieronymus, cui refragantur, qui quadriennium tantùm eius exilio præscribunt cum Martyrologiis) *libros de nostra religione componit.* Eudoxius post Leontium Antiochenam sedem occupat. Turbæ iterum Alexandriæ excitatæ ob introductum per vim à Syriano duce Georgium. Constantius Imperator Romam ingressus die 28. Aprilis pro-

mittit se reuocaturum ab exilio Liberium Papam, tum pergit in Illyricum die 29. sequentis mensis, ducto secum Hosio Cordubensi, vt eius animum ad subscribendum damnationi S. Athanasij tandem inflecteret: *Iulianus Cæsar Kal. Decembris anni superioris deducente Constantio progressus Mediolano per Taurinos Viennam venit, transactáque ibi hieme die 24. Iunij Augustodunum petiit, dein Antisiodorum, Tricasses, Remos. Vnde collectis copiis Brotomagum occupauit, Germanos vicit, & Agrippinam Coloniam recuperauit. Cùm per illos tractus nec ciuitas vlla viseretur, nec castellum, nisi quòd apud Confluentes Rigodulum oppidum erat, & vna prope ipsam Coloniam turris. Nec ex ea vrbe ante motus est, quàm Francorum Regibus furore mitescente perterritis pacem firmaret reip. profuturam. Quibus vincendi primitiis actus per Treuiros hyematurus apud Senonas abscessit, vbi & ab hostibus per dies 20. obsessus fuit, sed frustra. Hoc eodem anno contigisse videntur, quæ Seuerus, Gregorius, aliique memorant de S. Martino missionem à Iuliano postulante, & impetrante pace iam cum Francis stabilitâ.* Constantiam vrbem ad Rhenum ex Acronio seu Brigantino lacu emergentem fuisse hoc anno constructam volunt, & à Constantio Imp. nomen accepisse.

Anno Christi CCCLVII. Olymp. CCLXXXIV. primo, Baronius, Sirmundus, aliique plures consignant Sirmiensem Synodum, ad tollendum ex Episcopatu Photinum: Qui ante biennium in Mediolanensi Synodo fuerat hæreticus damnatus, ne tum quidem potuit per factionem populi amoueri. De Formulis fidei per ea tempora conditis, eáque maximè, quæ ab Vrsatio & Valente Arianorum Coryphæis concepta, à S. Hilario Hosij ac Potantij blasphemia dicta est, magna lis inter eruditos, quam non persequor, contentus monuisse Lectores. Liberius Papa ab Arianis territus, & exilij tædio victus Athanasij damnationi subscribit. *Synodus incerti loci in Gallia, in quâ infidelis fidei impietas ex Sirmiensi oppido missa damnata est. Atque hinc forte prodiit liber Phœbadij Aginnensis Episcopi.* SS. Andreæ Apostoli & Lucæ Euangelistæ ossa à CP. miro fauore susceptа die 5. Nonas Martias, seu tertio Distri mensis, & deposita in æde SS. Apostolorum. *Julianus Remos adit, Alamannos, qui Lugdunum ceperant, pellit, tres Tabernas reparat haud ita dudum obstinatione subuersas hostili, eosdem apud Argentoratum cruento prælio superat, vnúmque ex eorum Regibus Chonodomarium vinctum ad Constantium Romam mittit. Dein præda cum captiuis Mediomatricos duci*

iussa Maguntiacum venit, vt ponte compacto transgressus in suis requireret barbaros. Seuerus quoque Magister Equitum Iuliani Remos per Agrippinam & Juliacum petens Francorum validissimos cuneos in excentis velitibus vacua præsidiis loca vastantes offendit, qui metu iam reuersi ab Alamannorum victoria exercitus, duobus munimentis se tuebantur. Iulianus retento milite circumuallare aggressus Castellum Menapiorum, oppidum, quod Mosa fluuius præterlambit, tractis adusque 54. diem Decembri & Ianuario mense obsidionalibus moris ad deditionem compulit, & acturus hiemem Lutetiam Parisiorum venit, quam dilectam sibi in Misopogone appellat. Constantius cum Eusebia Augusta Romam ingressus 28. Aprilis, edidit Tricennalia seu XXXV. vt habet Idatius, ibíque dies 14. moratus Mediolanum accessit, vt ex rescriptis apparet ibidem datis aduersus Magos & Ariolos, de Gladiatoribus abrogandis, de immunitate Clericorum, & priuilegiis Ecclesiæ Romanæ, &c. Saraceni in monasterium beati Antonij irruentes Sarmatam vnum ex eius discipulis interficiunt.

Anno Christi CCCLVIII. Legati Persarum CP. veniunt die 23. Februarij. Nicomedia terræ motu funditus euersa est die 24. Augusti, vicinis vrbibus ex parte vexatis. S Paulinus Treuerorum Episcopus exulans in Phrygia moritur. Euanthius eruditissimus Grammaticorum CP. diem obiit, in cuius locum ex Africâ Chrestus assumptus est. Constantius Imperator post vernum æquinoctium Quados Sarmatásque populatus est. Ancyrana Synodus præside Basilio illius vrbis Episcopo Sirmiensem Hosij, Valentis, aliorúmque formulam damnauit, decreuítque contra Anomæos Filium substantia Patri similem esse. Tum apud Imperatorem egit vt Synodi duæ generales in seq. annum indicerentur, altera Seleuciæ in Isauria, ad quam Orientales; altera Arimini, ad quam Occidentales conuenirent. *S. Hilarius Pictauiensis Episcopus ex Phrygia ad Episcopos Gallicanos librum suum, de Synodis mittit hoc exordio:* Dominis & beatissimis fratribus & Coepiscopis prouinciæ Germaniæ primæ, & Germaniæ secundæ, & primæ Belgicæ, & Belgicæ secundæ, & Lugdunensis primæ. *vnde patet ante hæc tempora factam iam fuisse Prouinciarum Galliæ, siue à Constantino Magno, siue ab Hadriano partitionem. Iulianus Cæsar Francos, quos consuetudo Salios appellauit, primos omnium petit, atque olim in Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula figere. Cúmque Tungros*

veniſſet, legatis ea lege pacem prætendentibus, vt quieſcentes tanquam in ſuis non laceſſerentur, vniuerſam illam gentem in deditionem accepit, Chamauos quoque partim cecidit, partim pepulit, ac tria munimenta ſuperciliis Moſæ rectâ ſerie impoſita pro tempore reparauit.

Anno Chriſti CCCLIX. Gratianus Valentiniani filius naſcitur vel 18. Aprilis vel 23. Maij. *Honoratus ex Præfecto prætorio Galliarum*, primus CP. Præfectus Vrbi factus, proceſſit primum die 11. Decembris ex Idatio, qui lucem afferet Chronici Alexandrini Latinæ interpretationi. *S. Hilarius cùm Seleuciæ Epiſcopos Arianos refutaſſet, & apud CP. librum pro ſe Conſtantio Imp. porrexiſſet, quaſi diſcordiæ ſeminarium & perturbator Orientis, verba ſunt Seueri, redire ad Gallias iuſſus eſt abſque exilij indulgentia: ad quem Pictauos venit S. Martinus relicta Gallinaria inſula, extructóque haud procul vrbe Locociagenſi cœnobio cœtum Monachorum illic locauit.* Perſæ Amidam in Meſopotamia expugnant. Conſtantius Limigantes Sarmatas vincit. *Iulianus Cæſar occupatis reparatíſque ſeptem ciuitatibus, Caſtris Herculis, Quadriburgo, Triceſimis, Noueſio, Bonnâ, Antennaco, & Bingio Alamannos ad pacem petendam adigit.* In Synodo habita Seleuciæ in Iſauria die 27. Septembris poſt multas hinc inde turbas contra Acacium, eiúſque fautores, comprobata eſt ea Fidei formula, quæ an. 341. in Baſilicæ Antiochenæ Encæniis concepta fuerat. Ariminum verò in Italia amplius 400 Epiſcopi conuenere, è quibus 80. tantùm erant Ariani. Verùm Catholici ferè omnes tædio longioris moræ, aliíſque grauioribus incommodis à Tauro præfecto iuſſu Imperatoris illatis vexati, ſubdolæ fidei ſubſcripſiſſe dicuntur, obnitentibus pro virili, Phœbadio Aginnenſi, Seruatio Tungrenſi, aliíſque Galliarum Epiſcopis. Eſto per auxeſim de poſtrema hac dixerit Hieronymus. In qua antiqua Patrum fides decem primùm Legatorum, dehinc omnium proditione damnatur. Et mox vniuerſim: Omnes penè toto orbe Eccleſiæ ſub nomine pacis & Regis Arianorum conſortio polluuntur. Vide præ cæteris Seuerum Sulpitium libro 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Anno Chriſti CCCLX. Conſulatu Conſtantij decies, térque Iuliani, Scotorum Pictorúmque gentium ferarum excurſu ruptâ in Britanniis quiete, *Iulianus apud Pariſios hiemem agens*, Lupicinum Caſtrenſis rei peritum cum Herulis, & Batauis, numeríſque Mœſicorum pluribus eò mittit. *Cúmque eius*

gloriæ inuidens Constantius à Galliis milites abstrahere conaretur, & in Orientem euocare, ab iisdem ipsis adulta iam hieme in eadem Parisiensi vrbe horrendis clamoribus Augustus & Imperator salutatus impositus est scuto pedestri, & sublatiùs eminens, cùm diadema deesset, Mauri draconarij torque coronatus. Inde in limitem Germaniæ secundæ egressus Obtricensi Mosæ oppido appropinquauit, Rhenóque transmisso regionem Francorum Attuariorum subitò peruasit, cæsísque plurimis pacem aliis dedit. Cum pari celeritate reuersus per flumen, præsidiáque limitis explorans, & corrigens, ad vsque Rauracos venit, ac per Vesontionem Viennam hiematurus abscessit vbi Helena eius vxor obiit, cuius corpus Romam misit in suburbano Viæ Nomentanæ condendum, vbi soror eius Constantina Galli vxor sepulta erat. Constantius missos à Iuliano Legatos superbè accepit. *Nebridium in locum Florentij Præfecti Prætorio Galliarum qui fugerat, submittit virum ignauum, quo amoto Germanianum substituit Iulianus,* & aduersus Saporem Regem Persarum qui Mesopotamiam fuerat aggressus, infeliciter pugnat. Dominicum siue Maxima Ecclesiarum C P. dedicatur 15. Februarij siue Peritij mensis. Macedonius, substituto in eius locum Antiocheno Eudoxio, solio C P. pellitur die 27. Ianuarij siue Audynæi Indictione tertia labente, si quid credimus Chr. Alex. quod de Encæniis & de donis Ecclesiæ à Constantio factis multa habet. Meletius verò Sebastiæ Armeniorum Episcopus ab Acacio & Georgio Episcopis Arianis Antiochiam transfertur. *Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolos damnat.* Sexti Aurelij Victoris Vitæ hoc anno desinunt, quo Solis defectio contigit die 28. Augusti, de qua verba Ammiani lib. 20 alibi descripsimus. Rabbi Hillel Iudaïci Calendarij auctor circa hæc tempora floruisse perhibetur.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCLXI. Olympiadis CCLXXXV. primo, *Iulianus Augustus illicitarum artium studium amplexus, sed ad tempus Christianismum dolosè simulans, Viennæ in Ecclesiam Christianorum solemniter processit sacro Epiphaniorum die,* tum superatis Alpibus Romam venit, & aduersus Constantium aperto marte pugnaturus copias colligit. Constantius Eusebia vxore mortua Faustinam duxit, ex qua nata est Constantia postuma, quam Gratianus Imperator postea duxit. Idem re non satis feliciter contra Persas gesta ex Oriente ad-

uersus Iulianum mouens exercitum, Mopsucrenis inter Ciliciam, & Cappadociam haud procul Tarso in itinere moritur die 3 Nouembris, anno ætatis vel 40. & diebus paucis, vel 44. aut 45. cùm imperasset annos 24. menses 5. & dies 13. Chron. Alex docet baptizatum fuisse ab Euzoio Antiocheno Episcopo die tertia mensis Dij, anno Antiocheno 410. Ind. 8. ne quinta. IVLIANVS audita in Mœsia Constantij morte, Constantinopolim ingressus est die 11. Apellæi mensis, qui Decembri nostro respondet, Sallustium Prætorio præficit, Gentilium fana reserat, Christianis, vt in sua quisque secta securè viuat, permittit, Episcopos exules reuocat, in amicos Constantij sæuit, tum eiurata religione Christiana in Pontificem Maximum profanis ritibus consecratur. S. Athanasius in secessu quatuor orationes scribebat pro defensione Catholicæ fidei aduersus Arianos.

Iulianus Apostata.

Anno Christi CCCLXII. Iuliano, inquit Hieronymus, ad idolorum cultum conuerso, blanda persecutio fuit illiciens magis, quàm impellens ad sacrificandum, in qua multi ex Christianis voluntate propria corruerunt. Quam in rem vide pluribus Chr. Alex. Georgio, qui in locum S. Athanasij ab Arianis fuerat ordinatus per seditionem populi siue gentilium incenso, Athanasius Alexandriam reuersus Synodum ibidem habuit præsente S. Eusebio Vercellensi, in qua decretum, vt lapsi Episcopicum dignitate in Ecclesiam reciperentur. SS. Basilius & Gregorius Nazianzenus in solitudinem ad ripas Iris fluuij se abdunt. Iuliani Imp. permissu, qui hoc anno Antiochiæ aduersus illius ciues Misopogonem scripsit, Iudæi nec quicquam se ad reparandas Templi Hierosolymitani ruinas accingunt. Lucifer Calaritanus de exilio regressus, ascitis duobus aliis Confessoribus, Gorgonio de Germanicia & Cymatio de Gabalâ Paulinum Eustathij Episcopi presbyterum, qui se nunquam hæreticorum communione polluerat in parte Catholica Antiochiæ Episcopum facit. Quod cùm Eusebio Vercellensi ex Ægypto Antiochiam profecto, & aliis minùs placuisset, hinc nata semina Schismatis Luciferianorum, quos cum lapsis, & iis, qui eos admiserant, communicare noluisse certum est. S Artemius die 20 Septembris passus est iussu Iuliani, qui inter alia lege lata vetuit Christianos liberalium artium doctores esse. Proæresius Athenienſis sophista,

phista, quamuis sibi specialiter Imperator concessisset, vt Christianos doceret, Scholam sponte deseruit. Florebant tum doctrina insignes Themistius, Libanius, Oribasius, Maximus Cynicus, Ecebolius, Musonius, Titus Bostrenus, Marius Victorinus, & alij de quibus in II. Parte Bibliothecæ nostræ. Æmilianus ob ararum subuersionem Dorostori à Vicario incenditur die 18. Iulij de quo aliisque martyribus plura dabit Auctor Chronici Alexandrini. Multi quoque in Persida pro Christo passi. *Consilium Parisiense primum, in quo formula fidei ab Arianis suppresso τῆς οὐσίας nomine condita & Arimini susceptа, damnata est: ac Saturninus Arelatensis Episcopus ab Ecclesia eiectus, vt patet ex Synodica Ep. ad Orientales, quæ extat à V. C. Nicolao Fabro edita cum Fragmentis S. Hilarij, cuius vnius beneficio Gallias nostras piaculo hæresis fuisse liberatas docet Seuerus Sulpitius.*

Anno Christi CCCLXIII. Iulianus contra Persas Antiochia cum florentibus copiis profectus cœptam Ctesiphontis obsidionem deserere cogitur, tum à quodam simulato perfugâ ad deserta perductus, cum fame & siti apostatam perdidisset exercitum, & inconsultiùs à suorum erraret agminibus, ab obuio forte hostium equite conto ilia perfossus interiit, vel vt alij, accepta diuinitus plaga, impiam animam euomuit, exclamans, Vicisti Galilæe, anno ætatis 32. Imperij post obitum Constantij anno vno & mensibus octo ferè transactis. S. Hier. ait vouisse post victoriam Diis suis sanguinem Christianorum & grauissimam imminentis persecutionis procellam Dei voluntate sopitam fuisse. Sequenti die IOVIANVS Singidone in Pannonia natus ex Primicerio Domesticorum Imperator factus est ad menses dumtaxat octo: qui rerum necessitate compulsus inita pace cum Sapore in annos 30. Nisibin & magnam Mesopotamiæ partem Persis tradidit, idolorum templa claudi, & aboleri sacrificia iussit, ab Athanasio sacram Fidei regulam accepit, professoribus Christianis Scholas aperiendi docendique potestatem fecit, meritò dictus ab Idatio Christianissimus. Antiochiæ Synodus, in qua Acaciani Meletio se adiungunt, & Nicænam fidem amplectuntur, inquit Socrates, licet testis sit Hieronymus, Homousio, Anomæóque reiecto medium inter hæc Homæousion Macedonianum dogma vindicasse. Iouianus.

Anno Christi CCCLXIV. quem constat fuisse Bissextil-

lem, Iouianus Imperator, dum Antiochia relicta Constantinopolim redire pararet, Dadastanæ in confinio Galatiæ & Bithyniæ, cruditate siue odore prunarum, quas nimias adoleri iusserat, moritur anno ætatis 33. die 17. Februarij, cùm imperasset menses 7. & dies 22. VALENTINIANVS Tribunus Scutariorum è Pannoniâ Cibalensi oriundus, post nouem dies apud Nicæam in Bithynia à militibus Imperator renuntiatus est ipso Bissextili seu intercalario die inter Terminalia ac Regifugium infindi solito, qui nobis est 25. Februarij dies. Verùm eo tanquam infausto ac mali ominis declinato, postridie imperium suscepit, ac leuatus est Augustus V. Kal. Martias, vt habet Idatius, hoc est die 26. Februarij, feria quinta. vnde, vt in Chronico Technico monuimus, haud dubiis notis stabilitur Christiana Chronologia Baronio, Petauio, Bucherio, Scaligero, & Scaligerianis probata. Valentinianus VALENTEM fratrem suum Constantinopoli in miliario septimo in tribunali leuatum Augustum die 29. Martij in communionem regni assumpsit, sibíque retento Occidente, Orientem ipsi regendum commisit. Valentinianus, egregius aliàs Imperator, & Aureliano moribus similis dicitur à S. Hieronymo, nisi quòd seueritatem eius nimiam, & parcitatem quidam crudelitatem & auaritiam interpretarentur. Valens verò ab Arianis deceptus iis plurimùm fauit, eiectóque Antiochiâ Meletio Catholicos cum Euzoio hæretico communicare coëgit. Eutropij historia hîc desinit. Sex. Rufus Romanæ Historiæ Breuiarium Valentiniano inscripsit, & diuisionem Galliarum in plures prouincias celebrat his verbis: *Sunt Galliæ cum Aquitania & Britanniis decem & octo Prouinciæ: Alpes Maritimæ, Prouincia quæ & Massilienſis dicitur, Arelatensis, Viennensis, Narbonensis, Nouempopulonia, Aquitaniæ duæ, Cottiæ Alpes, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ: in Britanniâ Maxima Cæsarienſis, Britannia 1. Britannia 2.*

Valentinianus.

Valens.

Anno Christi CCCLXV. Olymp. CCLXXXVI. primo, Apollinaris Laodicenus Episcopus multimoda nostræ religionis scripta componit. Terræ motu, per totum orbem facto mare littus egreditur die 19. Iulij, & Siciliæ multarúmque insularum vrbes innumerabiles populos oppressere. Chronicon Alex. diem assignat 12. Kal. Septembres, Panemi siue Augusti mensis 21. Procopius, genere Cilix, Iuliani Apo-

ſtatæ propinquus apud Conſtantinopolim tyrannidem inuadit die 28. Septembris teſte Idatio, qui eum in Faſtis nocturnum latronem, prædonem, hoſtémque publicum appellat. Tres hoc anno Synodi: Conſtantinopolitana ab Acacio, Eudoxio, aliíſque Anomæis: Lampſacena Semiarianorum ſeu Macedonianorum, qua Ariminenſi formula damnata Antiochenam reſtituerunt, negata ſancti Spiritus diuinitate: & Tyanenſis, in qua Euſtathius Sebaſtenus Epiſcopus reſtitutus. *Germaniano in Præfectura Prætorij Galliarum ſucceſſit Viuentius ſiue Iuuentius, & huic iterùm eo munere ornatus Florentius.*

Anno Chriſti CCCLXVI. Procopius intra Phrygiam ſalutarem, & in Nacolienſium campis, ab Auguſto Valente oppreſſus atque extinctus eſt die Maij 27. vel vt alij die Iunij 21. tum plurimi Procopianæ partis cæſi atque proſcripti. Chalcedonis muri diruti, ſed mox reſtaurati. Marcellus quoque alter poſt Procopium tyrannus de medio ſublatus eſt. Valens pugnaturus aduerſus Gothos prius baptizari voluit ab Eudoxio Arianorum CP. Epiſcopo, & Catholicos perſequi cœpit. Nicomedienſe Conciliabulum Eudoxianorum ſeu rigidorum Arianorum aduerſus Semiarianos. Eudoxius pulſo Eleuſio Eunomium Cyzico præficit Epiſcopum. SS. Baſilius & Gregorius Nazianzenus è ſolitudine Ponticâ euocantur, vt Arianis obſiſtant. Valentinianus iunior naſcitur ex Iuſtinâ Auguſtâ die 18. Ianuarij. *Alamannus cuneatim licentiùs per Gallias vagantibus occurrit Carietto per vtrámque Germaniam Comes cum Seueriano itidem Comite qui apud Calidona Diuitenſibus & Tungritanis præſidebat. Commiſſo mox prælio Seuerianus equo deturbatur miſſili telo per os fixus: ipſe Carietto occumbit lethali telo confoſſus. Iouinus Magiſter Equitum aduerſus eos de victoria exultantes miſſus prope Scarponam pugnat, & vincit: exinde prope Catalaunos Germanorum quatuor millibus ſauciis ſex altera interfecit millia. Progreſſus inde didicit Regem hoſtilium agminum ab iis, quos ipſe per aliud iter miſerat, ad diripienda tentoria Alemannica cum paucis captum & patibulo ſuffixum. Pariſios reducem lætus excipit Valentinianus, & in annum ſequentem Conſulem deſignauit.*

Anno Chriſti CCCLXVII. Valens rurſus in Gothos duxit exercitum, & æſtate iam elapſa Marcianopolim rediit. Tanta CP. eſt orta tempeſtas, vt miræ magnitudinis decidens grando in modum petrarum nonnullos hominum in-

terfecerit die 4. Iulij. In ea vrbe Valens Anaſtaſianas & Caroſinas thermas conſtruxit, ſic dictas de nomine filiarum eius Anaſtaſiæ & Caroſis, quas Marcianus Nouatianus Preſbyter inſtituebat. *Gratianus in Galliis apud Ambianos à patre Valentiniano die 24. Auguſti in tribunali leuatus eſt Auguſtus. Apud Atrabatas lana pluuiæ mixta cœlo deſcendit, inquit Hieronymus, quæ incolis modò Manna dicitur. Franci, Saxonéſque iiſdem confines, terra marique prædis, incendiis & captiuorum funeribus Gallicanos tractus violant,* dum Picti in duas gentes diuiſi Dicalidonas & Vecturiones, itidémque Attacotti & Scoti per diuerſa vagantes Britannias populabantur. *Raudo Alemannus Regalis Maguntiacum Rheno tranſito irrepſit: & quoniam Chriſtiani tunc ritus inuenit celebrari feſtiuitatem multos ex vtroque ſexu indefenſos abduxit. Paratâ exinde in Alamannos expeditione, Valentinianus cum filio Rhenum tranſgreſſus, cum iis conflixit, Treueróſque reuerſus dedit operam, vt aduerſus barbarorum irruptiones Rhenum omnem à Rhætiarum exordio adusque Oceanum magnis molibus communiret, caſtra extollens altiùs, & turres aſſiduas per oportunos locos nonnunquam etiam vltra flumen ædificiis poſitis ſubradens barbaros fines.* Liberius Papa obiit die 9. Septembris, cùm ſediſſet annis 15. menſibus 4. & duobus diebus: fœdum Schiſma coaluit inter S. Damaſum, natione Hiſpanum, creatum die 15. eiuſdem menſis, & Vrſicinum, ſiue Vrſinum, qui poſt aliquod temporis interuallum à quibuſdam Epiſcopis conſtitutus, Sicinij baſilicam cum ſuis inuaſit, quò Damaſianæ partis populo confluente crudeliſſimæ interfectiones diuerſi ſexus perpetratæ ſunt. Ammianus refert Viuentium fuiſſe tum Vrbis Præfectum & vno die in dicta baſilica 137. cadauera fuiſſe reperta.

Anno Chriſti CCCLXVIII. Perſarum Rex longæuus ille Sapor Armeniam ſubigit, & in Romanos arma mouet, dum Gothos aggreditur Valens, & Valentinianus eius frater Alamannos reprimit, *ac Rheni ripas munimentis firmat, vt anno ſuperiore præmiſimus.* Nicæa quæ ſæpe ante corruerat, terræ motu funditus euerſa die 11. Octobris. Libanius Antiochenus Rhetor inſignis habetur. *S. Hilarius Pictauienſis Epiſcopus moritur die 13. Ianuarij cùm paullò ante Valentinianum Imp. aduerſus Auxentium Arianum Mediolani Epiſcopum nullo operæ precio conueniſſet.* Parmenianus Donato ſuccedit Donatiſtarum Antiſtes, cuius ſcripta refutauit pleniſsimè Optatus Mileuitanus.

Anno Christi CCCLXIX. Olymp. CCLXXXVII primo, Agon à Valente post annos 17. restitutus est C P. vbi cisternæ magnificum opus à Domitio Modesto iterùm Vrbis Præfecto completum est, quod in prima inchoauerat Præfectura. S. Basilius Cæsareæ Cappadociæ post Eusebij mortem eligitur Episcopus die 14. Iunij. Rhodanus iudex seuerè à Valentiniano punitur. Athanaricus Gothorum Rex commota in Christianos persecutione plurimos interfecit, & de propriis sedibus in Romanum solum expulit. Huic pacem postulanti tribuit Valens. S. Damasus in Synodo Romana Episcoporum 90. Auxentium damnat, & Ariminensem reiicit perfidiam. *S. Ambrosius patre Præfecto Prætorij Galliarum natus*, Consularibus insignibus præditus, Insubriæ, Liguriæ, atque Æmiliæ regendis præficitur ab Anicio Probo Præfecto Prætorij viro per ea tempora celeberrimo. Thalmud Hierosolymitanum à Iohannane absolutum ferunt hoc ferè tempore.

Anno Christi CCCLXX. Augustis tertium Consulatum gerentibus, Martyrium Apostolorum, hoc est Ecclesia, vbi beati Apostoli positi sunt, C P. dedicatur nono Aprilis. Moritur Eudoxius Arianorum C P. Episcopus per annos 19. Euagrius in eius locum substituitur ab Eustathio Antiocheno Episcopo, Demophilus verò ab Arianis. Valens sæuit in multos præsertim Catholicos, Athanasium vexat, Basilium Cæsareæ frustra tentat, dictos Eustathium atque Euagrium, Gregorium Nyssenum, aliósque sedibus suis pellit. Magna fames in Phrygiâ postquam 80. Ecclesiastici ordinis viri à Modesto Præfecto iussu Valentis in nauem impositi, & in medio mari concremati fuissent. Galates Valentis filius obiit. Moriuntur quoque hoc anno teste S. Hier. Eusebius Vercellensis, & Lucifer Calaritanus, qui cum Gregorio Episcopo Hispaniarum, & Philone Libyæ nunquam se Arianæ miscuit prauitati. *Nannenus Comes Saxonum multitudini Romanum limitem deuastanti impar Seuerum peditum Magistrum aduocat, qui barbaros pactis inducijs ad propria discedere permisit: mox ex insidijs incautos aggressus ita deleuit, vt vix vnus lares genitales reuiseret, inquit Ammianus Marcellinus*, qui de Burgundis multa narrat bellicosa gente ac turbæ immensæ viribus affluenti, quos Valentinianus è sedibus suis excitos, Alemannis, cum quibus sæpe salinarum finiúmque causa iurgabant, obiecit. *Cum itaque Burgundij vsi-*

que ad ripas Rheni progressi fuissent, Alemannos metu dispersos aggressus per Rhætias Theodosius Equitum magister, pluribus cæsis, quo cumque cepit ad Italiam iussu Imperatoris misit, vt circa Padum colendis fertilibus agris vacarent, & tributa Romanis pensitarent. Ipse Imperator Rheno per pontem nauibus vinctum transmisso, ad vsque quinquagesimum lapidem terris hostilibus inflammatis, cùm spe capiendi Macriani Regis excidisset, Treuiros rediit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCLXXI. S. Athanasium die 2. Maij hoc anno mortuum plerique volunt, eíque suffectum Petrum, quem in vincula coniecit Palladius Præfectus, diram in Catholicos ac Monachos persecutionem commouit. Alij in triennium vsque differunt ex epistola Proterij Ep. Alexandrini ad S. Leonem. *Differenda quoque videtur in quartum abhinc annum (non Valentiniani sed Gratiani 8.) S. Martini in Turonensem Episcopum facta ordinatio die 4. Iulij, siquidem sederit annos 26. menses 4. & dies 7. vt volunt.* Presbyter quidam Sirmij iniquissimè decollatur, quòd Octauianum ex Proconsule apud se latitantem prodere noluisset. Valentinianus Aram Victoriæ in Capitolio stare, eíque gentiles Senatores sacra facere permisit. Eiusdem iussu Maximinus Præfectus annonæ maleficos Romæ inuestigauit, plurimósque nobilium occidit. Valentinus in Britannia, antequam tyrannidem inuaderet, oppressus est. S. Basilius Gregorium Sasimorum creat Episcopum, & cum Orientalibus scriptis ad Occidentales Episcopos literis, eorum aduersus Arianos implorant auxilium. Didymus Alexandrinus multa de nostro dogmate per Notarios commentatur: qui post quintum natiuitatis suæ annum luminibus orbatus elementorum quoque ignarus fuit. Equitius Comes Illyrici iniquissimis tributorum exactionibus prouincias, quas regebat, antequam à barbaris vastarentur, erasit.

Anno Christi CCCLXXII. Clearcho Præfecto Vrbi curante diu expectata aqua ciuitati C P. inducitur. In qua grassabatur Eunomius, Aetij discipulus, à quo hæresis Eunomiana. Moyses Anachoreta expetitus à Mauuia Saracenorum Regina in Episcopum ordinatur Alexandriæ à Catholico Antistite. S. Hieronymus è solitudine Syriæ ad Rufinum epistolam scribit, quæ est ordine 14. quo fermè tempore ad su-

peros abiit S. Hilarion anno ætatis 80. die 21. Octobris. *Saxones hoc anno Deusone trans Rhenum haud procul Coloniâ Agrippinâ cæsos in regione Francorum monet S. Hieronymus, qui etiam addit Burgundionum 80. fermè millia ad Rhenum descendisse.* Valentinianus aduersus Quados infelici pugnat exitu, dum Theodosius iunior Mœsiæ Præfectus Sarmatas reprimit.

Anno Christi CCCLXXIII. Olymp. CCLXXXVIII. primo, Melania nobilissima mulierum Romanarum, & Marcellini quondam Consulis filia, vnico filio Prætore tunc Vrbano derelicto, Hierosolymam nauigauit, tantóque virtutum, præcipuéque humilitatis miraculo fuit, vt Theclæ nomen acceperit. Aquileienses Clerici quasi chorus Beatorum habebantur. Damasus Papa in Synodo Romæ coactâ Apollinarem, eiúsque discipulum Vitalem, aliósque damnat hæreticos. Para Armeniæ Rex iussu Valentis in conuiuio necatur. Theodosius senior, Imperatoris Theodosij pater Firmum Africæ tyrannum ad laqueum adigit. Gildo Firmi illius frater tyrannide paullò pòst reparatâ in gratiam Donatistarum Catholicis infestus fuit. De Gothorum dissidiis Fridigernum inter atque Athanaricum Reges agit hoc anno Caluisius ex Isidoro. Verùm ex nostro MS. in æram 415. & an. Valentis 13. Christi 377. ista differenda sunt.

Anno Christi CCCLXXIV. Gratiano & Equitio Coss. *Valentinianus vastatis aliquot Alemannorum pagis munimentum prope Basiliam ad Rhenum ædificauit, quod acolæ Robur, id est quercum, appellabant: idémque cum Macriano eorundem Rege blandè prope Mogontiacum accito fœdus iniit, Treueróque ad hiberna discessit. Macrianus Romanorum socius effectus, dum Franciam vastando perrumperet auidiùs, mortem postea oppetiit Mellobaudis bellicosi Regis insidiis circumuentus.* S. Epiphanius his Coss. labente anno Diocletiani 90. à magistratu & clericis Suedrorum in Pamphylia rogatus Ancoratum aduersus hæreses scribebat, & anno sequenti Panarium, vt ipsemet innuit. *Concilium Valentinum I. in Prouincia Viennensi celebratum est die 12. Iulij, cuius extat Synodica & IV. Canones, cum subscriptionibus Episcoporum, & epistola ad Foroiulienses.* Post Auxentij seram mortem Mediolani eligitur Episcopus S. Ambrosius, & octauo post baptismum die ordinatur Decembris septimo, feria prima. Atque hinc omnis ad fidem rectam Italia conuersa est. *Eiusdem anni die 4. Iulij consecratus*

fuerat S. Martinus Turonenſis Ep. Apoſtolicis virtutibus inſignis, de quo Proſper, Idatius, aliíque paſſim.

Anno Chriſti CCCLXXV. qui in Faſtis inſcribitur Poſt Conſulatum Gratiani & Equitij, *ex Baronij & aliorum ſententiâ Conſul fuit Anitius Pontius Paulinus patriâ Burdegalenſis, qui poſtea Nolanus Epiſcopus extitit, & de quo in Auſonij Epiſtola 24. hæc habentur: Paulinum Auſoniúmque viros, quos ſacra Quirini Purpura, & auratus trabeæ velauit amictus.* Id factum fuiſſe ſaltem ſolitò ſeriùs euincunt verba Hieronymi: Quia ſuperiore anno Sarmatæ Pannonias vaſtauerant, iidem Conſules permanſere. Chronicon autem Alexandrinum Coſſ. hoc anno refert Gratianum Aug. IV. & Equitium II. Valens lege latâ, vt Monachi militarent, nolentes iuſſit fuſtibus interfici. Hinc multi Monachorum Nitriæ per Tribunos & milites cæſi. Thermas Caroſianas dedicatas fuiſſe C P. agente Præfecto Vrbis Vindalonio Magno ſcribit Idatius. At Chronicum Alex. hoc tantùm habet renouatum eſſe Caroſianum gymnaſium præſente Vindanneo Magno. Valentinianus Imperator collecto aduerſus Quados & Sarmatas ingenti exercitu, cùm in nimium furorem aduerſus eorum legatos prorupiſſet, ſubita ſanguinis eruptione, quod Græcè apoplexis vocatur, in caſtello Birgitione in Pannonia moritur die 17. Nouembris ætatis 55. cùm imperaſſet annis vndecim, menſibus octo, diebus 12. Filius eius iunior VALENTINIANVS leuatus eſt Auguſtus ab exercitu in Tribunali die 22. Nouembris in ciuitate Acinco, GRATIANO fratre iam nonum annum in imperio agente, & Valente patruo 12. Eodem quoque, non ſequenti, videtur corpus Valentiniani Auguſti introiſſe Conſtantinopolim die 28. Decembris.

Gratianus & Valentinianus fratres cum Valente patruo.

Anno Chriſti CCCLXXVI. Photinus in Galatiâ moritur, à quo Photinianorum dogma Iudaïcum, inquit S. Hieronymus, qui etiam refert Theodoſium Theodoſij poſtea Imperatoris patrem & plurimos nobilium occiſos. Gothi victi & expulſi à gente Hunnorum, quorum mores apud Ammianum & Sidonium leges, pro miſericordia à Romanis iuſſione Valentis Aug. in Thracia collocati ſunt: Sed hi abſque armorum depoſitione ſuſcepti paullò pòſt per auaritiam Maximi, alij Lupicinum vocant, in Thracia Ducis fame ad rebellandum coacti ſunt. Gothorum duces fuiſſe tum dicuntur Friti-

gernes

gernes & Athanaricus. *Gratianus Treueris lege lata Hæreticorum conuentus prohibuit, & eorum loca fisco addixit: idémque cau ſas ad religionem pertinentes inter Clericos ortas ab Epi copo conuocatis diœceſanis preſbyteris terminari iuſſit. de criminibus verò iudicem ciuitatis cognoſcere.*

Anno Chriſti CCCLXXVII. Olymp. CCLXXXIX. primo, Gothi rebellantes anno in autumnum vergente Romanos prima congreſſione ſuperant funduntúrque per Thracias. Eam ob rem Imp. Valens Antiochia exire compulſus ſerâ pœnitentia orthodoxos de exiliis reuocauit. De Paſchate huius anni Æræ Martyrum ſiue Diocletiani 93. videndæ S. Ambroſij ep. 83. ad Æmiliæ Epiſcopos, & Proterij Alexandriæ Epiſcopi epiſt. ad S. Leonem Papam. *Alamannorum 30. circiter millia apud Argentariam oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani cæſa ſunt.* Florentinus Bonoſus & Rufinus inſignes Monachi habebantur: è quibus Florentinus tam miſericors in egentes fuit, vt vulgò pater pauperum nominatus ſit. Quæ de Gothorum Regibus Fridigerno & Athanarico, Arianis Epiſcopis ac Vulfila qui Gothicas literas condidit & ſcripturas noui ac veteris Teſtamenti in ſuam linguam vertit, habet S. Iſidorus, ad hunc annum pertinere videntur.

Anno Chriſti CCCLXXVIII. Imperator Valens ab Oriente Conſtantinopolim ingreſſus die 30. Maij, ex Vrbe ad Foſſatum profectus eſt die 11. Iunij, pugnauítque cum Gothis 12. ab Hadrianopoli miliario 9. die Auguſti nec amplius apparuit, in vili, vt creditur, caſa ab hoſtibus concrematus, quò ex acie ſaucius aufugerat, cùm imperaſſet annos 14. menſes 4. dies 9. aut ex Idatio 12. vixiſſet 50. Gothi reliquo anno per diœceſes Thraciæ, Scythiæ, Mœſiæque prædati vſque ad portas & mœnia C P. vrbis venerunt, vnde eos à Domnica Valentis vxore incitati ciues ſtrenuè repulerunt. S. Hieronymus Euſebiani Chronici Appendicem his verbis claudit: Lacrymabile bellum in Thracia: in quo deſerente Equitum præſidio Romanæ legiones à Gothis cinctæ vſque ad internecionem cæſæ ſunt. Ipſe Imperator Valens, cùm ſagitta ſaucius fugeret, & ob dolorem nimium ſæpe equo laberetur, ad cuiuſdam villulæ caſam deportatus eſt. Quo perſequentibus barbaris & incenſa domo ſepultura quoque caruit. Hæc ille, qui ad hunc vſque annum ab Vrbe condita numerat an. 1131.

sub Regibus 240. sub Consulibus 464. sub Augustis & Cæsaribus 427. à Tiberij 15. annos 351. ab Olympiade prima 1155. ab Abraamo 2395. ab Adamo 5579. *Gratianus Lentienses Alemannicum populum, qui mense Februario Rhenum gelu peruium transierant, missis Nanieno & Mallobaude Rege Francorum superauit.* Quo audito Valens sui ex fratre nepotis gloriæ æmulus prœlium contra Gothos maturauit, ne eo adiutore vicisse vìderetur, vt pluribus enarrat Ammianus Marcellinus, qui extremo libro 31. exorsum se à principatu Cæsaris Neruæ, ad vsque Valentis interitum, pro virium mensura explicuisse opus veritatem professum. Post Eusebij & Hieronymi Chronica occurrunt Prosperi, vel eiusdem, vel diuersi gemina Appendix vsque ad annum 455. Idatij Episcopi Aquiflauiensis, Marcellini Comitis, Victoris Tononensis, Marij Auenticensis seu Lausanensis Ep. Sigeberti Gemblacensis Monachi, aliorúmque Chronica multitudine propemodum infinita, quibus in hoc concinnando Christianæ Historiæ Compendio vsi sumus.

Anno Christi CCCLXXIX. Ausonio & Olybrio Coss. ipsis Kalendis Ianuarij, obiit S. Basilius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, multis continentiæ & ingenij bonis insignis.

Theodosius. THEODOSIVS Hispanus de prouincia Gallecia ciuitate Cauca, inquit Idatius, Sirmij à Gratiano Augustus appellatur die 19. Ianuarij, Indictione 7. Marcellinus verò Comes ex Italica Diui Traiani ciuitate oriundum Orientali dumtaxat reip. fuisse à Gratiano præfectum scribit, virum admodum religiosum, & Catholicæ Ecclesiæ propagatorem. Addit multis magnísque prœliis vicisse Alanos, Hunnos, Gothos gentes Scythicas, quæ victoriæ nuntiatæ sunt die 17. Nouembris. Septembri mense Synodus Antiochena celebrata est, in qua damnatus est Apollinaris, & inter Paulinum (à quo S. Hieronymus Presbyter ordinatus est) Meletiúmque sancitum est, vt alterutro vita functo alter Episcopatum solus obtineret. Prisscillianus tum Laicus, sed post aliquot annos Episcopus de Gallecia, ex Manichæorum & Gnosticorum dogmate hæresim condit. Langobardi ex insula Scandia, ducibus Iborea & Aione egressi Vandalos vincunt, & in eorum sedes migrant. Sempronius vir eruditus agnoscitur. Gratianus aduersus hæreses omnes sanctionem Mediolani edidit die 3 Augusti.

Anno Christi CCCLXXX. Thessalonicæ baptizatus ab

Acholio Episcopo orthodoxo Theodosius Imperator, postquam ex morbo conualuit sanctionem edidit, vt damnatis omnibus hæresibus sola Catholica fides obtineret, quam docerent Damasus Romanus, & Petrus Alexandrinus: dein sub finem anni in primo Consulatu suo, quem cum Gratiano gerebat Augusto, die 14. Nouembris C P. ingressus est. Gregorius Nazianzenus, inquit Marcellinus in Chronico, facundissimus Christi sacerdos Ecclesia nostra, hoc est Catholica, apud Byzantium capta ab Arianis (quorum Ep. erat Demophilus) plebem Catholicam in B. Anastasiæ oratorio quotidiana allocutione continuit, donec Theodosius de Scythicis gentibus victor, expulsis continuò ab Orthodoxorum Ecclesia Arianis, qui eam per 40. fermè annos tenuerant, nostris eam reddidit mense Decembri. Alij tamen introductum volunt in Ecclesiam S. Gregorium die 26. Nouembris. Porrò huius anni initio contigerat celebris illa contentio cum Maximo Cynico, de qua ipse pluribus in carmine de vita sua. Ad eum se contulit ex Oriente S. Hieronymus, eóque se præceptore vsum gloriatur. Theophilus vir eruditissimus (nondum tamen Alexandrinus Episcopus, quod perperam censuit Idatius, nam Petro successit Timotheus, cuius successor fuit Theophilus iste) à primo Consulatu Theodosij Augusti Laterculum per centum annos digestum de Paschæ obseruatione conscripsit: de quo etiam videndi S. Leo ep. 64. & Victorius Aquitanus in Præfatione Canonis sui Paschalis. Sapores Persarum Rex anno vitæ imperiique 70. moritur, succedente fratre Artaxerxe ad annos 4. S. Ambrosius Iustinæ matri Valentiniani Iunioris acerrimè resistit, & multa sublimiter pro fide Catholica scribit. Chron. Alex. docet Theodosium non solùm reddidisse Templa Catholicis, sacras vbique feciisse, expulisse numeros dictos Exocionitas, sed etiam fana paganorum, quæ claudi dumtaxat iusserat Constantinus, ab vsque fundamentis euertisse.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCLXXXI. quo cœpit sub ætatem Olympiadis CCXC. annus primus, Athanaricus Rex Gothorum à suis pulsus ingreditur C P. die 11. Ianuarij, & 15. die, ex quo à Theodosio post fœdus initum susceptus fuerat, morbo interiit die 25. eiusdem mensis, & regio

cultu ſepultus eſt Concilium Oecumenicum ſecundum à 150. Epiſcopis Conſtantinopoli celebratum eſt menſibus Maio, Iunio, atque Iulio, aduerſus Macedonium in Spiritum ſanctum naufragantem, & per Timotheum Alexandrinum, Meletium Antiochenum, & Cyrillum Hieroſolymitanum ſponte ob turbas cedente S Gregorio Nazianzeno, Nectarius ex pagano protinus baptizatus Pontifex C P. ordinatus eſt, inquit Marcellinus Comes, cui reluctari videntur Theodoretus, & alij, qui Meletio mortuo Flauianum ſubrogatum volunt, antequam Gregorius ſe abdicaret, & Nectarius ſubſtitueretur, quod ante finem Iulij menſis contigit, vt docet lex tertia Cod. de Fide Catholica. S. Pauli C P. Epiſcopi in exilio ab Arianis ſtrangulati reliquiæ C P. deportatæ ſunt in Baſilicam Pauli ab eo dictam. Aquileienſe Concilium die 5. Septembris aduerſus Palladium & Secundianum Arianos Epiſcopos præſide S. Ambroſio, *cui ex Gallis ſubſcripſerunt Epiſcopi Conſtantius Arauſicus, Theodorus Octodorenſis, Domninus Gratianopolitanus, Proculus Maſſilienſis, & Amantius Nicaenſis.* Celebrata quoque fuit aduerſus Priſcillianiſtas Cæſarauguſtæ in Hiſpania Tarraconenſi Synodus *cui etiam Aquitani Epiſcopi interfuere*, in qua Inſtantius & Saluianus Epiſcopi, Helpidius & Priſcillianus Laici damnati ſunt. Cúmque damnati illi Epiſcopi Priſcillianum Epiſcopum Abulenſem conſtituiſſent, Idatius & Ithacius Epiſcopi acerrimè contra illos inſurgunt, & à Gratiano Imperatore reſcriptum impetrant, quo longiùs amandari iubebantur. Illi Romam profecti, & à Damaſo Papa, itémque Mediolani à S. Ambroſio reiecti, corrupto Macedonio Magiſtro officiorum, aliud ab eodem Gratiano reſcriptum impetrant, quo in integrum reſtituuntur. In Hiſpaniam itaque reuerſi Ithacium fugere compulerunt, vt pluribus exponit Seuerus, cuius hæc verba Galliam ſpectant (*iter eis præter interiorem Aquitaniam fuit; vbi tum ab imperitis magnificè ſuſcepti, ſparſere perfidiæ ſemina. maximéque Eluſanam plebem ſanè tum bonam & religioni ſtudentem prauis prædicationibus peruertere à Burdigala per Delphinum repulſi, tamen in agro Enchrociæ, cuius filia Procula, aliquantiſper morati infecere nonnullos ſuis erroribus, &c.*) atque Ithacius qui differt hæc in annum 385. addítque Priſcillianum, ne ad conſpectum quidem SS. Epp. Damaſi & Ambroſij receptum, *& à S. Martino Turonenſi, aliíſque per Gallias*

Episcopis hæreticum iudicatum appellasse ad Cæsarem, hoc est ad Maximum tyrannum potestatem imperij tum in Gallis obtinentem. Hic verò, teste Prospero, hoc anno in Britannia à militibus Imperator constitutus incursantes Pictos & Scotos strenuè superauit.

Anno Christi CCCLXXXII. Theodosius Valentiniani Augusti corpus apud Comitatum regio in sepulcro recondidit die 21. Februarij. Et vniuersa Gothorum gens infidâ Romanis pace se cum Rege suo tradidit die 3. Octobris. Romæ Synodus acta ad quam Damasus Orientales Episcopos vocauit, qui facto CP. conuentu excusatorias ad eum scripserunt epistolas. S. Hieronymum Romam cum S. Epiphanio Constantiæ in Cypro Episcopo, Paulino Antiocheno, aliisque profectum detinuit apud se Damasus, vt ab epistolis esset, quo fermè tempore aduersus Heluidium, Iouinianum, & Luciferianos scripsit. *Maximus Clemens è Britanniis in Gallias venit, Treuiris sedem imperij collocat, & Victorem filium consortem regni facit. Priamus quidam tunc regnabat in Francia, si quæ Prospero Pithœano fides. Faustinianus Præfectus prætorio Galliarum pater S. Firmini Ambianorum Episcopi memoratur Sigeberto Gemblacensi in Chronico.*

Anno Christi CCCLXXXIII. Theodosius Augustus Arcadium filium consortem imperij adsciscit die 16. Ianuarij, quo leuatus est in miliario septimo in Tribunali, inquit Idatius, qui etiam monet ingressum esse Constantinopolim corpus Constantiæ filiæ Imp. Constantini die 12. Septembris. At Chronicon Alex. illatum scribit pridie Kal. Septembres, & sepultum Kal. Decembribus. CP. Synodus iussu Theodosij ad sedandas Ecclesiarum lites, de qua videndus Socrates. Arsenius Romanæ Ecclesiæ diaconus, CP. à Damaso Papa mittitur Arcadij Aug. futurus præceptor. S. Augustinus annos natus 29. clam matre Romam petiit, ibíque Rhetoricam docuit. S. Ambrosius libros contra Arianam perfidiam ad Gratianum Imp. scribit: *qui eodem anno Merobaudis Magistri militum proditione apud Parisios, cum Maximo tyranno pugnans, acie superatur, fugiensque ac desertus à suis prope Lugdunum opera Andragathij Ducis interficitur die 25. Augusti anno ætatis 24. cùm imperasset annos 16. dies sex, & à morte patris an. 7. mens. 9. dies 12.* Maximus Theodosij metu, ad quem legatos miserat, cum Valentiniano iuniore,

qui ad eum S. Ambrosium destinarat, fœdus iniit, nec ad inuadendam Italiam properauit. *Miræus ad hunc annum S. Seruatij Ep. mortem, excidium Tungrensis vrbis, & ab Hunnis factam Vrsulæ & sociarum Virginum cædem refert.*

Anno Christi CCCLXXXIV. Artaxerxi Persarum Regi succedit Sapores filius ad annos quinque. Honorius nobilissimus, alter Theodosij Augusti ex Flaccilla filius, nascitur in purpuris die 9. Septembris, quo tempore Legati Persarum C P. venerant pacem ab Imperatore postulantes, in cuius laudem videtur hoc anno illam orationem dixisse Themistius, quæ numeratur ordine sexta. Symmachus Romanæ Vrbis Præfectus vir eloquens de restituendo Deorum cultu & ara Victoriæ in Senatu collocanda libellum Valentiniano Imp. obtulit, quem refellit S. Ambrosius Ep. 30. & post eum Prudentius Poëta Hispanus. S. Augustinus Mediolanum venit ad docendam Rhetoricam, quò etiam paullò post Monica mater accessit. S. Damasus Papa obiit die 11. Decembris, cùm præfuisset Ecclesiæ annos 17. menses 2. & dies 28 Marcellinus Comes in Chronico turbat, eiúsque mortem biennio citiùs collocat sub Consulatu Antonij & Syagrij. *S. Illidius Vrbici in episcopali Aruernorum sede successor Treuerici Imp. filiam à dæmone vexatam sanat.*

Anno Christi CCCLXXXV. Olymp. CCXCI. primo, Coss. Arcadio & Bautone, in cuius ingressu S. Augustinus Panegyricam habuit orationem ad Imperatorem, vt ipsemet refert Confessionum libro VI. cap. 6. & lib. VIII. cap. 1. Siricius, quem Marcellinus Comes Romanæ Ecclesiæ Antistitem XXXVI. cùm aliis sit XXXIX. appellat, electus est die 11. Ianuarij, ad annos 13. & mensem vnum. Errat enim Marcellinus, dum annos ei 15 attribuit. Errant quoque qui electioni Siricij diem 13. Februarij assignant, cùm eius Decretalis Epistola 15. capitibus comprehensa ad Himerium Tarraconensem Episcopum data sit 3. Idus Februarij sub huiusce anni Consulibus. Post Timotheum Theophilus Alexandriæ creatur Episcopus. S. Augustinus ad Catholicam fidem tandem conuertitur: redit in Orientem S. Hieronymus, inuisit in Cypro S Epiphanium, lustratáque Antiochia consedit Hierosolymis, quò paullò pòst accesserunt Paula eiúsque filia Eustochium. Multa de Priscilliano habent in Chronicis Ida-

tius & Prosper, necnon Seuerus Sulpitius extremo libro II. *vbi & Burdegalensis Synodi mentio ac necis eiusdem Hæresiarchæ ab Ithacio Episcopo Treueris apud Maximum contra Ecclesiasticos canones procuratæ.* Huius verba quia Gallicam historiam maximè illustrant, nostris Lectoribus non inuidebo, præcisis plerisque minus ad institutum accõmodatis: *Maximus datis ad Præfectum Galliarum atque ad Vicarium Hispaniarum literis omnes omnino quos labes illa infecerat, deduci ad Synodum Burdegalensem iubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus: quorum Instantius indignus esse episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus verò, ne ab Episcopis audiretur ad Principem prouocauit, &c. Secuti etiam accusatores Idatius & Ithacius Episcopi: quorum studium in expugnandis Hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quàm oportuit certassent, &c. Priscillianus capitis damnatus est. Latrocianus & Euchrotia Delphidij Oratoris vxor gladio perempti, &c. Vrbica eiusdem Priscilliani discipula Burdegalæ lapidibus obruta, vt addit Prosper.* Ithacius eiúsque socij à communione Catholica eam ob rem alieni iudicati. *S. Romanus Blauiensis Presbyter obiit, quem S. Martinus sepulturæ locauit super littus amnis Garumnæ: quâ in æde postea humatus fuit Charibertus Rex Francorum.*

Anno Christi CCCLXXXVI. Romæ Synodus celebrata est 80. Episcoporum in qua Ecclesiæ Africanæ disciplina constituta est. *Treueris quoque coacta est Synodus, in qua Ithacius Priscilliani accusator absolutus est, & Felix Treuirorum Episcopus, præsente S. Martino Antistite Turonensi ordinatus, vt pluribus exequitur Seuerus Sulpitius in Dialogis de Vita S. Martini, qui sub finem Dialogi secundi meminit & Synodi Nemausensis circa eadem tempora habitæ, cuius acta S. Martinus, licet absens, Angelo nunciante cognouit. Is verò sanctissimus vir Apostolis planè conferendus Treueris mœstus ad sedem suam reuersus est, ac deinceps conuentu omni Episcoporum abstinuit.* Iustina Valentiniani Aug. mater Arianis fauens in Ambrosium & omnem Mediolanensem Ecclesiam diuersa iniuriarum genera congerit: eiúsque filius Valentinianus in gratiam Ariminensis professionis rescribit. Galla Valentiniani Magni filia Theodosij Imperatoris altera post Flaccillam seu Placillam vxor C P. venit. Ea mater fuit Gallæ Placidiæ quæ post Athaulphi mortem Constantio nupta mater fuit Valentiniani tertij. Greuthingi barbari Istrum transgressi Thraciam vastauere, sed ab Impp. Theodosio & Arcadio victi atque ex-

pugnati in Romaniam adducti sunt. Ii verò cum victoria & triumpho ingressi sunt CP. die 12. Octobris. Demophilus Arianorum CP. Antistes moritur. Post Cyrillum Hierosolymis creatus est Episcopus Ioannes, de quo S. Hieronymus, aliíque plura. S. Ioannes Chrysostomus à Flauiano Antiocheno Episcopo Presbyter ordinatus est. S. Hieronymus Alexandriam ad audiendum Didymum venit, & Ægypti monasteria lustrat.

Anno Christi CCCLXXXVII. Diocletiani CIII. currente, de Paschatis celebratione controuersia apud Christianos extitit, de qua videndi Ambrosius atque Proterius. Arcadius cum patre Theodosio sua quinquennalia CP. editionibus ludísque celebrat die 16. Ianuarij. Sæuiente Iustinæ in S. Ambrosium & Catholicos persecutione, inuenta sunt corpora SS Martyrum Geruasij atque Protasij, & passim edita miracula Ambrosius iterùm legatus mittitur ad Maximum, qui in Italiam irruptione facta, fugatóque Valentiniano paullò post Romam ingressus Gentilibus sacrificia, arámque Victoriæ restituit & laudatur à Symmacho. Prosper Pithœanus meminit Hymnorum S. Ambrosij, addítque Maximum, cùm indignum duceret contra Ecclesiæ statum agi, locum corrumpendi fœderis inuenisse, Valentinianum verò veritum imminentem ceruicibus suis tyrannum ad Theodosium confugisse.

Anno Christi CCCLXXXVIII. Cynegius Præfectus Prætorio Orientis in Consulatu, quem cum ipso Imperatore gerebat, CP. defunctus est, eiúsque corpus cum magno totius populi fletu deductum est ad Apostolos die 19. Martij. Hunc Idatius in Fastis refert vniuersas prouincias longi temporis tabe defectas (in editis deceptas) in pristinum statum reuocasse, & vsque in Ægyptum penetrasse, gentiúmque simulacra euertisse: eúmque post annum ad Hispanias à matronâ eius Achantia translatum. In eadem vrbe Nectarij Episcopi domum Ariani succenderunt Theodosio absente, & Antiocheni furore perciti ob tributum quoddam ab Imp. impositum Flacillæ primæ eius coniugis statuas deiecerunt, ac per vrbem traxerunt. Ea occasione S. Ioannes Chrysostomus orationes ad populum habuit, quæ ἀνδριαντίτις dicuntur. Baptizatur Mediolani S. Augustinus ætatis 34. circa Paschales

ferias

ferias à S. Ambrosio vnà cum Alypio amico & Adeodato filio. Maximus Tyrannus à Theodosio Aug. primùm Scissiæ in Pannonia prælio superatus, tum à suis militibus proditus in tertio lapide ab Aquileiâ 27. die Augusti spoliatus Regiis indumentis sistitur, & capite damnatur. *Post paucos dies in Galliis filius eius Victor à Comite Theodosij Arbogaste extinctus est.* Andragathius Comes, morte Maximi cognitâ, præcipitem sese è naui in vndas dedit, ac suffocatus est. Sícque ope Theodosij restitutus in imperium Valentinianus iunior, cuius mater Iustina, quæ Ecclesias vexauerat, ne regnum cum filio reciperet, morte præuenta est. Theod. acta Maximi infirmat Mediolani. Sulpitius Alexander apud Gregorium Turonensem libro 2. Historiæ Francorum cap. 9. refert eo tempore, quo Maximus intra Aquileiam amissa omni spe imperij quasi amens residebat, *Francos Genobaldo, Marcomere & Sunnone Ducibus in Germaniam (vtique Secundam) prorupisse ac limite irrupto pluribus mortalium cæsis fertiles agros depopulatos Agrippinensi etiam Coloniæ metum incussisse. Quod vbi Treueros perlatum est, Nannium & Quintinum militares magistros, quibus infantiam filij & defensionem Galliarum Maximus commiserat, collecto exercitu apud Agrippinam conuenisse: Onustos præda hostes Rhenum transiisse, pluribus suorum in Romano relictis solo ad repetendam depopulationem paratis, cum quibus congressus Romanis accommodus fuit, multis Francorum apud Carbonaciam ferro peremptis. Cúmque consultaretur de successu, an in Franciam transire deberent, Nannium abnuisse. Quod cum Quintino & aliis displicuisset, Nannio Moguntiacum reuerso, Quintinum cum exercitu circa Nouesium castellum Rhenum transgressum à Francis simulatâ fugâ in saltibus ac paludibus oppressum fuisse cum Heraclio Iouinianorum Tribuno, ac pene omnibus, qui militibus præerant: præter paucos, quibus effugium tutum nox & latibula siluarum præstitere.*

Anno Christi CCCLXXXIX. Olymp. CCXCII. primo, Theodosius, qui hiemauerat Mediolani, Romam ingreditur cum Honorio filio die 13. Iunij, Romanis dat congiarium, *Latini Pacati Drepanij Oratoris Aquitani Panegyricum benignè excipit*, statuas frangi & ceremonias gentilium iubet obliterari, Symmacho, qui Maximum laudauerat, ad Ecclesiam confugienti veniam largitur, egressúsque Kalendis Septembribus Mediolanum rediit, vbi die 26. Nouembris hæreticorum conuentus omnino sustulit. Templum Serapidis, ruentis

idololatriæ quasi quædam columna, eiusdem Imp. edicto apud Alexandriam solutum est. Stella à Septentrione gallicinio surgens, & in modum Luciferi ardens potiùs quàm splendens vigesimo sexto die esse desiit. Britanniam Legionibus Romanis destitutam Scoti à Circio vento & Picti ab Aquilone inuadunt & vastare incipiunt. Paulino Antiocheno Episcopo suffectus est Euagrius, quo post aliquod tempus defuncto, Flauianus, qui à Siricio Papa ad Capuanam Synodum vocatus venire noluerat, interueniente Theophilo Alexandrino reconciliatus est, & sublatum schisma. S. Monica Augustini mater ad Ostia Tiberina sanctissimè moritur die 4. Maij, eiúsque filius cum sociis Africam repetit. Eiusdem mensis die 9. obiit S Gregorius Nazianzenus triennio antequam S. Hieronymus scriberet librum de scriptoribus Ecclesiasticis. Langobardi defunctis Ducibus, qui eis antea præfuerant, primum sibi Regem creant Agelmundum Aionis filium. Idem Gregorius ex Sulpitij libro Historiæ quarto hæc descripsit: *Eo tempore*, post interfectionem Victoris filij Maximi tyranni, *Carietto & Syrus in locum Nanneni subrogati in Germaniâ cum exercitu opposito Francis diuersabantur. Nihil Arbogastes differre volens commonet Cæsarem pœnas debitas à Francis exigendas, nisi vniuersa quæ superiori anno cæsis legionibus diripuerant confestim restituerent. Post dies pauculos Marcomere & Sunnone Francorum Regalibus transacto cursim colloquio, impetratí que ex more obsidibus, ad hiemandum Treuiros concessit: Constantianus hoc anno erat Præfectus Prætorio Galliarum.*

Anno Christi CCCXC. Syricius Papa Iouianum hæreticum damnauit. Concilium Carthaginense II. celebratum Valentiniano IV. & Neoterio Coss. æra 428. Præside Genethlio Carthaginensi Episcopo Africæ Primate, in quo editi canones 13. Incertum verò est, quo anno Donatistæ celebrarint Concilia duo, Carthaginense Episcoporum 43. in quo damnatus est Primianus, quòd à parte Donati schisma feciſſet; & Cabarsussitanum Episcoporum centum & amplius, in quo Primianus idem perfectè pleniúsque damnatus est Galla Valentiniani iunioris soror Theodosij altera vxor, ab Arcadio priuigno suo ejecta est C P. vbi obeliscus in circo positus, & columna haud longè ab Ecclesia constituta, quæ argenteam Theodosij magni statuam ferens hactenus cernitur, inquit

Marcellinus in Chronico : qui etiam monet ſignum in cælo quaſi columnam pendentem ardentémque per dies 30. appa-ruiſſe. ſublatam quoque circa hæc tempora CP. à Nectario Epiſcopo pœnitentiam publicam probabile eſt, de qua ex Socrate & Sozomeno Nouatianis Hiſtoricis multi multa diſſe-ruerunt. Cùm Theſſalonicenſes Boterichum militum apud Illyricos præfectum occidiſſent, iuſſu Theodoſij cædes immanis ciuium ab immiſſis in illam vrbem militibus perpetrata eſt. Eam ob rem à S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo Eccleſiæ ingreſſu prohibitus Imperator paruit, publicam pœnitentiam ab eo ſibi impoſitam peregit, legémque tulit, vt latæ in reos ſententiæ executio in dies 30. differretur. Quæ lex Antiochiæ ſaluti fuiſſe dicitur, cùm Theodoſius eam euerti iuſſiſſet, móxque intra 30 diem à Macedonio eremitâ placatus pepercit. Proſper Pithœi : Immane Theſſalonicæ geſtum facinus extincti populi egregio pœnitentiæ exemplo Imperator religioſus eluit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCXCI. Theodoſius Imp. Italia decedens cum Honorio filio Theſſalonicam venit, occiſiſque qui fines eius vaſtauerant latronibus die 10. Nouembris CP. rediit. Caput S. Ioannis Baptiſtæ anno ſuperiore Cyzici inuentum, & Chalcedone tantiſper depoſitum, die 18. Februarij collocatum eſt in Baſilica, quam in eius honorem Imperator in Hebdomo erexerat. Plura in eam rem vide in Chronico Alex. S. Auguſtinus Hippone Regio Preſbyter ordinatur à S. Valerio Epiſcopo, & ad prædicandum Dei verbum adhiberur.

Anno Chriſti CCCXCII. *Valentinianus iunior Imperator ab Arbogaſte Comite, natione Franco, Viennæ ad Rhodanum in palatio ſtrangulatus eſt Idibus, ſeu die 15. Maij, ſabbato pridie Pentecoſtes die 20. menſis Pachon*, vt diſertis verbis habet S. Epiphanius, cùm imperaſſet annis ſedecim, cum ſex fere menſibus ab obitu patris, poſt cædem fratris annis 8. menſ. totidem & diebus 21. vixiſſet verò annis 26. & aliquot inſuper menſibus. In Marcellini Chronico duplex mendum occurrit : primum, quòd Idus Martias pro Maiis habeat; alterum, quòd ad Indictionem quartam & Conſulatum Tatiani & Symmachi necem illam retulerit. Eugenius imperium vſurpat, Gentilibus aram

Victoriæ & sacrificia permittit, atque innumeras copias vndíque contrahit, *fauore Arbogastis Comitis confisus, quem virum barbarum animo, consilio, manu, audaciâ, potentiáque nimium describit Marcellinus, vel Romanorum præsidiis, vel Barbarorum auxiliis, alibi potestate, alibi cognatione subnixum. De eodem hæc habet Sulpitius Alexander apud Gregorium Turonensem libri 2. cap. 9. Arbogastes Sunnonem & Marcomerem Subregulos Francorum gentilibus odiis insectans, Agrippinam rigente maximè hieme petiit ratus, tuto omnes Franciæ recessus penetrandos, vrendósque, cùm decussis foliis nudæ atque arentes siluæ insidiantes occulere non possent. Collecto ergo exercitu transgressus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, pagum etiam, quem Chamaui incolunt, depopulatus est, nullo vmquam occurrante, nisi quod pauci ex Ampsiuariis & Cattis Marcomere duce in vlterioribus collium iugis apparuere.* S. Augustini Presbyteri disputatio cum Fortunato Manichæo huic anno competit, quo erupit in apertum concertatio inter Ioannem Hierosolymorum Episcopum Origenistarum fautorem, & Epiphanium Constantiæ Cypri Antistitem, cuius partes tutatus est S. Hieronymus, qui hoc Theodosij Imp. 14. anno Catalogum Scriptorum Ecclesiasticorum perfecit, & Dextro Præfecto Prætorio dicauit S. Paciani Barcinonensis Ep. filio. Plura de eo suggeret Marcellinus, qui vocat Catholicæ inexpugnabilem Ecclesiæ turrim (sic enim legendum arbitror) hæreticis omnibus infatigabilem hostem, tam proposito vitæ suæ, quàm librorum à se editorum assertionibus depugnantem. *S. Phœbadius Aginnensis valdè senex adhuc viuebat*, necnon Didymus Alexandrinus annum ætatis superans 83.

Anno Christi CCCXCIII. Olymp. CCXCIII. primo, vltra quem non progrediemur, cùm teste Cedreno hoc tempore desierit ἡ τῶν Ὀλυμπιάδων πρόοψις, cœperíntque numerari Indictiones, quas ineptè arcessit vsque ab Actiacâ victoria: καλεῖται ὁ ἰνδικτιὼν τοῦτέστιν Ἰναικτιὼν ἡ ἀπὸ τῆς Ἀκτίου νίκης. Theodosius filium suum natu minorem Honorium Augustum renuntiat in Hebdomo, siue septimo ab Vrbe Regia miliario, quo die hora tertia tenebræ factæ sunt; hoc est, vt vulgò censent viri docti, Eclipsis Solis die 20. Nouembris, feria 1. Proclum ex Præfecto in Sycis capite punitum fuisse die 6. Decembris, & dedicatum Forum, Theodosianum dictum, docet Chronicon Alexandrinum. Zosimus addit Promotum,

aliósque viros illustres Rufini calumniis oppressos. Hipponense Concilium die 8. Octobris ad instaurandam collapsam disciplinam, ex cuius aliorúmque sequentium Canonibus, conflatus est Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ in Carthaginensi vltimo, probatus anno Christi 419. Post Consulatum Honorij XII. & Theodosij VIII. & illius actis insertus, seruato temporum ordine & serie. *Eugenius tyrannus susceptо expeditionali procinctu*, inquit Sulpitius Alexander, *Rheni limitem petiit, vt cum Alamannorum & Francorum Regibus, vetustis fœderibus ex more initis, immensum eâ tempestate exercitum gentibus feris ostentaret:* dein ex Galliis profectus in Italiam Mediolanum capit, vnde digressus Florentiam S. Ambrosius ad eum scripsit epistolam 15.

Anno Christi CCCXCIV. Theodosius Aug. assumpto Honorio filio suo contra Arbogastem, qui Eugenium facere Imperatorem fuerat ausus, properat, bellóque commisso diebus 5. & 6. Septembris Tyrannum profligat, aperto Dei fauore, conspirantibus in idipsum elementis, captúmque interfecit. *Arbogastes suâ se manu perculit.* Thermas Arcadianas C P. ex conditoris sui nomine accepisse nomen testatur Marcellinus sub Coss. huius anni. At Chr. Alex. ab Arcadia Arcadij filia ædificatas, à Marinâ verò eius sorore domum Marinæ memorat, sacrámque Beati Andreæ ædem Arcadiæ dictam. Synodus in eadem vrbe C P. in qua actum est de Agabio & Gebadio Bostrensem Episcopatum sibi vendicantibus. In Africâ Bagaiense Donatistarum Concilium die 24. Aprilis, in quo ab Episcopis 310 Maximianus eiúsque socij damnati sunt. Carthagine quoque celebrata Synodus Catholicorum die 26. Iunij, à qua missi dicuntur legati ad Adrumetinam. S. Ioannes Anachoreta floret, qui Theodosio victoriam de tyranno prædixit. *S. Paulinus vir Consularis super victoria Maximi & Eugenij tyrannorum Panegyricam scripsit orationem, vt in Theodosio non tam Imperatorem quàm Christi seruum, non dominandi superbiâ sed humilitate famulandi potentem, nec regno sed fide principem prædicaret. Hic postquam Barcinone inuitus à Lampadio seu Lampio Episcopo per vim inflammatæ plebis fuisset Presbyter ordinatus, in Italiam cum Therasia ex coniuge sorore facta Mediolanum ad S. Ambrosium se contulit, qui eum suo clero vendicare voluit, vt & si diuersis locis degeret ipsius Presbyter censeretur: deinde Nolam secessit ad S. Felicis limina, cuius se clientem multis carminibus epistolisque ad varios scriptis profes-*

sus est. Prosper Pithœanus differt in annum vsque Arcadij quartum, Christi 398. cuius moram castigat ipsa S. Ambrosij epistola ad Sabinum, quæ est ordine 36.

Anno Christi CCCXCV. Indictione 8. Theodosius optimus Princeps mortuus est Mediolani inualetudine hydropis die 17. Ianuarij, cùm vixisset annos 60 aut 65. imperasset annos sexdecim plenos minùs duobus diebus. Hic verò annus erat ARCADII maioris natu filij 13. HONORII verò iunioris tertius, æræ Hispanicæ 433. vt rectè Idatius in Chronico, qui Honorio post obitum patris tribuit annos 30. Theodosij corpus CP allatum atque sepultum esse die 9. Nouembris docent Chr. Alex. & Marcellinus Comes. Arcadius Eudoxiam virginem duxit in vxorem die 27. Aprilis, reiectâ suadente Eutropio Eunucho filiâ Rufini, quem alij Bosphoritanum, alij *Elusanum*, aut Celtam fuisse volunt. Hic verò Patricius Arcadio principi insidias tendens Alaricum Gothorum Regem missis ei clam pecuniis infestum reip. fecit, & in Græciam misit. Porrò detecto dolo ab Italicis militibus à Stilicone Vandalo, qui vtriusque tutelam imperij sibi arrogabat, cum Gaina Comite Arcadio missis, ante portas vrbis, vel in Hebdomo, trucidatus est. Caput eius, manúsque dextra per totam CP. demonstrata. Eius scelera pluribus exagitat Claudianus Poëta natione Ægyptius, Stiliconis laudator perpetuus, non secus atque Eutropius Sardianus, eiúsque breuiator Zosimus Comes Historici à Christianâ fide omnino abhorrentes. S. Augustinus B. Ambrosij discipulus, verba sunt Prosperi, multa facundia doctrinâque excellens Hippone Regio in Africa Episcopus ordinatur. Annos natus erat, vt docet Possidius, vnum & 40. & superstite adhuc Valerio Episcopo creatus est. *De morte S. Martini insigniter allucinati sunt Josephus Scaliger, Sethus Caluisius, aliique eorum sequaces, nec Seuerum cum Gregorio conciliare vllatenus queunt.*

Arcadius & Honorius.

Anno Christi CCCXCVI. Rufini vxor & filia exulare iussæ Hierosolymam abeunt. Eutropius Sacri palatij cubicularius Stiliconis partibus addictus omnes interfecti opes abripuit, auaritiâmque transgressus crudelitate grassatur, multósque relegat. Terræ motus per dies plurimos fuit, cælúmque ardere visum: quo referenda puto Prosperi verba hæc: Constantinopolis eminentem Dei iram igne super nube ter-

ribiliter fulgente formidans, toto ad pœnitentiam animo conuersa subterfugit. Fritigil Regina Marcomannorum à S. Ambrosio regulam fidei postulat, viróque persuadet, vt Romanis se tradat. Hic anno sequenti salutandi Ambrosij gratia Mediolanum profectus mortuum illum reperit. S. Ioannis Baptistæ reliquiæ Alexandriam translatæ sunt Payni die 2. Prudentius Poëta Hispanus illustre ingenij sui robur exercet, inquit Prosper, qui addit Gildonem in rebellione consueta Romanis stipendia subtraxisse. Hic enimuerò paganus Comes à Theodosio Africæ Præfectus, ab Eutropio aduersus Stiliconem animatus, effecit, vt Africa ab Honorio deficiens Arcadio iungeretur. Didymum cæcum hoc tempore mortuum volunt, quo florebat Panodorus Monachus Ægyptius. Alaricus Epirum Græciámque iterùm vastat. Hunni in Asia ad fidem accedunt.

Anno Christi CCCXCVII. S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus, arx fidei, & Orator Catholicus, ad Christum Dominum commigrauit die 4. Aprilis sub diluculum Sabbati sancti, vt docet Paullinus in eius vita, cùm annos 22. sedisset, cum quatuor circiter mensibus, & attigisset annum ætatis 74. Ex quo certissimo charactere constat insigniter errasse Marcellinum Comitem, quíque eius exemplo mortem Ambrosij in seq. annum contulerunt. *Falluntur quoque plurimùm qui cum Gregorio Turonensi obiisse putant sub huius anni Consulibus Cæsario & Attico die 11. Nouembris S. Martinum Turonensem Episcopum, cui opinationi imprimis obluctantur, cùm Dominica dies obitus ab ipsomet Gregorio designata, tum Seueri Sulpitij, qui cum ipso Martino vixit, indubitata auctoritas.* Flaccilla nascitur Arcadij Imp. filia die 17. Iunij, Nectarius C P. Episcopus obiit sub finem Septembris, cui anno seq. die 26. Ianuarij suffectus fuit Antiochia euocatus S. Ioannes, cognomento Chrysostomus, de quo Socrates, Prosper, Marcellinus, aliíque multa. Concilium Carthagine celebratum est Cæsario & Attico Coss. tum die 26. Iunij tum die 28. Augusti in Secretario Basilicæ Restitutæ, Aurelio Carthaginensi Episcopo Præside: Illúdque dici solet III. cui S Augustinus subscripsit, cuiúsque canones numerantur plures 50. *Concilium Taurinense rogatu Episcoporum Galliæ congregatum die 22. Sept. in quo actum de Primatu Proculi Massilienses, de Ecclesiis Viennensi & Arelatensi, aliísque pluribus. Extant eius Canones octo.*

Sunt tamen qui in annum ſequentis ſæculi 2. aut 3. differre malint.

Anno Chriſti CCCXCVIII. Siricius Papa obiit die 22. Februarij, cùm ſediſſet annos 13. menſem vnum & dies 14. cui ſucceſſit S. Anaſtaſius I. die 14. Martij ad annos quatuor. Gildo dum Africam obtinere nititur, frater eius Maſcezel cognita eius veſania, relictíſque duobus apud Africam filiis, in Italiam remeat: Gildo vtrumque fratris filium dolo trucidat. Quo ſcelere cognito Maſcezel cum quinque millibus ſuorum contra parricidam Gildonem cum 70. millibus armatorum ſibimet obuiantem infeſtus accedit, eúmque ieiuniis & orationibus, & B. Ambroſij in Somnis admonitu fugauit. Gildo fugiens propria ſe manu ſtrangulauit: ſícque Maſcezel ſine bello victoriam meruit, ac ſine cæde vindictam. Hæc Marcellinus, cui adde Iornandem, ex quo diſces Maſcezelem in Italiam reuerſum dolo Stiliconis de ponte fuiſſe præcipitatum in fluuium. Honorius Imp. Mariam ducit filiam Stiliconis, & Serenæ, quæ Theodoſij Magni ex Honorio fratre neptis fuiſſe dicitur. Toletanum Concilium in prouincia Carthaginenſi aduerſus Sectatores Priſcilliani, & de obſeruanda Eccleſiæ diſciplina, vt pluribus Idatius refert in Chronico. S. Hier. librum Origenis Latinè reddit, appoſitíſque hæreſeon atque errorum notis Romam mittit: ne ſparſa per varios Ruffini verſio noceret incautis.

Anno Chriſti CCCXCIX. Conſulatum geſſere Manlius Theodorus, quem quidam volunt eſſe Manilium Poëtam, cuius Aſtronomicon verſibus conſcriptum fuiſſe Auguſti tempore doctiſſimi quique hactenus cenſuerunt, & Eutropius, de quo Claudianus cecinit: Omnia ceſſerunt Eunucho Conſule monſtra. Idem Poëta Manlio Theodoro Panegyricon ſcripſit, *in quo teſtatur eum non tantum Galliæ & Cisrhenani tractus Præſidem fuiſſe, ſed Præfectum Prætorio, cui parerent Galliæ, Hiſpaniæ, atque Britannia.* Pulcheria Arcadij & Eudoxiæ filia naſcitur die 19. Ianuarij. Concilium Carthaginenſe IV. dictum die 27. Aprilis. Poſt Conſulatum Honorij IV. & Eutychiani Alexandrina Synodus Præſide Theophilo aduerſus Origenis Sectatores, de quâ S. Hier. in Epiſtolis, qui etiam ab ipſo Papa Anaſtaſio aſſerit damnatos fuiſſe Origenis errores, & Proſper Pithœanus. Gainas Gothici generis Dux barbarus rebellat, petítque ab Imperatore, vt Eutropius Conſul neci dedatur, quod

quod& factum est Calchedone,noménque eius ex Fastis cum summa ignominia erasum. Ad hunc verò ac præcedentem annum spectant verba S. Augustini cap. vltimo libri 18. de Ciuitate Dei: *Numeratis Consulibus* (ab anno Æræ Christianæ 29. Coss. Geminis duobus, quo S. Augustinus cum plerisque antiquis falsò credidit Christum passum resurrexisse, ac misisse Spiritum sanctum, quem fontem esse penè omnium Veteris Chronologiæ errorum aliàs demonstrabitur) *trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti per easdem Idus Maias Consulatu Honorij & Eutychiani. Porrò sequenti anno Consule Manlio Theodoro, quando secundùm illud oraculum dæmonum, aut figmentum hominum, nulla esse debuit religio Christiana, Carthagine Africæ Gaudentius & Iouius* (Iouianum vocat Idatius in Fastis) *Comites Imperatoris Honorij* 14. *Kalendas Aprilis falsorum Deorum templa euerterunt, & simulacra fregerunt.* Quod & in aliis locis factum esse insinuat Prosper, cùm ait, *Toto orbe Romano antiquæ superstitionis templa fuisse destructa.*

Anno Christi CCCC. Eudoxia Augusta renunciata fuit die 9. Ianuarij, & nata est illustrissima Arcadia die 3. Aprilis. Gothorum Ecclesia conflagrauit die 12. Iulij S. Ioannes Chrysostomus pro Monachis Origenistis scribit ad Theophilum Patr. Alexandrinum. Gainas cum Tribigildo turbas toto anno egit aduersus Arcadium, cúmque professis palam odiis hostis fuisset renunciatus, & Barbaris in vrbe cæsis, Frauitta Gothus cum classe opem Imperatori tulisset, inter Cherronesum & Hellespontum bello nauali dimicatum est, in quo multa millia Gothorum Gainæ sociorum cæsa vel demersa. Chronicon Alex testatur Gothos cæsos in Læmomacellio, & 23. Decembris in mari angusto Cherronesi fluctibus fuisse hausstos mense Apellæo. Gainas in fuga occisus. S. Vigilius Tridentinus Episcopus à rusticis, quod idolum comminuere vellet, interfectus est die 26. Iunij, Stilicone Consule, vt docet Vsuardus. Erunt fortè qui ad annum 405. referendam illam necem putent, quo alterum Consulatum cum Anthemio gessit Stilico. Verùm errauit vir doctus, qui ad secundum Stiliconis Consulatum retulit Heliæ argentarij depositionem factam 26. Octobris die Veneris, quæ manifestè huic tantùm anno potest competere, vt docet litera Dominicalis G. Alio verò in opere demonstrandum erit aberrasse à scopo plerós-

que hactenus Tractatores Eccleſiaſticos, qui Vigilij Afri opera huicce Tridentino ſupponere voluerunt. Vararani Perſarum Regi ſuccedit Iſdegerdes filius ad annos 20. Alaricus Græcia Epiróque vaſtatis Dalmatiam Pannoniámque populari aggreditur. *De Sanctiſſimi Antiſtitis Martini obitu, quem Condate ad Vigennam in Ligerim influentem hoc anno contigiſſe die* 11. *Nouembris Dominicâ ineunte*, 112. *annis præcisè antequam Clodoueus Magnus recederet, probabilius cum eruditiſſimis Chronologis cenſuimus, conſule ſis pag.* 94. *Chronici noſtri Technici excuſam Annotationem pernecessariam de tempore obitus S. Martini Turonenſis Archiepiſcopi, cuius vitam & miracula ſcripſere Seuerus Sulpitius Primuliacenſis ex Aquitania Preſbyter, qui & eodem hoc anno poſt Arbetionis & Lolliani Conſulatum* 45. *Sacram Hiſtoriam libris duobus diſtinctam ſcripſiſſe videtur, Paulinus non Nolanus Epiſcopus, ſed Petrocorius dumtaxat Preſbyter, Venantius Fortunatus, Gregorius Turonenſis, aliíque. Diſcipuli S. Martini per ea tempora multi extiterunt, & in iis præter Paulinum ac Seuerum, SS. Clarus cuius epitaphium carmine ſcripſit S. Paulinus ep.* 12. *ad Seuerum, Maximus, Martinus vterque, tum qui apud Sanctonas quieſcit, tum qui apud Briuam Curretiam vicum in Lemouicibus, Macarius, eiúſque ſocij Caſſianus & Caſtor, aliíque.*



QVINTVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM, FRANCORVM, GOTHORVM, VANDALORVM.

Ab anno Domini IESV 401. *M.* 4454. *Romæ* 1154. *ad annum Christi* 500. *M.* 4553. *Romæ* 1253.

QVADRINGENTESIMO PRIMO ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNO, Gainæ ab Vlde Hunnorum duce dum Danubium traiicere pararet interfecti caput hastili præfixum allatum est CP. die 3. Ianuarij. Vnde patet in Marcellino legendum Gainam occisum fuisse mense Decembrio non Februario. Maris Pontici superficies ita gelu frænata est, vt per 30. dies soluta tandem glacies instar montium per Propontidem supernè portata decurreret. Theodosius iunior patre Arcadio nascitur die 10. Aprilis. S. Porphyrius Gazensis Episcopus veniens CP. impetrat ab Imperatore Marnæi templi subuersionem. De contentione inter Theophilum & S. Ioannem Chrysostomum videndus Prosper in Chronico Consulari. Carthaginense Concilium, dictum V. hoc anno celebratum, Præside Aurelio die 18. Iunij, editis Canonibus 14. Eodem quoque anno iterum conuentum Carthagine Idibus Septembris Vincentio & Frauitâ Coss. actúmque de Donatistis Clericis saluo honore recipiendis, & scriptæ ad Anastasium Papam literæ.

Anno Christi CCCCII. Theodosius iunior in loco, quo pater patruúsque suus, hoc est ad Hebdomum, creatus est Augustus in Tribunali mense Audynæo die 10. vel vt alij 17. Ianuarij. S. Anastasius I. Romanus Pontifex obiit die 27. Aprilis, cùm sedisset annos 4 mensem vnum, diésque 13. Successit S. Innocentius I. die Dominica 18. Maij ad annos 15. Solis facta defectio die 11. Nouembris feria tertia, non secunda, vt habet Idatij Chronicon. Pollentiæ in Italia aduersus Gothos

vehementer vtriusque populi clade pugnatum est, inquit Prosper, cui iunge Claudianum, Orosium, Iornandem, Isidorum, alios, qui aiunt obsessum Alaricum à Stilicone fuisse dimissum. S. Epiphanius cum Chrysostomo super Origenis libris altercatus Constantinopoli discessit. Hunc in Hebdomo Diaconum ordinasse scripsit Socrates, quod alij in dubium reuocant. Celebratum est in Numidia Mileuitanum I. Concilium die 27. Augusti: quo tempore teste Prospero S. Augustinus plurima libris innumerabilibus differebat.

Anno Christi CCCCIII. Marina Arcadij filia nascitur die 10. vel 11. Februarij. S. Ioannes Chrysostomus C P. Antistes Eudoxiæ Augustæ multis de causis exosus, ea impellente, à Theophilo Alexandrino, aliisque Episcopis, Chalcedone in suburbio, quod ad Quercum dicebatur, damnatus exul Cucusum Armeniæ oppidum mittitur; sed populo tumultuante reuocatur, & ab Episcopis plusquam 30. restituitur. Verùm cùm ad argenteam Eudoxiæ statuam ludos fieri prohibuisset, inde iterùm turbæ. Idatius Eudoxiam vocat Arianam, nisi fortè satius sit legere aduersariam. Chronicon Alexandrinum docet post eiectionem S. Chrysostomi repentè conflagrasse magnam Ecclesiam cum Senato, & Arsatium Episcopum in æde Apostolorum die 26. Iunij feria secunda fuisse creatum, quod alterum anno 405. dumtaxat conuenit Lit. Domin. A. nisi fortè legendum sit ϛωϵ ϛ. Carthaginense Concilium VI. die 25. Augusti ex omnibus Africæ prouinciis in causa Donatistarum, vt ad Ecclesiam reducerentur. *Seuerus ex disciplina S. Martini vitam eius tribus explicat libris, ait Prosper, seu quis alius auctor Chronici à Pithœo editi.*

Anno Christi CCCCIV. S. Paula die 26. Ianuarij tertia sabbati Bethleemi sanctissimè obdormiuit in Domino post solis occubitum, cùm vixisset annos 56. menses 8. dies 21. Honorio Aug. VI. & Aristæneto Coss. vt disertis verbis legitur apud Hieronymum ad calcem Epistolæ 27. S. Ioannes Chrysostomus iterùm eiicitur in exilium in villam, quæ Comana dicitur, in regione Ponticâ. Hæc eiectio consignata dicitur à Socrate die 16. Iunij, nam alij id factum volunt circa Paschales ferias. Ecclesiam C P. flamma ignis, quæ de beati Ioannis throno, vt ait Marcellinus, quondam Episcopi nata fuit, subitò conflagrauit, vicinámque Ecclesiæ vrbis faciem serpens

exuſſit : quò referenda ſunt, quæ anno præcedenti retulimus ex Chronico Alexandrino. Grando magnitudine nucum cecidit die 30. Septembris, ſeu potius ipſis Kal Octobris ſabbato, & quatriduo pòſt ſiue 6. die Octobris feria quinta menſe Hyperberetæo Eudoxia Auguſta obiit, & depoſita eſt in templo SS. Apoſtolorum die 12. eiuſdem Octobris feria quarta. Eunapius apud Photium codice 77 definit in anno quo Ioanni in exilium pulſo ſubſtitutus eſt Arſacius, docétque iam tum Eudoxiam obiiſſe. Idem quoque Marcellinus Comes aſſerit aliíque antiquiores, nam recentiores Græculos non moror: multi partium Chryſoſtomi Epiſcopi aliíque veniunt ad Innocentium, quem volunt congregata Italiæ Epiſcoporum Synodo, ad Honorium Imp. ſcripſiſſe, vt apud Arcadium precibus ſuis & auctoritate cogendam Theſſalonicæ Synodum extorqueret. Honorius idem ſæculares ludos & gladiatoria fieri ſpectacula permiſit, vt queritur, qui tum ſcribebat anno ætatis 57. Prudentius Hiſpanus Poëta. Carthaginenſis Synodus die 26. Iunij, ex qua decreta legatio ad Honorium pro coërcendis Donatiſtis. S. Auguſtinus Felicem Manichæum Hippone Regio conuincit, & ad damnandam hæreſim adigit. Idatius ait bellum ciuile fuiſſe ex tertio Kal. Septembres: quò fortè referes verba illa Proſperi: Sæua Italiæ Barbarici motus tempeſtas incubuit, Radagaiſo Rege Gothorum Italiæ limitem tranſgreſſo. S. Innocentius Papa epiſtolas ſcripſit ſingulari doctrina ac pietate refertas *ad S. Victricium Ep. Rotomagenſem, quem Paulinus valdè deprædicat, ob prædicatam Neruiis ac Morinis Chriſtianam fidem, & S. Exuperium Toloſanum Antiſtitem, de quo non ſemel, nec ſine ſumma virtutum omnium commendatione S. Hieronymus.*

Anno Chriſti CCCCV. S. Ioannes Chryſoſtomus Cucuſi rigore hiemis, penè confectus Arabiſſum Armeniæ transfertur. Arſacius moritur die 11. Nouembris poſt ſedem menſium 14. Iſauri per montem Tauri diſcurſantes ingens diſpendium reip. importarunt, quibus Narbazaicus legatus maius continuò rependit incommodum. *Franci Godigiſclum Vandalorum Regem occiſis ſuorum 20. millibus acie fundunt.* Renati Profuturi Frigeridi veteris Hiſtorici pauca in eam rem verba accipe ex Gregorio Turonenſi libro 2. Hiſt. Franc. cap. 9. Interea Reſpendial Rex Alanorum, Goare ad Romanos tranſgreſſo, de re-

gno agmen suorum conuertit, *Vandalis Francorum bello laborantibus*, Godigiscio Rege absumpto, acie 20. fermè millibus ferro peremptis, cunctis Vandalorum ad internecionem delendis, ni Alanorum vis in tempore subuenisset. Rhadagaisus paganus & Scytha postquam cum ducentis millibus suorum totam Italiam inundasset, multásque vrbes deuastasset, hoc vel seq. anno, tertiâ exercitus sui parte à Stilicone vsque ad internecionem deletâ mulctatus, in Fesulanis montibus in Tuscia tandem occisus est, ipsius capite amputato ab Huldin & Saro Hunnorum Gothorúmque Regibus, qui captiuos eius singulis aureis distraxerunt, vt habet Marcellinus. Honorius Imp. Donatistas in Africa insectatur, quorum plerique ad Ecclesiam redeunt: sícque intelligendus Idatius in Fastis, dum scribit: Stilicone II & Anthemio Coss. inter Catholicos & Donatistas vnitas facta. Toletanum I. Concilium in Hispania celebratur die 7. Septembris, & Carthaginense in Africa die 13. Augusti.

Anno Christi CCCCVI. Theodosius iunior quinquennalia dedit, inquit Marcellinus, verùm rectiùs in annum sequentem & diem Ianuarij 10. differas cum Chronico Alexandrino. Innocentij Papæ legati in itinere pessimè habiti, re infectâ in Italiam redierunt. S. Samuelis reliquiæ die 19. Maij CP. delatæ sunt, pompam ducentibus Arcadio Augusto, Anthemio Præfecto Prætorio, Æmiliano Præfecto Vrbis, & Senatu vniuerso; atque ad tempus in magna Ecclesia repositæ. Atticus Sebastia Armeniæ oriundus quarto post obitum Arsacij mense ex monacho fit Ep CP. *Vandali cum Sueuis & Alanis pridie Kal. Ianuarias, siue vltimo huius anni die prope Moguntiacum traiecto Rheno Gallias ingressi per Germaniam primam effunduntur, eáque vastatâ in Belgicam, aliásque prouincias penetrant. S. Hieronymus exitium ac miserrimam cladem Galliarum aliquo ex sequentibus proximè annis his verbis exposuit in epistola ad Agerucham: Innumerabiles & ferocissimæ nationes vniuersas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes & Pirenæum est, quod Oceano & Rhodano includitur, Quadus, Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni, &, ô lugenda respublica! hostes Pannonij vastarunt*, &c. *Moguntiacum nobilis quondam ciuitas capta atque subuersa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longâ obsidione deleti. Remorum vrbs præpotens* (inde sancti Nicasij

Episcopi, Eutropiæ sororis eius, aliorúmque Christianorum sub Vandalis martyria à Flodoardo aliísque descripta) *Ambiani, Atrebatæ, extremíque hominum Morini, Tornacus, Nemetæ, Argentoratus, transłati in Germaniam, Aquitaniæ, Nouémque populorum, Lugdunensis & Narbonensis prouinciæ, præter paucas vrbes, populata sunt cuncta: quas & ipsas foris gladius, intus vastat fames: non possum absque lacrymis Tolosæ facere mentionem, quæ vt huc vsque non rueret S. Exuperij Episcopi merita præstiterunt*, &c. Huius verò mentio admonet me epistolæ S. Paulini, cuius fragmentum exhibet Greg. Turonensis libri 2. Hist. Francorum cap. 13. *Si enim hos videas dignos Domino Sacerdotes, vel Exuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel Venerandum Aruernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petrocoriis, vtcumque se habent sæculi mala, videbis profectò dignissimos totius fidei religioníque custodes.* S. Hieronymus hoc eodem anno scripsit aduersus Vigilantium, siue vt vocat Dormitantium, origine Calagurritarum, sed patria aut commoratione Conuenam. *Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundauit. Exortus est subitò Vigilantius*, &c. *nimirùm respondet generi suo, vt qui de latronum & Conuenarum natus est semine, quos Cn. Pompeius edomitâ Hispaniâ, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæi iugis deposuit, & in vnum oppidum congregauit, vnde & Conuenarum vrbs nomen accepit, huc vsque latrocinetur contra Ecclesiam Dei, & de Vectonibus, Arbacis, Celtiberíque descendens portet nequaquam vexillum Christi, sed insigne diaboli*, &c.

Anno Christi CCCCVII. *diuersarum gentium rabies Gallias dilacerare exorsa*, inquit Prosper, *immissu Stiliconis natione Vandali, indignè ferentis filio suo regnum negatum.* Iis debacchantibus Marcus quidam, deinde Gratianus, & post eos Constantinus in Britannia militari tumultu tyrannidem arripiunt. *Hic sub autumnum huius anni Bononiam appulit cum exercitibus Britannicis, & conducto milite ex Gallia & Aquitania prouincias illas* barbarorum incursionibus fœdè discerptas iis in Hispanias fugere, aut in Germaniam redire cōpulsis in ditionem redegit, ac tantisper recreauit. Olympiodorus testatur ad Honorium legatos misisse excusantes inuitum se & à militibus coactum imperium suscepisse, veniam postulare societatémque Imperij: Imperatorem verò propter impendentes molestias tantisper acquie-

uisse. Constantinopoli cisterna maxima iuxta porphyreticam Constantini Magni Imp. columnam in foro eius constructa est. S. Ioannes Chrysostomus obiit Comanis in regione Ponticâ die 14. Septembris ætatis 52. sedis 9. cum mensibus 6. & diebus 20. & à religiosa Orthodoxorum plebe in atrio S. Basilisci Episcopi & Martyris reconditus est, eiusdem Martyris admonitu in nouo móxque reperto sepulcro, vt narrat Marcellinus Comes alieno quamuis loco, nimirum sub Indictione prima Coss Theodosio iuniore & Rumorido. Concilium Carthagine Idibus Iunij, ex quo decreta est ad Imperatorem Honorium legatio aduersus Donatistas & paganos.

Anno Christi CCCCVIII. *Constantinus tyrannus propagato vsque ad Cottias Alpes, quæ Galliam ab Italia separant, imperio, Regiam sedem Arelate fixit, filiúmque suum Constantem, qui Monachus fuerat, Cæsarem declarauit. Limenius Præfectus prætorio Galliarum Ticinum fugiens ad Honorium Imp. militari tumultu oppressus fuit.* Arcadius Imperator Orientis vitæ finem fecit Kalendis Maij anno ætatis 31. cùm imperasset à morte patris annos 13. menses tres & dies 15. THEODOSIVS iunior octennis puer solus in oriente imperat sub cura Pulcheriæ sororis, Anthemij V. C. Præfecti Prætorio, & Antiochi pædagogi, cui Isdigerdes Persarum Rex educationem illius principis ab Arcadio sibi testamento legatam vice sua commiserat. Stilico genere Vandalus, cuius duce filiæ Maria & Thermantia Honorio Imp. nupserant, quòd Alanos, Sueuos, Vandalósque contra regnum Honorij excitasset, filiúmque suum Eucherium paganum & aduersus Christianos insidias molientem Cæsarem ordinare cupiens saluti Imperatoris tenderet insidias, Rauennæ ferro mortem excepit consilio Olympij viri à Christianis Scriptoribus valdè commendati, manu verò Heracliani, qui huius præclari facinoris præmium accepit Africæ præfecturam. Alaricus per Italiam debacchatus, *cùm ab Imperatore Gallias ad habitandum accepisset donatione sacro oraculo confirmata, & collecto suorum exercitu ad eas à Genserici Vandalorum Regis aliorúmque barbarorum incursionibus vindicandas tenderet*, à Stilicone qui ingentes illas barbarorum copias euocarat, ex insidiis ipso sacro Paschæ die armis petitus est. Verùm Romanis victis fugatísque, tantam eorum vlturus perfidiam, Romam ipsam orbis

Theodosius.

caput

caput aggredi ſtatuit, ac per Italiam iterùm Gothos ſuos diffudit. Carthagine Synodus habita eſt tum 16. Iunij, tum ſublato iam è viuis Stilicone die 13. Octobris, ex quâ miſſi Legati ad Imp. Honorium, qui rata voluit eſſe omnia, quæ aduerſus Gentiles & Donatiſtas crebris legibus fuerant ſuperioribus annis ab ipſomet ſancita. Vticæ in foro Traiani terra diebus ſeptem mugitum dedit, inquit Proſper; at Marcellinus id contigiſſe Romæ docet in foro Pacis.

Anno Chriſti CCCCIX. Alaricus Gothorum Rex, cum Athaulfo vxoris ſuæ fratre, aliiſque Ducibus trepidam vrbem Romanam inuadit obſeſſámque capit die 24. Auguſti, vt quidam ex Theophane tradunt, partem eius cremauit incendio, multíſque ditatus ſpoliis Gallam Placidiam Honorij Imp. ſororem captiuam cum pluribus aliis ſecum abducit ſexto quàm ingreſſus fuerat die. Id factum fuiſſe æra 447. anno Olymp. 297 primo inchoato ſiue Iphitæo 1185. à primis Palilibus 1162. Honorij Imp. ab obitu patris 15. multis veterum ſcriptorum teſtimoniis confirmari poteſt, quanquam nonnulli in ſequentem annum Romam à Gothis captam differre malint. Idatius aliíque referunt, cùm intra & extra vrbem cædes agerentur, omnibus indultum fuiſſe, qui ad Sanctorum limina confugerunt. Attalus Romæ circa ea tempora acclamatus eſt Imperator, qui anno ſequenti priuatus regno Gothis ceſſit, vel cohæſit, vt legunt alij in Proſperi vulgari Chronico. Rauennam caſtris poſitis ab Attalo fuiſſe obſeſſam, miſſóſque ad eum ab Honorio Iouium ſiue Iouianum Præfectum atque Patricium, alióſque Legatos pluribus narrat Olympiodorus Thebæus, ad quem plura annotauimus, quæ non eſt opus hoc loco recenſere diffuſiùs. Serena Siliconis vxor paullo poſt cædem filij ſui Eucherij ſuffocata dicitur, quod Alarici ad Vrbem aduentus cauſa extitiſſe putaretur. Apud CP. magna exarſit populi ſeditio ob penuriam annonæ, exuſtúmque Monaxij Præfecti Vrbis prætorium; & Romæ hoc vel ſeq. anno Zoſimus refert in Circenſibus ludis, Attalo tum abſente, ſucclamatum fuiſſe: Pretium pone humanæ carni. Prætereo, quæ de ἀνθρωποφαγίᾳ aliiſque cladibus, Olympiodorus, Idatius, cæteríque Scriptores memorant. Alani, Vandali, & Sueui ſiue Alamanni *relictis Galliis* Hiſpanias ingreſſi eadem hâc æra 447. die 12. Octobris feria tertia, aut

die 13. feria quarta, vt teſtis eſt idem Idatius, omnia cæde hoſtili deprædati ſunt. Concilium Carthaginenſe die 15. Iunij. *Proculus Maſſilienſis Epiſcopus clarus habetur, inquit Proſper, quo annuente, magna de ſuſpecto adulterio Remedij Epiſcopi quæſtio agitata eſt.*

Anno Chriſti CCCCX. Poſt Conſulatum Honorij VIII. & Theodoſij III. vt habetur in Synodo Carthagine habitâ die 14. Iunij, vel Flauio Varane ſolo Conſule Orientalium partium, quòd Roma tunc à Gothis teneretur, inquit Proſper. Sunt tamen, qui Tertullum adiungant ab Attalo & Gothis creatum, cuius nomen è Faſtis expunctum eſt. Multi ex Chronographis hoc demum anno Romam ab Alarico captam volunt. Verùm ille redacto in ordinem & ad priuatam ſortem Attalo, cum exercitu Campaniam vaſtauit, & Rhegium vſque Brutiorum metropolim profectus eſt, vt in Siciliam traiiceret. Vnde vi tempeſtatum expulſus, multíſque in conſpectu ſuorum miſerabiliter abreptis ac demerſis, dum rediret, Conſentiæ mortuus eſt, & in medio Baſentij amnis alueo ſepultus. Succeſſit ei Athaulfus, qui ab hac expeditione reuerſus Romam eandem iterum deprædatus eſt, & ſecum Placidiam abduxit, quam neque hoc anno, vt pleríque, neque in vllâ Italiæ vrbe in vxorem duxit, *ſed Narbone dumtaxat poſt quadriennium*, vt ſuo loco dicemus. Debacchantibus per Hiſpanias Barbaris & ſæuiente peſtilentiæ malo fames dira graſſata eſt, adeò vt humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint deuoratæ: matres quoque necatis vel coctis per ſe natorum ſuorum ſint paſtæ corporibus: beſtiæ occiſorum cadaueribus adſuetæ in quoſque etiam fortiſſimos irruebant. *Conſtantini tyranni Præfectus Prætorio fuit Apollinaris auus Sidonij, & in Hiſpanias cum Conſtante Cæſare & Terentio Duce miſſus eâ paullò poſt dignitate priuatus eſt. Gaiſo genere Francus Comes Sacrarum Largitionum, deinde Magiſter Officiorum Honorij Imp. fuit.* Ruffinus Aquileienſis Preſbyter in Sicilia obiit, & Syneſius Ptolemaïdis in Cyrenaicâ ordinatus eſt Epiſcopus. Errant, qui Seuerum Sulpitium hoc anno vitâ exceſſiſſe affirmant, cùm ſuperuixerit Hieronymo, vt docet S. Auguſtini ep. 205. & à Pelagianis in ſenectute deceptum fuiſſe doceat Gennadius Preſbyter Maſſilienſis. S. Marcella vidua & Pammachius obierunt. Heraclianus Comes multis iniuriis affecit Probam, Iulianam filiam, atque ex ea neptem Demetriadem, quæ cum aliis mul-

tis in Africam se receperant. *Gerontius*, inquit Zosimus, *barbaros in Galliis ad defectionem contra Constantinum impulit. Quibus cùm ille non restitisset, quòd maior copiarum eius pars esset in Hispaniis, cuncta pro libito inuadentes Transrhenani, eò tum incolas Britanniæ, tum quasdam nationes Gallicas redegerunt, vt ab imperio Romano deficerent, arbitratúque suo viuerent. Itaque Britanni, & totus tractus Armoricus, cæteræque Gallorum prouinciæ sumptis armis ciuitates suas à barbaris imminentibus liberarunt, eiectis Magistratibus Romanis. Ita Britanniæ Celticarúmque gentium defectio facta, quo tempore Constantinus tyrannidem vsurpabat.* Videnda quoque quæ Renatus Profuturus Frigeridus apud Greg. Tur habet de Gerontio Hispaniarum Præfecto, qui dum Constantinus nullo ex Italia metu gulæ & ventri indulgebat, Maximum vnum ex Clientibus suis ad imperium prouexit, &c.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCXI. *Constantinus tyrannus per Honorij duces Constantium & Vulfilam apud Arelatense oppidum victus & captus est, cuius filium Constantem in Hispaniâ regnare exorsum Gerontius Comes in Maximum quendam (non filium, sed famulum, aut è familiaribus vnum in ordine Domesticorum militantem) tyrannidem transferens interemerat, inquit Prosper. Olympiodorus pluribus ista narrat: Dum Constante de medio sublato eius quoque patrem persequeretur, Constantius & Vulfilas ab Honorio aduersus eundem Constantinum missi, cùm Arelatem peruenissent, vbi tyrannus cum Iuliano filio agebat, hanc obsident. Constantinus (victo à Romanis Edobico Franco, qui cum Francicis auxiliis suppetias laturus adueniebat) ad templum confugiens Sacerdos ordinatur, iureiurando de salute illi dato. Sic vrbis portæ obsidentibus militibus apertæ sunt, missúsque est cum Iuliano filio ad Honorium. Ille verò minimè ignoscens ob interfectos cognatos suos quatuor, ad 30. à Rauenna milliaria (Renatus Profuturus Mincium amnem designat) contra iurisiurandi fidem interfici iubet: eiúsque caput in conto allatum est die 18. Septembris, teste Idatio.* Gerontius iisdem Constantio & Vulfilâ insequentibus fugam arripuit, cúmque impotentiùs exercitui præfuisset, suorum insidiis appetitus, igne in ædes iniecto, vxorem suam Nonnechiam, séque interemit. Maximus exutus purpura, & à militibus destitutus ad fœderatos confugit Barbaros, & in Hispania exulauit. Plura de his, qui volet, consulat nostras ad Olympiodorum Notas. Barbari qui se in Hispaniam infu-

derant ad pacem ineundam conuerſi, ſorte ad habitandum prouincias ſibi diuiſerunt. Galleciam Vandali occuparunt & Sueui ſitam in extremitate Oceani maris occidua, Alani Luſitaniam & Carthaginenſem prouincias, Vandali denique cognomine Silingi Bœticam. In Africa coram Marcellino Tribuno ab Imp. miſſo Kalendis Iunij P C. Varanis Carthagine in Secretario Thermarum Gargilianarum cum Donatiſtis habita eſt à Catholicis Collatio, cuius extant Acta. Honorius Romæ Vicennalia, Theodoſius verò iunior C P. decennalia dedit, quo tempore redacto in ordinem Antiocho Perſa, ſola Pulcheria Orientis imperium adminiſtrare cœpit. Syneſius Ptolemaïdis Epiſcopus collectâ Synodo Andronicum Pentapolitanæ Prouinciæ præfectum excommunicauit.

Anno Chriſti CCCCXII. *Iouinus vir Galliarum nobiliſſimus, quem Flodoardus libro primo Hiſtoriæ Remenſis vocat Chriſtianiſſimum Romanæ militiæ magiſtrum, apud Moguntianum Germaniæ vrbem ſtudio Goaris Alani & Guntiarij ſeu Gundicarij Burgundiorum Præfecti, φυλάρχου, tyrannidem adſumpſit.* Cui vt ſe adiungeret Ataulfo auctor fuit Attalus. Sarus Honorio infenſus, cùm ad Iouinum pergeret, ab Ataulfo oppreſſus eſt. Iouinus fratrem ſuum Sebaſtianum Imperatorem creans inuito Ataulfo in eius odium incurrit. *Gothi Alpes tranſgreſſi Gallias ſibi ab Honorio traditas prædari incipiunt; Narbonem ingreſſos eſſe vindemiæ tempore teſtis eſt Idatius.* Iouini tyrannidem anno ſuperiori inchoatam videor mihi ex Renati Profuturi verbis eruere apud Greg. Turonenſem: *Vix dum quartus obſidionis Conſtantini (Arelate) menſis agebatur, cùm repente ex vlteriori Galliâ nuncij veniunt, Iouinum adſumpſiſſe ornatus regios & cum Burgundionibus, Alamannis, Francis, Alanis, omníque exercitu imminere obſidentibus. Ita acceleratis moris reſeratâ vrbe Conſtantinus moritur.* Et poſt pauca idem refert: *Iiſdem diebus præfectus tyrannorum Decimius Ruſticus ex officiorum Magiſtro, Agrætius ex Primicerio Notariorum Iouini, multique nobiles apud Aruernos capti à Ducibus Honorianis, & crudeliter interempti ſunt. Treuerorum ciuitas à Francis direpta incenſáque eſt ſecunda irruptione.* quæ omnia ad annum præcedentem haud dubiè pertinent: ad aliquem verò ex ſequentibus iſta: *Eodem tempore Caſtinus Domeſticorum Comes expeditione in Francos ſuſceptâ ad Gallias mittitur. Eodem tempore, quo Gothi Rege Athaulfo Gallias ingreſſi ſunt, Heros vir ſanctus & B. Martini diſcipulus, cum Arelatenſi op-*

pido Episcopus præsideret, à populo eiusdem ciuitatis insons pulsus est, inque eius locum Patroclus ordinatus amicus & familiaris Constantij Magistri militum, cuius per ipsum gratia quærebatur: quæ res inter Episcopos illius regionis magnarum discordiarum materia fuit. Idem Patroclus, in alio Chronico, *dicitur infami mercatu Sacerdotia venditare ausus:* Cælestius Scotus Pelagij Britanni discipulus à Paulino Diacono Hæresis conuictus, & Carthagine in Synodo damnatus, ad Innocentium Romanum Pontificem appellauit. Hac quippe tempestate (verba sunt Prosperi) Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam Christi Cælestio & Iuliano adiutoribus exerit, multósque in suum errorem trahit, prædicans vnumquemque ad iustitiam voluntate propriâ regi, tantúmque accipere gratiæ, quantum meruerit; quòd peccatum Adæ ipsum solum læserit, non etiam posteros eius obstrinxerit, vnde & volentibus possibile sit omni carere peccato; omnésque paruulos tam insontes nasci, quàm primus homo ante præuaricationem fuit; nec ideò baptizandos, vt peccato exuantur, sed vt Sacramento adoptionis honorentur. Fragmentum huius Concilij extat apud Augustium de peccato originali libro 2. cap. 2. & 3. Illud verò celebratum fuisse fermè ante quinquennium quàm cogeretur Synodus in eadem vrbe anno 416. docet epistola Synodalis, quæ est ordine 90. inter Augustianas. Cirthæ quoque in Numidiâ mense Iunio Concilium habitum fuit aduersus Donatistas. Vide 152. inter epistolas S. Augustini. Iouinianus hæreticus in Boam insulam ab Imperatore relegatus est, & Donatistæ peruicaces multis pœnis affecti. Theophilus Patriarcha Alexandrinus obiit die 18 Octobris, cui post triduum S. Cyrillus eius nepos subrogatus est die 22. Octobris. Hic non secus atque Atticus C P. Antistes S. Ioannis Chrysostomi nomen in diptycha retulit.

Anno Christi CCCCXIII. Industriâ viri strenui, qui solus Tyranno non cesserat, Dardani Ataulfus, qui post Alaricum Gothis imperitabat, à societate Iouini auertitur; Sallustius quoque & Sebastianus occisi. *Valentia nobilissima Galliarum ciuitas à Gothis effringitur, ad quam se fugiens Iouinus contulerat;* inquit Pithæanus Prosper ex emendatione nostrâ; quam confirmat Olympiodorus, qui hæc habet: Iouinus fratrem suum Sebastianum Imp. creans in eius odium incurrit. Ataulfus

itaque per internuncios capita se tyrannorum missurum, pacémque initurum Honorio pollicetur. Hi domum vbi redierunt, Sebastiani mox caput Imperatori mittitur. Iouinus etiam ipse ab Ataulfo obsessus se dedidit, missúsque ad Imperatorem est, quem Dardanus Præfectus Prætorio (cuius præfecturæ meminerunt lex 117. de Decurionibus Cod. Theod. & Hieronymi ad eum epistola) sua manu percutiens interemit. Vtriusque caput extra Rauennam palis infixum est. Ex quibus constat lapsum esse Idatium, *qui fratres illos à ducibus Honorij oppressos Narbone interfectos esse scripsit. Ataulfus iis peractis, dum Placidia à Constantio repeteretur, dolo Massiliam intercipere tentauit: Verùm à Bonifacio Comite nobilissimo vulneratus, & vix saluo capite fugiens in sua se tentoria recepit, vrbe omissâ quæ lætitiæ plena laudibus immensis Bonifacium prosecuta est. Burgundiones Gundicario Rege partem Galliæ propinquam Rheno obtinent*, testibus Prospero, Cassiodoro & Hermanno Contracto in Chronicis. Heraclianus, quem Lucij seu Luciani in Consulatu collegam fuisse hoc anno Prosper insinuat, nouarum in Africâ rerum reus, & honorem amisit, & vitam: quæ pluribus exequuntur Idatius & Marcellinus in Chronicis: Heraclianus Africæ Comes cum septingentis nauibus & multis militum millibus ad Vrbem Romanam tendens occursu Marini Comitis territus, & prope Vtriculum conflictu superatus cæsis 50. hominum millibus effugit in Africam arreptâ naue, & paullò pòst à missis ab Honorio percussoribus Carthagine in æde Memoriæ interfectus est. Bona ipsius ac facultates ab Honorio vnâ postulatione Constantium accepisse scribit noster Olympiodorus, cuius vultum, moréque, & Consulatum pluribus exponit.

Anno Christi CCCCXIV. Honorij ab obitu patris 20. æræ Hispanicæ 452. Constantio & Constante Coss. *Ataulfus*, teste Idatio, *apud Narbonam Placidiam duxit vxorem*: in quo prophetia Danielis putatur impleta, qui ait filiam Regis Austri sociandam Regi Aquilonis. Olympiodorus rem omnem accuratius cæteris exposuit hoc modo: *Ataulfo studio ac consilio Candidiani nuptiæ cum Placidia conueniunt. Ianuario mense nuptiis dictus dies, Narbone Galliæ vrbe, in domo Ingenij cuiusdam primarij eius vrbis viri. Versus canuntur epithalamij Attalo præcinente, dein Rustacio atque Phœbadio*, &c. Ataulfus nato sibi è Placidia filio, cui

Theodosio nomen dedit, Romanam ampliùs rempublicam amare videbatur. Extinctum autem postea infantem vehementer vterque parens luxit, argenteáque capsa conditum iuxta Barcinonem in templo quodam sepelierunt. *Attalus Vvesigothorum consilio atque præsidio tyrannidem resumit in Galliis, teste Prospero, qui in alio Chronico refert ingentem in Galliis famem, & Aquitaniam Gothis fuisse traditam. Constantius Comes in Arelatensi vrbe consistens Gothos Narbone Martio expulit, & in Hispaniam abire coëgit.* Honorius Imperator rata esse iussit acta contra Donatistas à Marcellino Tribuno spectabilis memoriæ, quem hoc, non superiore anno, die 6. Aprilis, vt Martyrologia docent, Donatistæ ex insidiis interfecerunt, conniuente Marino Comite, qui post superatum in Vtriculo Heraclianum, in Africam missus fuerat, ad ordinandam prouinciam; vt pleniùs narrat Orosius. Pulcheria Theodosij iunioris soror Augusta appellata est die 4. Iulij, & die 30. Decembris dedicatæ sunt in Senatu pectorales statuæ tres, ἀφιερώθησαν τῇ ἁγίᾳ τῇ συγκλήτῳ Ονωρίου καὶ Θεοδοσίου Αὐγούστων, καὶ Πουλχερίας Αὐγούστης ἀπὸ Αὐρηλιανοῦ δὶς ἐπάρχου τῶν ἱερῶν σεκρετείων, &c. in Chronico Alexandrino.

Anno Christi CCCCXV. Attalus à Gothis ad Hispanias migrantibus neglectus, & præsidio carens, Constantio Patricio viuus offertur, inquit Prosper, qui etiam mortem Ataulfi subiungit à quodam suorum illatam. Verùm illam non aliunde meliùs hauries, quàm ex Olympiodori Excerptis apud Photium: Interficitur deinde & Ataulfus ipse, dum equos suos in stabulo de more contemplatur, à Gotho quodam eius domestico, Dobbij nomine. Vernulfum vocat Iornandes, Idatius apud Barcinonam inter familiares fabulas iugulatum narrat: Orosius verò annum designat ab vrbe condita 1168. quod cum nostris ratiociniis bellè conuenit. Pergit Olympiodorus noster; Moriens Ataulfus fratri suo iniunxit, vt Placidia redderetur, & Gothi cum Romanis concordiam inirent. At qui successit factione ac vi potiùs, quàm successione ac lege creatus, Sari frater Sigericus Ataulfi è priore coniuge liberos vi è sinu Sigesari Episcopi abreptos occidit, atque ipsam Placidiam Reginam pedibus ante equum vnà cum cæteris captiuis ambulare coëgit, ídque toto illo spatio, quod est ab vrbe (Barcinonem intelligit) ad duodecimum vsque lapi-

dem. Septem ille dies cùm regnaſſet, interemptus eſt, eíque ſuffectus Vallia, qui mox vt imperare cœpit, fœdus cum Honorio Imp. & Conſtantio Patricio pepigit, tum Placidiam reddidit Euplutio Magiſtriano, vt ex eodem Olympiodoro diſcimus, & Romanorum cauſa in Hiſpania Vandalis, Silingis, Alanis, Sueuíſque multas cædes intulit. Regnaſſe alij tradunt annos omnino tredecim: nos cum eruditioribus regnum eius ad quinque vel ſex dumtaxat protendimus. *Burdegalam Gothi hoc vel præcedente anno abeuntes incenderunt: Vaſatas obſederunt quidem, ſed non ceperunt, quantum colligere poſſumus ex Euchariſtico V. C. Paullini iunioris.*

Namque profecturi Regis præcepto Ataulfi, &c.

Sub huius anni Conſulibus Honorio X. & Theodoſio VI. S. Stephanus primus Martyr reuelatus eſt S. Preſbytero Luciano die 3. Decembris feria ſexta, præſidente Hieroſolymis Ioanne. Extant, inquit Idatius in Faſtis, epiſtolæ ſupradicti Preſbyteri, & S. Auiti Preſbyteri Bracarenſis de his geſtis. Marcellinus conſonat his verbis: Lucianus preſbyter vir ſanctus, cui reuelauit Deus his Coſſ. locum ſepulcri & reliquiarum corporis S. Stephani primi Martyris, ſcripſit ipſam reuelationem Græco ſermone ad omnium Eccleſiarum perſonas. Concilium Dioſpoli in Palæſtinâ celebratur ab Epiſcopis 14. in quo Pelagius errores ſuos retractauit, & fuco iudicibus ſuis facto abſolutus eſt, *cùm non potuiſſent ei adeſſe Heros & Lazarus Epiſcopi Gallicani.* Alexandriæ menſe Martio ὑπὲρ αὐτῶν turbæ ingentes Alexandriæ, & ſimultas inter S. Cyrillum Ep. & Oreſtem Præfectum Auguſtalem, cuius occaſione Hypatia Theonis Mathematici filia eruditiſſima ab Alexandrinis membratim conciſa eſt. At Conſtantinopoli, vt docet Auctor Chronici dicti Alex. Theodoſius iunior Quindecennalia dedit die 11. Ianuarij, & renuntiata eſt mors Thermantiæ die 30. Iulij feria 6. & die 24. Septembris feria itidem ſexta nuncius allatus eſt de nece Ataulfi in partibus ſuperioribus, non Africæ (vt de ſuo inſeruit Raderus) ſed Hiſpaniæ, & ſeq. die Circenſia peracta. Die verò Dominica 10. Octobris dedicata eſt Magna Eccleſia C P. (quam dudum igni crematam docet Marcellinus) cùm priùs ſecunda eiuſdem menſis die ſabbati (τῇ ἐξ Νωνῶν Ὀκτωβρίων legendum res ipſa admonet) inductæ fuiſſent SS. Ioſephi Iacobi filij, & Zachariæ patris S. Ioannis Baptiſtæ

ptiſtæ reliquiæ, geſtantibus Attico Ep. C P. & Moſe Antaradeno Phœnicis Ep. pompam verò præeunte Vrbi Præfecto. Adiungit idem auctor Anonymus dedicatam fuiſſe ſtatuam auream ἀνδριάντα χρυσοῦν in Senatu Imp. Theodoſij ab eodem Aureliano iterum Præfecto prætorij & Patricio.

Anno Chriſti CCCCXVI. Placidiam Theodoſij ſenioris filiam, quam Romæ Gothi ceperant, quámque Ataulfus coniugem habuerat, Vallia pacem Honorij expetens reddit; eiúſque nuptias Conſtantius Patricius promeretur: inquit Proſper: addítque Pelagianos ab Innocentio Papa prædamnatos Afrorum vigore, ac maximè Auguſtini Epiſcopi induſtriâ, & ſcientiâ oppugnatos fuiſſe. Quibus verbis reſpexiſſe videtur ad Synodos duas hoc anno in Africâ celebratas: primam Carthagine, cùm literas ab Oroſio allatas *ab Herote & Lazaro Gallicanis Epiſcopis* accepiſſent 67. Epiſcopi, quorum Synodalis epiſtola ad Innocentium Papam extat inter ep. S. Auguſtini ordine 90. Alteram Mileui in Numidiâ, præſide Siluano Primate, in qua iteratò Pelagiani eiuſdem erroris capita damnata ſunt, vt docet Synodalis Epiſtola inter Auguſtinianas 92. Idem aliúſve auctor Chronici à Pithœo editi obſeruauit Prædeſtinatorum hæreſim, quæ ab Auguſtino, ſiue ab Auguſtini libris malè intellectis accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſam. Oroſius preſbyter Hiſpanici generis, cuius ſupra facta mentio eſt, libros ſeptem Hiſtoriarum ab initio mundi vſque ad ætatem ſuam perduxit, S. Auguſtini hortatu, à quo pro diſcenda animæ ratione in Palæſtinam ad S. Hieronymum miſſus, reliquias B. Stephani, tunc nuper inuentas, rediens primus intulit Occidenti, teſte Marcellino, à quo etiam diſcimus Atticum C P. Ep. ſcripſiſſe ad reginas Arcadij Imp. filias de fide & virginitate librum valdè egregium, in quo præueniens Neſtorianum dogma impugnarit. Ioannem Ep. Hieroſolymitanum obiiſſe hoc anno, eíque ſuffectum Praylium, quidam ex Nicephori Chronico contendunt, cùm tamen eius anno 419. tanquam adhuc ſuperſtitis meminerit Idatius in Faſtis: qui auctor in Chronico Fredibalum Regem gentis Vandalorum ſine vllo certamine ingeniosè captum ad Imp. Honorium deſtinatum narrat. Ex Porphyretica columna, in qua Conſtantinus Magnus Imperator ſtetit, ab inferiori parte auulſus

est noctu ingens lapis die 28. Martij, illucescente feria tertia, inquit Chron. Alexandrini auctor, addítque die 28. Iunij ob victoriam de Attalo tyranno reportatam celebratos fuisse theatrales ludos, editore Vrso Vrbis Præfecto, & die 7. Iulij Equestres ob eandem causam. Tum die 30. Septembris sabbato Theodosium Imp. CP. Heraclea reuersum ab eodem Vrso & Senatu in Foro Theodosiano aurea corona ornatum fuisse: quæ omnia firmissimis inter se nexibus vincta Chronologiam nostram apprimè iuuant. Fugerat me pene Rutilius Claudius Numatianus natione Gallus Religionis Christianæ ac Monachorũ hostis infensissimus, qui hoc anno Vrbis Romanæ 1169. carmine elegantisimo ad Venerium Rufinum scribebat ὁδοιπορικὸν, siue Itinerarium suum, cuius liber secundus maximam partem mutilus est. In primo his versibus Romam compellat.

Quamuis sexdecies denis & mille peractis
Annus præterea iam tibi nonus eat.

Errant haud dubiè, qui Tolosanum fuisse asserunt, cùm de Victorino potiùs intelligendi videantur hi quatuor versus:

Victorinus enim nostræ pars maxima mentis
Congressu expleuit mutua vota suo.
Errantem Tuscis considere compulit agris
Excolere externos capta Tolosa lares.

Anno Christi CCCCXVII. Olympiodorus noster Constantij cum Placidiâ nuptias in huius anni Calendas Ianuarias differre videtur, cùm ait: Honorium postquam ipsa vehementer detrectasset, tandem illo ipso die, quo XI. Consulatum & Constantius II. inierunt, inuitam sororem suam manu arreptam Constantio in manum tradidisse, nuptiásque splendidè celebrasse. Hinc natam filiam Honoriam, tum Valentinianum filium, qui mortuo Honorio, & disiectâ Ioannis tyrannide, postea imperauit. Honorius Romam cum triumpho ingreditur, præeunte currum eius Attalo, quem postea truncatâ manu exulem viuere iussit in Lipara insula ἀχρωτηριαζόμενον, qua de re ex Philostorgio aduersus eius interpretem disputauimus in nostris ad Olympiodorum annotationibus pag. 93. Innocentius I. Romanus Pontifex postquam Concilij Mileuitani anno superiore, vt diximus, celebrati Synodicæ respondisset die 27. Ianuarij, obiit, non die 28. Iulij, sed ex Bedæ Adonísque Martyrologiis die 12. Martij, cùm sedisset an-

nos 14. menſes 9. & dies 24. Succeſſit Zoſimus non die Auguſti 19. ſed Aprilis ſecunda, vel etiam antea, vt multa perſuadent aduerſus Baronium eiúſque ſequaces, *ac nominatim epiſtola ad Epiſcopos Galliarum de priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis, quam à Patroclo Herotis & Lazari hoſte, eiúſque ſummo fautore Conſtantio extortam eſſe magna ſuſpicio eſt, data ſub huius anni Coſſ. die 22. Martij.* Cætera omitto. Illi verò minus rectè Marcellinus Comes tribuit annos tres. Proſper in Chronico Conſulari eodem infectus eſt mendo, & Zoſimi exordia anno ſuperiori collocat. Verùm vel Auctorum vel exſcriptorum potiùs incuria luxatas eſſe in pleriſque Chronicorum Proſperi, Marcellini, Idatij, Marij, Caſſiodori, Victoris, aliorúmque, vt de Mariano, Hermanno, Sigeberto, Reginone, Vrſpergenſi Abbate, ſimilibúſque ſileam, periochas ſuíſque ſedibus perperam motas iampridem conquerimur. Teſtis eſt vel ſequentis anni appendix, in qua Valentinianus ex Conſtantio & Placidia natus aſſeritur. *Zoſimus à Patroclo eiúſque fautoribus circumuentus Herotem Lazarúmque Epiſcopos traduxit in epiſtolâ ad Africanos Epiſcopos datâ,* & Cæleſtium, eiúſque doctorem Pelagium callida diſſimulatione innocentiam ſanámque doctrinam mentientes ad communionem admittit. *Bricius ille Epiſcopus à Lazaro, vt dicitur, falſis criminationibus in Taurinenſi Concilio accuſatus creditur quibuſdam eſſe Turonenſis S. Martini ſucceſſor. Quod ſi verum eſt, aut ſaltem bus in diſcrimen vocatus eſt Bricius, aut corrigenda, quæ apud Greg. Turonenſem extant temporum deſignata interualla. Plures eiuſdem Zoſimi habentur epiſtolæ ad Hilarium Narbonenſem, ad Maſſilienſes, ad Epiſcopos per Gallias & ſeptem Prouincias conſtitutos, ipsúmque adeò Patroclum Arelatenſem, cuius maxima tum erat apud Conſtantium auctoritas & in Pelagij hoſtes incenſum odium.* Cybira Aſiæ ciuitas, aliquantáque prædia terræ motu demerſa, vt docet Marcellinus: at Chronicon Alex. præſcribit diem Paraſceues, quo Dominus noſter IESVS CHRISTVS paſſus eſt Aprilis 20. hoc enim anno Conſtantinopolitani cum Alexandrinis Paſchalem ſolemnitatem ritè peregerunt die 22. Aprilis, Latini autem quidam non ritè die 25. Martij, vt docet Paſchaſini Lilybetani Epiſcopi ad S. Leonem epiſtola. Falluntur verò Vendelinus, eiúſque exſcriptor Chiffletius in nupera Childerici Regis Anaſtaſi, & ante eos eruditiſsimus Henſchenius in Diatriba Traiectenſi, & ſi qui alij Faramundi initia hoc anno

collocant. Cùm enim in primigenia Petri Pithœi editione, in Ducheſnianâ, ac noſtrâ ex MSS. codicibus expreſsâ, Proſper in ſuo Chronico poſt Solis defectionem FARAMVNDVM regnaſſe in FRANCIA aſſerat, & ille Solaris defectus omnium eruditorum conſenſu, non ſolum ex Idatio, Marcellino, & Faſtis Siculis, ſed etiam ex antiquiore his omnibus Philoſtorgio Ariano (qui eum ipſis oculis vſurpare potuit, quíque eum ait hora diei octaua contigiſſe) in anni ſequentis Iulium menſem differendus ſit, à veritate prorſus alieni cenſendi ſunt, qui vno anno anticipare voluerunt Ioſephi Scaligeri in Theſauro temporum ductum ſequuti, vbi ſolita audacia contra Pithœanam editionem Faramundum Solari eclipſi præmiſit, ne annus Honorij XXV. ſua periocha carere videretur.

Anno Chriſti CCCCXVIII. Plinta Comes, idémque rebellis apud Palæſtinam prouinciam deletus eſt, & ſtella ab Oriente per ſeptem menſes ſurgens ardénſque apparuit, inquit Marcellinus. In Africa duo Concilia celebrata ſunt: vnum Teleptenſe in prouincia Byzacena die 24. Februarij P. C. Honorij XI. & Conſtantij II. cui Donatianus eiuſdem vrbis Ep. præfuit: alterum Carthagine 214. Epiſcoporum Kalendis Maij, in cauſa Pelagij eiúſque Sectatorum, cuius decreta cùm ad Zoſimum Papam perlata fuiſſent, & ab eodem probata, per totum mundum, vt ait in Chronico Proſper, hæreſis Pelagiana damnata eſt. Idem præmiſit, Conſtantium ſeruum Chriſti ex Vicario Romæ habitantem & pro gratia Dei deuotiſsimè Pelagianis reſiſtentem, factione eorumdem multa pertuliſſe, quæ illum ſanctis Confeſſoribus ſociauerunt. Eius memoria quotannis recurrit in Faſtis Eccleſiaſticis die vltimo ſeu 30. Nouembris. Videndum quoque de Pelagiani dogmatis damnatione Honorij reſcriptum in Baronij Annalibus, & S. Auguſt. pluribus locis, ſed præſertim ep. 157. & cap. 3. lib. 2. contra duas Epiſtolas, &c. *S. Amator Antiſiodorenſis Ep. obiit Kalendis Maij feria quarta, cui ſuffectus eſt S. Germanus ad annos* 30. *& dies* 25. *ex Conſtantio eius vitæ ſcriptore.* Zoſimus Papa, cùm Legatos miſiſſet in Africam in cauſa Apiarij preſbyteri, qui ab Vrbano Siccenſi Ep. ob ſcelera ſua depoſitus Romam appellauerat, obiit die 26. Decembris, poſtquam ſediſſet annum vnum, menſes 8. & dies 25. Succeſsit die 28. eiuſdem menſis creatus

Bonifacius, cui à Schismaticis oppositus fuit ex aduerso Eulalius, de quibus dicendum anno sequenti. Vandali Silingi in Bæticâ per Valliam Regem Wisigothorum omnes extincti: Alani quoque ab iisdem adeò cæsi sunt, vt extincto Addace siue Atace eorum Rege, pauci, qui superfuerant, abolito regni nomine, Gunderici regis Vandalorum, qui in Gallecia resederat, se patrocinio subiugarent. Memorata iam Solis Eclipsis accidit die 19. Iulij in Parasceue seu die Veneris, vt docet Chron. Alex. cui de die 14. Kal. Augusti adstipulatur Idatius, apud quem feria 5. pro 6. temere irrepsit. Huius occasione scriptum ab Augustino de Eclipsi librum par est credere, quem cum aliis sanctissimi Doctoris lucubrationibus in Indice memorat Posidius. *Post eam Eclipsim electum fuisse à Francis Faramundum Regem suadere videtur Pithœanum Prosperi Chronicon. Verùm cùm in pluribus laterculi annorum seu loculamenta distorta sint, vix vt quicquam inde certi Chronologus expiscari queat, & Honorij imperium ab obitu patris inchoatum duobus saltem annis auctius ibidem appareat, non est cur à communissima sententia recedamus, quæ in anno Christianæ æræ circiter 420. Francici regni fundamenta collocat. Honorius Imp. ad Agricolam Præfectum prætorio Galliarum emisit Constitutionem de celebrando quotannis Arelate Conuentu septem Galliæ Prouinciarum, quam integram exhibuit Sirmundus, suóque auctori restituit in notis ad Sidonij Epithalamium Polemij & Araneolæ, datam 15. Kal. Maias & acceptam Arelate 10. Kal. Iunias, DD. Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. Coss. Is verò quem Parentem Patriciúmque suum vocat, haud dubiè Constantius est, quem nemo ignorat Arelatensibus plurimùm fauisse in gratiam Patrocli Ep. aliásve ob causas nobis ignotas. Romani è Britanniis abeunt Barbarorum metu in Gallias*, &c.

Anno Christi CCCCXIX. Coss. Monaxio & Plinta, quem à Comite Plinta anno superiore in Palæstina oppresso distinctum arbitror, Aetius Præfectus Vrbi C P. die 23. Ianuarij Dominicâ, cùm ex Magna Ecclesia peractis precibus pararet abitum, vocatus ad palatium à quodam Cyriaco grauiter vulneratus est. Romæ verò Eulalio Antipapa, cui fauerat Symmachus, sententia Honorij Imp. eiecto, die 25. Martij Bonifacius Romanum Pontificatum obtinuit ad an. 4. *Is eodem anno Idibus Iuniis dedit literas ad Episcopos per Gallias & septem Prouincias constitutos de Maximo Valentinæ Vrbis Episcopo variis crimini-*

bus accusato, vt absque dilatione in Synodo prouinciæ causa illius discuteretur. Wesigothi per Constantium Patricium ex Hispaniis intermisso, quod gerebant cum Barbaris, certamine reuocati, *Sedes in Aquitania secundâ & quibusdam confinium prouinciarum ciuitatibus à Tolosâ vsque ad Oceanum acceperunt*, vt docent Idatius, Prosper, Isidorus, Paulus, seu quis alius Auctor Miscellæ, Sigebertus, aliique. Neque Vallia regnũ illud Tolosanum diu possedit, cùm hoc vel sequẽti anno obierit, teste Idatio, qui Theodorem seu Theodoricum ei substituit, antequam de Valentiniani ortu verba faciat. Olympiodorus videtur paullò longiores moras trahere, dum post Constantij obitũ Theuderichum Walliâ morte absumpto Gothorum imperium obtinuisse scribit. Neque tamen in Iornandis eorúmque qui Valliæ 13. annos tribuunt patrocinium adduci potest, cùm non vltra annum Christi 425. porrigatur Olympiodori Hyle. Inter Gundericum Vandalorum & Hermericum Sueuorum Reges certamine orto, Sueui in Neruasis montibus obsidentur à Vandalis, qui dimissa paullo post eâ obsidione, instante Asterio Hispaniarum Comite, & sub Vicario Maurocello, aliquantis Bracaræ in exitu suo occisis, relictâ Gallecià ad Bæticam transierunt. Valentinianus Constantij & Placidiæ filius natus est hoc anno die 2. vel 3. Iulij apud Rauennam, vt ex Idatio, Marcellino, Olympiodoro, aliisque indiciis aliàs docuimus aduersus Prosperum, eiúsque adstipulatores, qui anno superiori natales illos adscribunt. *In Gallicana regione in ciuitate Biterris multa signa effecta terrifica, Paulini eiusdem vrbis Episcopi enarrabat epistola, quæ periit*. Multæ Palæstinæ ciuitates villæque terræ motu collapsæ. Dominus noster IESVS CHRISTVS super montem Oliueti Hierosolymis vicinum sese de nube manifestauit. Multæ tunc vtriusque sexus vicinarum gentium nationes sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniúmque baptizatorum in tunicis Crux Christi Saluatoris, diuinitatis nutu, extemplo impressa refulsit. Eò referendum, quod sub huius anni Coss. Idatiani memorant Fasti: S. Ioannem Hierosolymorum Episcopum epistolam direxisse per Ecclesias orbis terratum de signis terroribúsque diuinitus perpetratis. Verùm ea pariter periit. Obiit die 28. Septembris S. Eustochium Virgo annis 15. post obitum S. Paulæ matris cum quâ 20. degerat annis. Pinianus & Melania peragratâ Ægypto

Hieroſolymam veniunt, & monaſteriis ſe mancipant. Concilium Carthaginenſe VI. dictum occaſione Nicænorum Canonum & Apiarij preſbyteri celebratum fuit à die 25. Maij, ſubſcriptíque Synodicæ ad Bonifacium Papam 217. Epiſcopi, in quibus Auguſtinus Hipponeregienſis & Alypius Tagaſtenſis. In eo peracta videtur, ſaltem confirmata, Collectio Canonum Africanorum ex diuerſis Conciliis, quæ ſub Aurelio Epiſcopo Carthaginenſi coacta fuerant ab anno 393. ad hunc annum, quo labente die 26. Nouembris iterum congregati ad Romanum Pontificem miſerunt literas cum Canonibus Nicænis ab Oriente acceptis.

INCIPIVNT
FRANCORVM REGVM
ANNALES ACCVRATISSIMI.
PRIMA DYNASTIA MEROVEADARVM.

Ab anno CCCCXX. *ad* DCCLI.

Faramundus.

NNO CHRISTI CCCCXX. FARAMVNDVM *primum Francorum Regem, Sirmondus, Petauius, Bucherius, Ducheſnius, Miræus, aliíque viri eruditiſſimi hactenus collocarunt: quorum ſententiæ ſubſcribendum ſatius ſemper exiſtimaui, quàm de meo nouam architectari, cùm præſertim neque de eo Gregorius noſter Turonenſis vel verbulum fecerit, nec geſta Regis illius à quoquam Veteri ſcriptore expoſita ſint, ac Proſperi Pithœani, Sigeberti, ſimiliúmque Chronologorum auctoritas ac fides in pleríſque vacillet. Hoc ergo primùm anno iacta arbitramur Francici Regni fundamenta, quod ſub ſexaginta Regibus, præſertímque ſub Clodouæo, Clotariis, Carolo Magno, Philippo Auguſto, S. Ludouico, Valeſiis Principibus, Borboniíſque Henrico Magno & Ludouicis* IVSTO *atque* ADEODATO *ad tantum dignitatis, potentiæ, pietatíſque faſtigium excreuit, vt nihil in totâ Europâ ad noſtram vſque ætatem ſimile, nihil in vniuerſo orbe comparandum potuerit hactenus reperiri. Quod conſequentibus ſæculis, Deo iuuante, ex ditiſſimo venerandæ antiquitatis penu, coætaneíſque, quantum*

fieri

fieri poterit, Scriptoribus, ſtrictim quidem, ſed accuratè & ſedulò, conabimur demonſtrare. Sigebertum ſolent noſtri Hiſtoriographi plerique omnes veluti ducem optimum ſequi, cùm tamen & ipſe ſæculo dumtaxat æræ Chriſtianæ duodecimo vixerit, & multos in errores & parachroniſmos fœdiſſimè lapſus ſit. Quod non erit difficile vel ipſis Tironibus intelligere, qui Chronicon eius cum hoc Compendio noſtro conferre voluerint. Huius de primis Francorum auſpiciis hæc fuit ſententia: *Sunnone & Marcomiro Francorum Ducibus defunctis, Franci in commune deliberant, vt & ipſi, ſicut aliæ gentes, vnum Regem habeant, & filium Marcomiri Ducis Faramundum ſibi Regem ordinant, qui regnauit annis non* 11. *ſed* 8. *dumtaxat.* Tum poſtea: *Franci vti cœperunt legibus, & legem Salicam dictauerunt per IV. gentis ſuæ Proceres, electos de pluribus, his appellatos nominibus, Vſogaſt, Boſogaſt, Salagaſt, Vvidigaſt, in villis Germaniæ Salehaim, Bodohaim, Vvindohaim. Hi IV. Proceres per tres mallos cauſſarum origines ſollicitè tractantes, de ſingulis diſcutiendo, ſicut lex Salica declarat, iudicare decreuerunt.* Hæc ille: de quibus plura Gottefridus Vendelinus, aliíque coniectores Belgæ, Germaníque, quæ reſpuit excutere diligentiùs conciſa noſtri Compendij breuitas. *Cæterum Faramundi huius meminerunt præter citatos Proſperum & Sigebertum, Rorico Monachus libro primo, Geſta Regum Francorum cap.* 4. *quorum auctor Theodorici II. Francorum Regis & Caroli Martelli æqualis dicitur fuiſſe, Ado Viennenſis Arch. in Chronico, Aimoinus Monachus libro* 1. *cap.* 4. *Hugo Floriacenſis, Moiſſiacenſe Chronicon,* &c *vt omittam veteres Genealogias ſiue Stemmata Regum Francorum. Legem verò Salicam habes pag.* 316. *Codicis Legum Antiquarum à Friderico Lindenbrogio concinnati, cui præfixa ſunt hæc aurea verba quæ hîc in primo Francicorum noſtrorum Annalium veſtibulo velut auſpicaciſſimum elogium vncialibus deſcripta literis non pigebit appendere.* VIVAT QVI FRANCOS DILIGIT. CHRISTVS EORVM REGNVM CVSTODIAT. RECTORES EORVMDEM LVMINE SVÆ GRATIÆ REPLEAT. EXERCITVM PROTEGAT. FIDEI MVNIMINA TRIBVAT. PACIS GAVDIA ET FELICITATIS TEMPORA DOMINANTIVM DOMINO IESV CHRISTO PROPITIANTE CONCEDAT. *Hæc eſt enim gens, quæ parua dum eſſet numero, fortis robore & valida duriſſimum Romanorum iugum de ſuis ceruicibus excuſſit pugnando. Quæ etiam poſt agnitionem veræ fidei,* &c. *quæ ex antiquo etiam Codice MS. Bibliothecæ Thuanæ*

extant pag. 250. Tomi primi Ducheſnianæ Collectionis hoc initio : Gens Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, corpore & candore egregia, profunda in conſilio, in pacis fœdere firma, genere nobilis, audax, velox, & aſpera, &c. *Quæ veriſſimæ laudes, ringantur licet ſuóque ſe liuore conficiant hoſtes Francorum capitaliſſimi, caneſcent ſeclis innumerabilibus, nec vmquam auſpice Chriſto marceſcent.* Nunc ad alia pergamus. S. Hieronymus in monaſterio Bethlemitico obiit pridie Kal. Octobres annos natus vel 91. vel 89. vel 78. vt quidem contendit Baronius. In Oriente tumultum milites excitarunt, ductorémque ſuum, Maximinum nomine, extinxerunt. In Perſide in Chriſtianos perſecutio deſæuit : de quâ, præter pauca hæc è Marcellino delibata, conſule Philoſtorgium, Socratem, Theodoretum, alióſque iis recentiores. *Leporius Monachus & Preſbyter à Gallicanis Epiſcopis admonitus, & in Africâ per S. Auguſtinum conuerſus, errorem ſuum edito libello retractauit, cuius mentio apud Caſſianum, Gennadium, Facundum, & in epiſtola Epiſcoporum Africæ, quam edidit Sirmondus Tomo I. Conciliorum Galliæ pag. 51. Honoratus, Mineruius, Caſtor, Iouianus ſingulorum Monaſteriorum Patres in Galliis florent.*

Anno Chriſti CCCCXXI. *Faramundi* 2. Conſtantium Patricium ab Honorio in conſortionem Imperij adſcitum non ſeptem integros menſes impleuiſſe conſtans eſt Olympiodori aliorúmque ſententia fatali illo ſomnio ſubnixa, *Sextus abiit, ſeptimus inchoatur.* Quo fit vt aſſentiri nequeam Proſpero, qui in Faſtis Agricola & Euſtathio Coſſ. Conſtantij mortem collocat, cùm anno præcedente donatum Imperatoria dignitate ſcribat : multo minus Idatio in Chronico Conſtantium Imp. Rauennæ mortuum ſub tertio Conſulatu affirmanti : cùm certum ſit ex libro 3. Cod. Theodoſiani adhuc hoc anno 421. Coſſ. Agricola & Euſtathio, ſuperſtitem fuiſſe cum Honorio & Theodoſio Conſtantium paullò ante Kalendas Auguſti. Aberrat quoque in Chronico à V. C. Petro Pithœo edito, ſiue idem, ſiue diuerſus Proſper dum ad annum Honorij XXIX. differt Conſtantij obitum his verbis : *Conſtantio dignitas Imperij* ab *Honorio non ſponte delata : quâ vix octo menſibus vſus interiit, Valentiniano trium annorum filio derelicto.* Omnium accuratiſſimè Theophanes in Codice MS. quem penes nos habemus, niſi quod iugulatum fingat, quem cæteri pleuritide extinctum volunt : τούτῳ τῷ ἔτει Κωνστάντιος ὁ πατὴρ Οὐαλεντι-

πλοῦς ἐξαπίλθοι περὶ ἕξ εἰδῶν Φεβρουαρίου, καὶ ἐσφάγη περὶ δ' νονῶν Σεπτεμβρίου. Certè ab octauo Februarij die ad ſecundum diem Septembris non integri ſeptem fluxere menſes, ſícque ſua ſomnio & Hiſtoricorum teſtificationi veritas conſtat, vt neceſſe ſit falli pleróſque omnes Chronologos, qui cum Proſpero duobus annis Iulianis etſi non integris, Conſtantium imperaſſe aſſerunt, aut vno ſaltem anno mortem eius præuertunt, neque diem quo diademate ornatus, aut quo vita ſimul regnóque exutus eſt, vllâ ratione deſignant. Hæc ex notis ad Olympiodorum, qui Illyrium fuiſſe Conſtantium ex Naiſſo Daciæ vrbe, multáque de eo ſcitu iucunda nos edocuit, quæ reſecare Compendij ſuccincta ratio iubet. Cæleſtius Pelagij ſectator Imperatoris Conſtantij reſcripto dato ad Voluſianum Vrbi Præfectum cum eiuſdem factionis complicibus Româ pellitur. Baronius ex ignorata imperij Conſtantij epochâ, quam mox firmauimus, Reſcriptum illud & edicta cùm Voluſiani illius, tum Præfectorum prætorio retulit anno præcedenti. Idem quoque, aliſque ex eo, Cæleſtis templi Carthagine factam à Chriſtianis Vrſo inſiſtente Tribuno demolitionem, ad annum ſuperiorem reuocant, quæ præſenti conſignanda erat, ex Proſperi verbis in libro de Promiſſionibus & Prædictionibus Dei Parte III. cap. 38. Ille verus Deus ſub Conſtantio & Auguſta Placidia, quorum nunc filius Valentinianus Pius & Chriſtianus imperat, &c. quæ per ocium conſules. Theodoſius Imp. Orientis Eudociam Achiuam, Leontij Sophiſtæ filiam duxit vxorem, inquit Marcellinus Comes. Quam in rem plura ſuggeret Chronicon Alex. ſub huius & ſuperioris anni Coſſ. nuptiis diem aſſignat Iunij 7. addítque Circenſes ludos ſcenicóſque in theatro Circi actos die 11. eiuſdem menſis. Tum ſubiicit Arcadij ſtatuam ſuper columnam cochleatam in foro Arcadij loco Xerolopho dicto erectam fuiſſe menſe Panemo die ſabbati 9. Iulij περὶ ε' εἰδῶν Ἰουλίων, vt emendandum B. litera Dom. huius anni admonet, & de Perſis renunciatam fuiſſe victoriam die Martis menſe Gorpiæo 6. Septembris: quò referenda puto, quæ de Niſibis à Romanis obſidione, & de Varane Perſarum Rege, atque de Alamundaro Saraceno victoriâ narrat Socrates libro 7. cap. 18. Ciſternam Aetij conſtructam notat Marcellinus: Chronicon verò Alex. aquam in Ciſternam Pulcheriæ Auguſtæ immiſ-

ſam eſſe Peritio menſe pridie Kalendas Februarij, præſente Theodoſio Aug. qui hoc anno reſcripſit Conſtantinopolitani Epiſcopi iura ad Illyricum vſque extendi.

Anno Chriſti CCCCXXII. *Faramundi* 3. Eudocia anteà dicta, vt volunt, Athenais filiam enixa eſt nomine Eudoxiam, quæ poſtea Valentiniano III. nupta Eudociam Honoriámque peperit. Inter Tricennalia Honorij Maximus tyrannus & Iouinus ferro vincti adducti de Hiſpaniis ac Rauennam perducti ſublimem ſpectaculorum pompam præbuerunt, móxque interfecti ſunt. Hunni Thraciam vaſtauerunt; Perſæ cum Romanis pacem pepigere. Exercitus ad Hiſpanias contra Vandalos miſſus eſt, cui Caſtinus ex Comite Domeſticorum Magiſter militiæ dux fuit: qui Bonifacium virum bellicis artibus præclarum inepto & iniurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate auertit. Nam ille periculoſum ſibiatque indignum ratus eum ſequi, quem diſcordem ſuperbientémque expertus eſſet, celeriter ſe ad Portum Vrbis, deinde ad Africam proripuit: ídque Reipublicæ multorum laborum & malorum ſequentium initium fuit. Accipe quæ Idatius in Chronico: Caſtinus Magiſter militum cum magna manu & auxiliis Gothorum bellum in Bæticâ Vandalis infert. quos cùm ad inopiam vi obſidionis arctaret, adeò vt ſe tradere iam pararent, inconſultè publico certamine confligens, auxiliorum fraude deceptus ad Tarraconam victus effugit. *Patroclum Arelatenſem Epiſcopum effrænis audaciæ hominem reprimit Bonifacius Papa, ſcripta Coſſ. Honorio XIII. & Theodoſio X. Augg. die 9. Februarij epiſtolâ ad Hilarium Narbonenſem Metropolitam, in cuius prouinciâ Luteuenſem ille ordinarat Epiſcopum, contra Synodi Nicænæ ſanctiones: ex quibus & S. Leonis Papæ literis ſuſpecta falſitatis meritò habentur pleraque ex iis quæ ex Patrocli ſuggeſtione continentur in Zoſimi epiſtolis.*

Anno Chriſti CCCCXXIII. *Faramundi* 4. Honorius Imp. Auguſtam Placidiam ſororem ſuam cum Valentinianofilio filiáque Honoria expellit, quæ C P. ad Theodoſium profecta eſt. cuius vxor Eudocia creata fuerat Auguſta die 2. Ianuarij Audynæo menſe. Olympiodorus docet ſolum Placidiæ ſeruaſſe fidem Bonifacium virum Heroïcum, qui Africæ præerat, quem non ſolùm ipſe, ſed Auguſt. quoque, Proſper, aliíque impensè laudarunt. Honorius morbo aquæ intercutis Rauen-

næ vel die 15. Auguſti ex Theophane, aliíſque, vel ex Olympiodoro die 27. eiuſdem menſis extinctus, ſtella ardente crinitâ, fatale munus impleuit, inquit Marcellinus: Vixit an. 39. imperauit poſt mortem patris an. 28. cum ſeptem menſibus, à primâ verò inauguratione annos 30. minus duobus menſibus & aliquot diebus: Dein porphyretico tumulo in atrio baſilicæ S. Petri Romæ conditus. Philoſtorgius à Gotofredo editus manifeſtiſſimo errore exceſſum Honorij retulit ad annum præcedentem ſub Conſulatu Theodoſij X. & Honorij XIII. Ioannes ex Primicerio Notariorum nullo iure ſibi debitum imperium arripuit, multíſque vulneratum cladibus reliquit, conniuente Caſtino Magiſtro militum, de quo antea dictum eſt. S. Bonifacius I. Papa obiit die 25. Octobris cùm ſediſſet annos 4. menſes 9. dies 28. cui poſt nouem dies ſuffectus eſt 3. Decembris Cæleſtinus eius nominis primus. Longobardorum ſecundus regnat Lamiſſus. Euagrius ſcripſit altercationem Iudæi Simonis & Theophili Chriſtiani, quæ penè omnibus nota eſt, inquit Marcellinus, cuius etiam operâ nouimus Philippum & Saluſtium Philoſophos morbo periiſſe; & terræ motum multis in locis fuiſſe, frugúmque ſubſecutam inopiam. Chronicon Alex. diem frequentium illorum terræ motuum adſcribit μιᾷ ξαν θικῷ, ἡμέρᾳ δευτέρᾳ, περὶ ε'. ſic enim legendum, non ζ. ἰδῶν Ἀπριλλίων, ὥρᾳ δεκάτῃ. Dies Lunæ fuit 9. non 7. Aprilis, Lit. Dom. G. Theodoretus Cyri in Syria creatus eſt Epiſcopus, cùm monaſticam primùm vitam exercuiſſet, & Antiochiæ populum docuiſſet. Eius opera quatuor Tomis à Sirmondo noſtro G. & L. edita teruntur omnium manibus. Theodoſium poſt obitum patrui Honorij monarchiam tenuiſſe imperij, cùm eſſet annorum 26. affirmat Idatius, ſed falsò: certum quippe eſt natum anno 401. ſub Honorij mortem annum ætatis 23. tantùm attigiſſe.

Anno Chriſti CCCCXXIV. *Faramundi* 5. Theodoſius Valentinianum Amitæ ſuæ Placidiæ filium Conſtantinopoli Cæſarem facit, eíque filiam Eudoxiam deſpondet, miſſis ad recipiendum Occidentem copiis, ducibus Ardaburio, eiúſque filio Aſpare, Candidiano quoque & Felice, qui ex Magiſtro Militum Patricius ordinatus eſt. Olympiodorus teſtatur C P. Placidiam Auguſtæ nomen, Valentinianum verò Nobiliſſimi titulum iteratò ſuſcepiſſe. Cúmque Theſſalonicam

ventum esset, Helionem Magistrum officiorum à Theodosio missum Valentinianum Cæsaris veste induisse annos natum non ampliùs quinque. Cùm verò in Italiam peruenissent, Ardaburium à Tyranni militibus captum fuisse, atque à Candidiano plurimas vrbes fuisse occupatas. Dum Africam à Bonifacio reposcit Ioannes, misso aduersus eum Sigisuuldo, ad defensionem sui factus est infirmior, inquit Prosper, qui & alibi scribit muro Carthaginem circumdatam, quæ ex tempore, quo vetus illa destructa est, sanctione Romanorum, ne rebellioni esset, munimento murorum non est permissa vallari. *In Galliis Exuperantius Pictauus Præfectus prætorio Galliarum in ciuitate Arelatensi militum seditione occisus fuit, quod apud Ioannem inultum fuit.* Aetius Gaudentij Comitis à militibus *in Galliis* occisi filius cum Hunnis Ioannis opem laturus Italiam ingreditur.

Anno Christi CCCCXXV. *Faramundi 6.* Ioanne Tyranno Asparis dolis potius, quàm viribus, mirâ felicitate, quam aliqui cum Socrate ad Angelicam opem referunt, victo atque interfecto, & Rauenna deprædatione vastata, Valentinianus decreto Imp. Theodosij Augustus appellatus est, commissa Placidiæ filij sui atque Imperij Occidentalis tutela. Helion Magister officiorum atque Patricius Romam inuasit, omnibúsque eò confluentibus Valentinianum iam septennem veste induit Imperatoria, vt nos docuit Olympiodorus, cuius hæc sunt postrema verba in Bibliotheca Photij. Videndus quoque qui ad hunc vsque annum historiam suam perduxit Philostorgius Arianus. Diem 23. Octobris Hyperberetæo mense inaugurationi Valentiniani assignat Auctor Chronici Alexandrini. Castinus in exilium actus ad Bonifacium in Africam fugere coactus est, vt ex S. Augustini epistolis colligitur. Wandali Balearicas insulas deprædantur: quod enim subdit Idatius eosdem Carthagine Spartaria & Hispali euersa, atque Hispaniis deprædatis Mauritaniam inuasisse post tres tantum annos contigit. *Arelas nobile oppidum Galliarum à Gothis multa vi oppugnatum est, donec imminente Aëtio non impuniti abscederent, inquit Prosper, quæ Idatius referre videtur ad annum ab Honorij obitu sextum his verbis: Per Aëtium Comitem haud procul de Arelate quædam Gothorum manus extinguitur, Anaolfo optimate eorum capto.* Atticus Ep. C P. mortuus est die 10. Octobris, cùm

paullo plus annis 19. sediſſet. Theodoſius Scholarum Profeſſoribus priuilegia decernit, ſcholáſque in meliorem reſtituit ordinem. Valentinianus verò de diuerſis capitibus Eccleſiaſticis *in Galliam* conſtitutionem mittit datam die 9. Iulij, quâ ſancit I. vt priuilegia, quæ Ioannes tyrannus inuiderat Eccleſiis Clericíſque, ſeruentur. II. Clerici ad Sæculares iudices indiſcretim non deducantur. III. Vt pellantur Epiſcopi Pelagiani. IV. Manichæi cum Mathematicis. V. Vt Iudæis cauſas agere aut militare non liceat, nec mancipia Chriſtiana habere, &c. De Rhoilâ Scytharum Nomadum duce, ne in fines Romanorum irrumperet, diuinitus repreſſo plura Socrates & Theodoretus.

Anno Chriſti CCCCXXVI. *Faramundi* 7. Pridie Kalendas Martias Siſinnius Byzantij Epiſcopus factus eſt vir ſanctæ ſimplicitatis, & ſimplicis ſanctitatis, inquit Marcellinus. Gundericus Rex Vandalorum captâ Hiſpali, cùm impiè elatus, manus in Eccleſiam ciuitatis ipſius extendiſſet, mox Dei iudicio dæmone correptus interiit. Cui Gaiſericus frater ſuccedit in regno. Qui, vt aliquorum relatio habet, ait Idatius, effectus apoſtata de fide Catholicâ in Arianam dictus eſt tranſiiſſe perfidiam. *Patroclus Epiſcopus Arelatenſis à Tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur occultâ iuſſione Felicis Magiſtri militum*, cuius etiam impulſu interemptus creditur Titus Diaconus vir ſanctus, Romæ pecunias pauperibus diſtribuens. *Patroclo ſucceſſit S. Honoratus Lirinenſis Abbas, cuius vitam ſiue potius encomium ſcripſit S. Hilarius eius in eadem cathedrâ ſucceſſor. Ab eo diuerſus fuit omnino Hilarius ille, vir Laicus, qui cum Proſpero Aquitano, viro ſimiliter Laico, de reliquiis Pelagianorum ſcripſit ad S. Auguſtinum literas, quarum occaſione ſanctus ille Præſul libros edidit de Prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ.* Idem anno ætatis 72. Sedis Epiſcopalis 32. Etadium ſibi adiutorem elegit, vt diſcimus ex eius epiſtolâ 110.

Anno Chriſti CCCCXXVII. *Faramundus primus Francorum Rex obiiſſe videtur, cùm regnaſſet annos præterpropter octo. Succeſſit* CLODIO, *Cloio, ſeu Claudius, dictus vulgò Comatus, quem* Clodio. *Faramundi filium vix vlli diffitentur etiam ex aduerſariis noſtris.* Proſper Pithœanus ad annum ab Honorij morte quintum hæc habet: *Clodius regnat in Franciâ.* De eodem Principe plura Gregorius Turonenſis libro 2. Hiſt. Francorum cap. 9. *In Conſu-*

laribus legimus Theodemerem regem Francorum filium Richimeris quondam & Aſcilam matrem eius gladio interfectos. Ferunt etiam tunc Clogionem vtilem ac nobiliſſimum in gente ſua Regem Francorum fuiſſe, qui apud Diſpargum caſtrum habitabat, quod eſt in termino Thoringorum, ſiue Tungrorum (de quo mira ariolantur Belgæ quidam Germaníque ſcriptores.) *In his autem Galliæ partibus, id eſt ad meridionalem plagam, habitabant Romani vſque Ligerim fluuium. Vltra Ligerim verò Gothi dominabantur. Burgundiones quoque Arianorum ſectam ſequentes, habitabant trans Rhodanum, qui adiacet ciuitati Lugdunenſi.* Notandum verò hîc obiter à Fredegario Scholaſtico *Clodionem dici Theodemeris filium & ſucceſſorem, éique omnia tribui, quæ alij paſſim Faramundo noſtro aſſignant.* Bonifacio, cuius intra Africam potentia gloriáque augebatur bellum ad arbitrium Felicis (quia in Italiam venire abnuerat) publico nomine illatum eſt Ducibus Mauortio, Gallione, & Sinoce, cuius proditione Mauortius & Gallio, dum Bonifacium obſiderent, interempti ſunt, móxque ipſe à Bonifacio doli detectus occiſus eſt. Exinde Barbaris, qui vti nauibus neſciebant, mare peruium factum eſt, bellíque contra Bonifacium cœpti in Sigiſuultum Comitem cura tranſlata eſt. Thermæ olim dictæ Conſtantinianæ, poſtea autem Theodoſianæ, Hiero iterum Præfecto Vrbi C P. opus promouente, inſtauratæ ſunt, & dedicatæ die 3. Octobris, vt docet Chronicon Alexandrinum. Marcellinus & Iornandes addunt Pannonias, quæ per 50. annos ab Hunnis retinebantur, à Romanis fuiſſe receptas. Siſinnius Ep. C P. cùm interfuiſſet Synodo Sidenſi in Pamphylia aduerſus Maſſalianos, obiit die 24. Decembris. *Caſſianus Abbas, natione Scytha, compertas in Ægypto Patrum doctrináſque & regulas libris ad plurimos datis exponit, teſte Proſpero in Chronico, opera Petri Pithœi primùm edito.*

Anno Chriſti CCCCXXVIII. *Clodio Francorum Rex iuueniliter exultans prima regni ſui auſpicia Marti conſecrata voluit, ſed parum felix primæ illius expeditionis euentus fuiſſe videtur. Vulgatum quippe Proſperi Chronicon ſub Conſulatu Felicis & Tauri hæc habet; atque ex eo Caſſiodorus. Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci poſſidendam occupauerant, Aëtij Comitis armis recepta. At Idatius Aquiflauienſis Epiſcopus, qui ad Aëtium, vt dicemus, miſſus legatus per ea tempora penitùs inſpicere ac rimari potuit, quæ ad eius ſpectabant victorias, Aëtij de Francis victoriam differt in tres quatuórve annos. Aut*

certè

certè dicendum Martios audacéſque Francos cum Romanis ſæpiùs conflixiſſe,& in eorum fines irrupiſſe, donec tandem ſubactis hoſtibus ad Somonam primò, mox ad Moſellam, Ligerim, Garumnam, & Rhodanum, ipsáſque adeò Alpes ac Pyrenæos montes, ſub Clodione, Merouco, Childerico, Clodoueo, eiúſque ſucceſſoribus victorias propagarunt. Porrò præter Proſperum, Sidonium atque Gregorium Turonenſem Clodionis meminerunt Fredegarius in Miſcella cap. 9. Auctor libri de Geſtis Francorum cap. 5. Rorico Monachus libro primo, Vita Sigeberti Auſtraſiæ Regis, Vita Caroli Magni, Ado, Aimoinus, Hermannus, Sigebertus, Hugo, aliíque Chronicorum conſarcinatores & recentiores Hiſtoriographi. Sub iiſdem Conſulibus Vandalos irrupiſſe in Africam teſtatur Chronicon Alex. & Idatius illorum temporum ſcriptor refert Gaiſericum, quem vulgo Genſericum dicimus, de Bæticæ prouinciæ littore cum Vandalis omnibus eorúmque familiis menſe Maio ad Mauritaniam relictis Hiſpaniis tranſiiſſe, cùm paullò ante Hermigarium Sueuorum Regem Luſitaniam deprædantem haud procul ab Emeritâ, quam cum ſanctæ Martyris Eulaliæ iniuria ſpreuerat, viciſſet multis cæſis. Fugiens ille in Anâ fluuio præcipitatus interiit. Eodem teſte conſtat Sueuos ſub Hermerico Rege medias partes Galleciæ depopulantes per plebem, quæ caſtella tutiora tenebat, acta ſuorum partim cæde, partim captiuitate, ad pacem, quam ruperant, reſtaurandam compulſos fuiſſe. Falſa ſunt quæ Iornandes Gothus ſcribit de Wallia Genſericum in Africam abeunte perſequi volente, ſed naufragiis impedito: iampridem enim Walliæ ſucceſſerit Theodericus Weſigothorum Princeps. Neſtorius Antiochia natus, vir ſatis quidem eloquentiæ, ſapientiæ verò parum habens, Conſtantinopolitanis ad modum adnitentibus ex Preſbytero Epiſcopus ordinatus eſt die 10. Aprilis. Hic, vt ait Proſper, nouum Eccleſiis molitus eſt errorem inducere, prædicans Chriſtum ex Maria hominem tantùm, non etiam Deum, natum, eíque diuinitatem collatam eſſe pro merito. Cuius impietati præcipua Cyrilli Alexandrini Epiſcopi induſtria & Papæ Cæleſtini repugnauit auctoritas. B. Ioannis Chryſoſtomi apud Comitatum teſte Marcellino cœpit hoc anno memoria celebrari die 26. menſis Septembris. Cæleſtinus Papa die 25. Iulij ad vniuerſos per Viennenſem & Narbonenſem Prouincias Epiſcopos conſtituros epiſtolam miſit octo capitulis comprehenſam: Sunt qui hoc anno velint Burgundiones petito*

è Galliâ Epi'copo poſt dierum ſeptem ieiunium vndis ſalutaribus fuiſſe initiatos, móxque cum Hunnis congreſſos decem hoſtium millia proſtrauiſſe, vt pluribus narrat Socrates. Verùm alij fortè rectius ad poſteriora referunt tempora.

Anno Chriſti CCCCXXIX *Clodionis* 3. Cùm Agricola Pelagianus Seueriani Epiſcopi Pelagiani filius Eccleſias Britanniæ dogmatis ſui inſinuatione corrumperet, actione Palladij Diaconi Papa Cæleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua miſit, & deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem redegit, inquit Proſper in Chronico: Idémque ſub finem libri aduerſus Collatorem de eodem Cæleſtino hæc habet: Nec ſegniore cura ab eodem morbo Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis (Pelagius quippe Brito fuit) occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit Oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo (Palladio) dum Romanam inſulam (Britanniam) ſtuder ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram (Hiberniam) Chriſtianam. *S. Germanum ferunt in eo itinere, dum Nemetodorum prope Lutetiam Pariſiorum acceſsiſſet, S. Genouefam Deo deſpondiſſe, nummúmque cruce ſignatum ei dotalis arrhæ nomine præbuiſſe.* Orthodoxi Macedonianorum Eccleſiam, extra muros vrbis CP. poſitam abſtulerunt; quòd ij Antoninum Germis Catholicum Epiſcopum interfeciſſent, vt narrat Marcellinus Comes, qui S. Auguſtini mortem non rectè ſubiicit, quem conſtat omnibus eruditis anno demum ſequente defunctum. Poſt Praylium Iuuenalis fit Hieroſolymorum Epiſcopus, de quo Idatius ad annum ab Honorij exceſſu vndecimum: Felice ad Patriciam dignitatem euecto Aëtius Magiſter vtriuſque militiæ factus, *haud procul de Arelate quandam Gothorum manum extinguit, Anaolfo optimate eorum capto.* Iuthungi natio Alemannica per eundem, & Nori ſiue Norici debellati. Cyrilli ad Neſtorium, & huius ad illum, & ad Cæleſtium ſcriptæ hoc anno epiſtolæ.

Anno Chriſti CCCCXXX. *Clodionis* 4. Theodoſius Imperator Tricennalia geſſit. Felix Patricius Rauennæ tumultu occiditur militari. Rem planiùs explicat Proſper: Aëtius Felicem cum vxore Paduſa & Grunitum Diaconum, cùm eos ſibi inſidiari præſenſiſſet, apud Rauennam interimit. Idem Noros edomat rebellantes. S. Auguſtinus Epiſcopus per om-

nia excellentiſſimus moritur 5. Kal. Septembris, inquit Proſper, libris Iuliani inter impetus obſidentium Vandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & gloriosè in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeuerans. Annum ætatis agebat 76. Epiſcopatus 36. Plura de eo Poſſidius, aliíque Scriptores Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. S. Cyrillus coactâ Synodo Legatos quatuor miſit C P. vt Cæleſtini Papæ literas deferrent ad Neſtorium, quibûs decem dierum induciæ ad reſipiſcendum dabantur. Idem adiecit Confeſſionem ſuæ fidei cum 12. anathematiſmis, contra quos Theodoretus Cyri Epiſcopus ſtylum exacuit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCXXXI. *Clodionis* 5. Sueuis initam cum Gallecis pacem turbantibus Idatius Epiſcopus, vt ipſemet in Chronico narrat, ad Aëtium Ducem, *qui expeditionem agebat in Gallis*, legationem ſuſcepit. Et mox addit: *Superatis per Aëtium in certamine Francis, & in pace ſuſceptis, Cenſorius Comes legatus mittitur ad Sueuos, ſupradicto ſecum Idatio redeunte.* CCCCI. anno poſt Chriſtum in cælum aſſumptum ait Auctor Alex. Chronici celebratum eſt Concilium Epheſinum Oecumenicum ordine tertium à pluſquam ducentis Epiſcopis, exeunte menſe Iunio, vbi Neſtorius damnatus & exauctoratus eſt. Hiſtoriam ex Actis ipſius repete, Socrate, aliíſque. *Arcadium Epiſcopum qui primus eſt inter Legatos à Romano Pontifice miſſos, Baronius putauit illum ipſum eſſe, qui Concilio Regenſi poſt annos octo ſubſcriptus reperitur.* Marcellinus Comes ſub anni præcedentis Coſſ. teſtatur à Cæleſtino Romanæ arcis Pontifice Cyrillum Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopum pro tempore Vicarium denunciatum, & in locum Neſtorij Maximianum Epiſcopum ſubrogatum. Proſper in Faſtis, & in libro aduerſus Collatorem, cum Neſtorio docet Pelagianos, qui cognatis confœderabantur erroribus, iterum fuiſſe proſtratos. Eodem auctore liquet, ad Scotos in Chriſtum credentes ordinatum à Cæleſtino Palladium Epiſcopum eodem anno miſſum fuiſſe. Flaccilla Theodoſij ſenioris filia extremum ſpiritum fudit. Theodoſius iunior, dum ad horrea publica proceſſum celebrat tritici in plebe ingruente penuria ab eſuriente populo lapidibus impetitus eſt. Pelagia Antiochena meretrix hoc ferme tempore à S. Non-

no Edeſſeno Antiſtite ad agendam pœnitentiam conuerſa eſt. *Obiit die Iunij 22. S. Paulinus Nolanus Epiſcopus cùm ex Africa impetratis pluribus à Guntharo Geiſerici fratre captiuis, in Italiam ſuam rediiſſet. Natus erat annos 78. vt ex Vranio eius vitæ ſcriptore diſcimus.* Omiſſum ab aliis Idatij de eo iudicium accipe: *Paulinus nobiliſſimus & eloquentiſſimus, dudum conuerſione ad Deum nobilior factus, vir Apoſtolicus, Nolæ Campaniæ epiſcopus habetur inſignis, cui Theraſia de coniuge facta ſoror teſtimonio vitæ beatæ æquatur & merito. Extant operis ipſius egregij ſtudia prædicanda.*

Anno Chriſti CCCCXXXII. *Clodionis 6.* S. Cæleſtinus Papa I. die 6. Aprilis mortuus eſt, cùm ſediſſet annis 8 menſ. 5. & diebus 3. *& paullo ante ad Venericum, Marinum, Leontium, Auxonium, Arcadium, Sillucium, cæteróſque Galliarum Epiſcopos ſcripſiſſet aduerſus Preſbyteros quoſdam, qui relatione Proſperi atque Hilarij, Eccleſiam nouis quæſtionibus turbabant & ſugillare non verebantur Auguſtinum ſanctæ recordationis virum cuius vitam & merita ſemper magni fecerit Sedes Apoſtolica. Huic epiſtolæ ſubiectæ ſunt Præteritorum Pontificum Romanorum auctoritates de gratia Dei & Libero voluntatis arbitrio hoc fine: Profundiores verò difficilioréſque partes intercurrentium quæſtionum, &c. quæ omitto, vt obſeruem non videri mihi probabilem docti viri coniecturam, qui Sillucium illum Epiſcopum eumdem eſſe credidit cum Villicio, qui decimus numeratur in Catalogo Bituricenſium Archiepiſcoporum. I. enim omnium confeſſione fuit S. Vrſinus. II. S. Seuitianus. III. Ætherius. IV. Thecretus. V. S. Marcellus. VI. Viator. VII. Leotherius. VIII. Pauper. IX. S. Palladius X. Vilicius. XI. Auitus S. Leonis præceſſor, ante quem incertiſſima exiſtimo noſtrorum omnium Antiſtitum tempora, quamuis Anonymus MS. Calamæus, Chenutius, Robertus, aliíque certos cuique Pontificalis ſedis annos adſignent ex Indice quodam ſeu ſyllabo MS. in Diptychis eburneis, quæ in Patriarchali S. Stephani Baſilica aſſeruantur. Nos ergo à S. Leone Bituricenſium Epiſcoporum deinceps ordiemur Chronologiam, & ex certis Conciliorum, quibus interfuerunt, veterúmque Scriptorum monumentis, aliíque Temporum characteribus, Chenutij præſertim atque Roberti, eorúmque qui iis adhæſerunt, ſpiſſiſſimos errores obiter ac velut aliud agendo diluemus.* Succeſſit Cæleſtino S. Xyſtus ſeu Sixtus III. creatus die 26. Aprilis ad annos ferè 8. totius Vrbis pace & conſenſione mirabili. Ad eum Preſbyterum Pelagianis valdè infenſum ſcripſerat aliàs S. Auguſtinus, de eo ſæpe Proſper. Theodoſius Imp. Ioannem Antio-

chenum Episcopum cum S. Cyrillo reconciliare conatus est operâ S. Simeonis Stylitæ. Bonifacius in æmulationem Aëtij de Africa per Placidiam euocatus in Italiam ad palatium redit. qui depulso Aëtio in locum eius succedens paucis post mensibus inito aduersus Aëtium conflictu de vulnere, quo fuerat percussus, interiit. Cui Sebastianus gener substitutus de palatio superatus expellitur per eundem Aëtium. Hæc Idatius. Marcellinus verò: Placidiæ instinctu ingens bellum inter Bonifacium & Aëtium Patricios gestum est. Aëtius longiore Bonifacij telo pridie sibimet præparato, Bonifacium congredientem vulnerauit illæsus: tertióque mense Bonifacius vulnere, quo sauciatus fuerat, moritur, Pelagiam vxorem suam valdè locupletem, nulli alteri, nisi Aëtio, vt nuberet, exhortans. Fugam eius Prosper in vulgari Chronico sic enarrat: Aëtius, cùm depositâ potestate (Consularem intelligo quam hoc anno cum Valerio gessit aut vtriusque Militiæ præfecturam) in agro suo degeret, ibíque eum quidam inimici eius repentino incursu opprimere tentassent, profugus ad Vrbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde per Pannonias ad Hunnos, quibus tum Rugila præerat, peruenit: quorum amicitia auxilióque vsus pacem Principum & ius interpolatæ potestatis obtinuit. Subdit iis Idatius Aëtium Ducem vtriusque militiæ Patricium appellatum, Sebastianum verò exulem ac profugum effectum nauigasse ad palatium Orientis. *S. Eucherius ad Valerianum cognatum scribebat hoc anno ab Vrbe condita* 1185. *Paræneticam epistolam: Vt tua, inquit, apud te proferam, cùm ab ortu regni huius* (Romani) *centesimus & octogesimus quintus ferè supra millesimum vertatur annus, quidquid, vel sub illa dominatione Regum vetusta, vel sub illa deinde gemina administratione Consulum Romanorum accessit imperio, omnia Christi aduentui præparata, & diffundendæ fidei prouisa potest, si quis idoneus est assertor, ostendere.*

Anno Christi CCCCXXXIII. *Clodionis* 7. Sixtus Papa à Basso Exconsule & Mariniano accusatus in plenâ Synodo coram Imperatore absolutus est, & Bassus proscriptus, vt docent Synodi illius Romanæ acta, quæ extant. Idem Papa S. Petrum, Chrysologum dictum, Rauennatibus dedit Episcopum. *S. Prosper aduersus Ioannem Cassianum, quem Collatorem vocat, opusculum scripsit.* Maxima pars C P. vrbis, quæ ad Aqui-

lonem vergit, per tres dies continuos incensa collapsáque est mense Augusto, quem Loum appellat auctor Chronici Alexandrini, qui diem 21. Augusti assignat, docétque initio facto à nauali, Horrea, Thermásque Achilleas (sic Raderus vertit τὸ δημόσιον ὁ Ἀχιλεύς) conflagrasse.

Anno Christi CCCCXXXIV. *Clodionis* 8. *Vincentius Lirinensis Monachus aureum aduersus hæreses Commonitorium scripsit triennio post Ephesinam Synodum, vt ipse testis est locuples. Gallia vlterior Tibatonem, siue Attonem, principem rebellionis ecuta, à Romanâ societate di cessit, à quo tracto initio, omnia pæne Galliarum seruitia in Bagaudam conspirauere.* Honoria Valentiniani Imp. soror ab Eugenio Procuratore suo stuprata concepit, palatióque expulsa, ac Theodosio Principi de Italiâ transmissa, Attilam contra Occidentale concitauit imperium. *Gundicarium Burgundionum Regem Belgicas vastasse prouincias ex his Sidonij versibus discere possumus:*

Nam post Iuthungos & Norica Bella, subacto
Victor Vindelico, Belgam (Burgundio quem trux
Presserat) absoluit, &c.

Post Maximianum Proclus factus est C P. Antistes. Melania iunior à Volusiano patruo suo V. C. accita C P. ipsum ad fidem Christianam conuertit.

Anno Christi CCCCXXXV. *Clodionis* 9. *Narbona obsideri cœpta per Gothos. Bellum memorabile contra Burgundionum gentem exarsit, quo vniuersa pæne gens cum Rege per Aëtium deleta. Idatius Burgundionum, qui rebellauerant, cæsa viginti millia affirmat.* Codex Theodosianus promulgatur die 15. Februarij, hunc librum omnium legum legitimorum Principum in vnum collatarum vocat Prosper Pithœanus, qui etiam præmittit: *Capto Tibatone & cæteris seditionis principibus, partim vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotionem conquieuisse*, ac Siluium turbatæ admodum mentis hominem, post militiæ in palatio exactæ munera, aliqua de religione conscripsisse. Forum Theodosij Imp. in loco, qui Helianæ dicitur, ædificatum est. Sebastianus Bonifacij quondam Patricij gener Vrbe C P. fugiens in Africam venit, ibíque interemptus est, sed post aliquot annos, vt suo loco ex Idatij Chronico obseruabimus. Hippone die 11. Februarij cum Genserico Vandalorum Rege per Trigetium Diaconum pax facta est, data eis ad inhabitandum Africæ portione, in-

quit Prosper in Chronico Consulari, *additque Aëtium Gundicario Burgundionum Regi pacem supplicanti dedisse, sed eâ diu non fuisse potitum, quòd Hunni Vptaro Rege eum cum populo suo ac stirpe deleuerint. Successerunt filij Gundiucus atque Chilpericus.*

Anno Christi CCCCXXXVI *Clodionis* 10. Theodosius Imp. Cyzicum nauibus petit, multáque eidem ciuitati munificentiâ præstitâ vrbem Augustam renauigauit. *Idatius testatur Narbonam obsidione liberatam fuisse Aëtio Duce & Magistro militum.* Prosper verò sub huius anni Coss. Isidoro & Senatore hæc habet: *Gothi pacis placita perturbant, & pleráque municipia vicina sedibus suis occupant, Narbonensi oppido maximè infensi. quod cùm diu obsidione & fame laboraret, per Litorium Comitem ab vtroque periculo liberatum est. Siquidem per singulos equites binis tritici modiis aduectis, strenuissimè & hostes in fugam verterit, & ciuitatem annona impleuerit. Ad eadem quoque tempora reuocari possunt, quæ de S. Germano Antisiodorensi & Aremoricis, quos Alanis ob defectionem vlciscendos tradiderat Aëtius, narrant Constantius & Hericus Monachus in illius vitâ.* Post Ioannem Antiochenus creatus est Episcopus Domnus S. Euthymij olim alumnus. Nestorius edicto Theodosij in Oasim deportatur, cuius iam ab anno libros interdictos fuisse atque incendio damnatos docet lex vltima Cod. Theodos. de Hæreticis.

Anno Christi CCCCXXXVII. *Clodionis* 11. *& fortè seq.* conuenire videntur quæ in Pithœano Chronico Prosperi leguntur antequam Carthago à Vandalis caperetur: *Pacatis motibus Galliarum* Aëtius ad Italiam regreditur. *Deserta Valentinæ vrbis rura, Alanis quibus Sambida seu Sangibanes præerat partienda traduntur. Alani quibus terræ Galliæ vlterioris cum incolis diuidendæ à Patricio Aëtio traditæ fuerant, resistentes armis subigunt, & expulsis dominis terræ possessionem vi adipiscuntur. Sapaudia Burgundionum reliquiis datur cum indigenis diuidenda.* Britanniæ vsque ad hoc tempus variis cladibus euentibúsque laceratæ in ditionem Saxonum rediguntur. Hæc ibi, licet per plures annos distributa, incuriâ, vt arbitror, librariorum. Placidus Valentinianus ingressus C P. die 21. Octobris nuptias celebrauit cum Liciniâ Eudoxiâ Theodosij iunioris & Eudociæ siue Athenaidis filia die 29. eiusdem mensis. Errant, qui delectam nuptiis peragendis Thessalonicam vrbem volunt, nixi testimonio Marcellini Comitis, quod ab interpunctione grauiter laborat: sic

enim legendum: eáque sibi nupta, apud Thessalonicam Italiam repetens hiemauit; cùm modò excusum sit: eáque sibi nupta apud Thessalonicam, Italiam, *&c.* Hermericus Rex Sueuorum morbo oppressus Rechilam filium suum substituit in regnum: qui Andeuotum cum sua, quam habebat, manu ad Singilionem Bæticæ fluuium aperto Marte prostrauit, magnis eius auri & argenti opibus occupatis. Bellum aduersus Gothos Hunnis auxiliantibus geritur. In Africa Genserícus Rex Vandalorum intra habitationis suæ limites volens Catholicam fidem Arianâ impietate subuertere quosdam Orthodoxos Episcopos persecutus est, vt pluribus Prosper, qui quatuor Hispanorum Arcadij, Probi, Paschasij, & Eutychiani; nec non Paulilli pueri in defendenda fide constantiam celebrat: S. Cyrilli Paschalis Cyclus annorum 95 cœpit hoc anno, cui suum anno 532. inchoandum substituit Dionysius Exiguus: sunt qui ad hunc quoque dumtaxat annum spectare autument hæc Gregorij nostri verba: *Chlogio missis exploratoribus ad vrbem Camaracum, perlustrata omnia ipse secutus, Romanos proterit, ciuitatem apprehendit: in quâ paucum tempus residens vsque Suminam fluuium occupauit. At Rorico Monachus aliique referunt Clodionem transito Rheno ingressum siluam Carbonariam Turnacensem vrbem cepisse: exinde ad Camaracum vsque properasse, Ambianos occupasse, ibique regni sui sede constitutâ pacato iure quieuisse.*

Anno Christi CCCCXXXVIII. *Clodionis* 12. Reliquiæ S. Ioannis Chrysostomi Constantinopolim relatæ sunt magnâ pompa, ibidémque sepultæ die 27. Ianuarij 35. anno postquam Comanis depositus est, inquit Socrates. S. Ignatij Antiocheni Episcopi reliquiæ in Fortunæ templum illatæ. Inuenta quoque SS. XL. Martyrum corpora. Eudocia Augusta Theodosij vxor Hierosolymam venit, ibíque annum morata S. Stephani Ecclesiam condidit. Barbari fœderatorum desertores, qui piraticam ab anno superiore exercere ceperant, hoc anno multas insulas, sed præcipuè Siciliam vastauere. Cotrades prædo cum comitibus suis piratis captus & interfectus est. Valentinianus Augustus ex Oriente cum Eudoxia vxore reuersus Rauennam ingressus est. *Aduersus Gothos in Galliis quædam prosperè gesta, cæsis eorum octo millibus.*

Anno Christi CCCCXXXIX. *Clodionis* 13. Theodosius Imperator octaua quinquennalia edidit, se XVII. & Festo

Coss.

Coſſ. Eius vxor Eudocia ab Hieroſolymis Regiam vrbem remeauit, S. Stephani primi Martyris reliquias, quæ in baſilicâ S. Laurentij poſitæ venerantur, ſecum deferens. Eadem duas S. Petri catenas attulit, quarum vnam ad Eudoxiam filiam miſit Romam, vbi S. Petri ad vincula eccleſia exſtructa eſt; alteram C P. ſeruari voluit in Eccleſia S. Petri. Cæſarienſibus C P. venientibus, vt Epiſcopum acciperent, Proclus C P. Antiſtes nihil tale cogitanti Thalaſſio Præfecto prætorio Illyrici manus impoſuit, vt docet Socrates capite vltimo libri 7. *Bello Gothico ſub Theoderico Rege apud Toloſam Litorius Romanus dux inconſultiùs cum auxiliari Hunnorum manu irruens, cæſis his, ipſe vulneratus capitur, & poſt dies paucos occiditur. Inter Romanos & Gothos pax efficitur.* Rechila Rex Sueuorum Emeritam ingreditur. Hæc Idatius. *Plura tum Saluianus Maſſilienſis Preſbyter libro ſeptimo de Prouidentia & gubernatione Dei, tum vulgatus Proſper: Litorius qui ſecunda ab Aëtio Patricio poteſtate Hunnis auxiliaribus præerat, dum Aëtij gloriam ſuperare appetit, dúmque Aruſpicum reſponſis & dæmonum ſignificationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conſeruit, tantámque ipſe hoſtibus cladem intulit, vt niſi in captiuitatem incidiſſet, dubitandum foret, cui potiùs parti victoria adſcriberetur. Inde cum Gothis pax facta, cùm eam poſt ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum humiliùs quàm vmquam antea popoſciſſent. Aëtio rebus, quæ in Galliâ componebantur, intento*, Genſericus, de cuius amicitia nihil metuebatur die 19. Octobris Carthaginem dolo pacis inuadit, omnéſque opes eius in ſuum ius vertit, nec ab Eccleſiarum deſpoliatione abſtinens, quas & ſacris vaſis exinanitas, & Sacerdotum adminiſtratione priuatas, Arianorum iuſſit eſſe habitacula. Hanc autem captiuitatem Carthago ſubiit anno poſtquam Romana eſſe cœperat 585. De eadem re conſulendi Victor Vticenſis, Damaſcius apud Photium, Idatius, Marcellinus, apud quem XIV. Cal. Nouembris legendum eſt, aliíque. Hac tempeſtate Iulianus Eclanenſis, ſiue Athelenenſis, iactantiſſimus Pelagiani erroris aſſertor, quem dudum amiſſi epiſcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi, correctionis ſpeciem præferens, molitus eſt in communionem Eccleſiæ irrepere. Sed his inſidiis Xyſtus Papa Diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum peſtiferis conatibus patere permiſit: & ita omnes Catholicos de reiectione fallacis beſtiæ gaudere fe-

cit, quasi tunc primùm superbissimam hæresim Apostolicus gladius detruncauisset. *Concilium Regense in Prouincia Narbonensi die 29. Nouembris, præside S Hilario Arelatensi Metropolitano, celebratum est, cùm Ebreduni Alpium maritimarum metropoli contra sacros Ecclesiæ canones à duobus tantùm ordinatus fuisset Episcopus Armentarius: siue, vt loquitur Præfatio, absque trium Episcoporum præsentiâ, & Comprouincialium literis, & Metropolitani auctoritate*, &c.

Anno Christi CCCCXL. *Clodionis* 14. S. Sixtus III. Romanus Pontifex obiit die 28 Martij, cùm præfuisset annis 7. & mensibus vndecim. Eo defuncto quadraginta ampliùs diebus Romana Ecclesia sine Antistite fuit, mirabili pace atque patientia præsentiam Diaconi Leonis expectans, *quem tunc inter Aëtium & Albinum amicitias redintegrantem Galliæ detinebant* Huius primus annus à die Maij 10. numerari incipit, cùm legatione publica accitus & gaudenti patriæ præsentatus, ordinatus fuit Rom. Pont. ad annos fere vnum & viginti. Censorius Comes, qui legatus missus fuerat ad Sueuos residens Myrtili obsessus à Rechilâ in pace se tradidit. Genserico Siciliam deprædatus Panormum diu obsedit, & in Catholicos à Maximino Arianorum in ea insula duce instigatus, plurimos martyrio coronauit. De Sebastiani ab Hispania transitu in Africam eiúsque morte sub huius anni Coss. Prosper, quæ nos Idatium sequuti in plures annos partiemur. Paulinus Magister Officiorum in Cæsarea Cappadociæ, iubente Theodosio Principe interemptus est, inquit Marcellinus Comes. Plura auctor Chronici Alexandrini in prolixa illa narratione, quam fixit sub Consulatu Theodosij XVIII. & Albini anno æræ Christianæ 444. quo Eudocia Hierosolymis Saturninum occidi iussit. Demetrias ancilla Christi Romæ S. Stephani Ecclesiam fecit, Hermanno teste.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCXLI. *Clodionis* 15. Defuncto post diuturnum 7. annorum morbum Rege Sueuorum Hermerico, Rechilas filius eius, Hispali obtenta, Bæticam & Carthaginensem prouincias in suam redegit potestatem Sabino Episcopo de Hispali factione depulso, in locum eius fraude non iure ordinatus est Epiphanius. Asturius vtriusque militiæ Dux ad Hispanias missus Tarraconensium cædit multitudinem Bacaudarum. Cometæ sidus apparere cœpit

menſe Decembri: quod per menſes aliquot viſum ſubſequentis in peſtilentia plagæ, quæ ferè in toto orbe diffuſa eſt, præmiſit oſtentum, teſte Idatio. De eadem Marcellinus ſub Coſſ. anni ſeq. Stella, quæ crinita dicitur, per plurimum tempus ardens apparuit. Idem Cyro ſolo huius anni Conſule (quem ob poëticam artem ab Eudocia Auguſta promotũ fuiſſe teſtis eſt Suidas in Lexico) narrat. I. Perſas Saracenos, Tzannos, Iſauros, Hunnos finibus ſuis egreſſos Romanorum ſola vaſtaſſe. II. Miſſos contra eos Anatolium & Aſparem Magiſtros militiæ pacem cum illis vnius anni feciſſe. III. Ioannem, natione Vandalum, Magiſtrum militiæ Arnegiſcli ſiue Arnitiſcli fraude in Thraciâ interemptum eſſe. IV. Hunnorum Reges (Bledam & Attilam) cum numeroſis ſuorum millibus in Illyricum irruiſſe, Naiſſum, Singidunum, aliáſque ciuitates excidiſſe. Proſper verò docet Theodoſium Imp. bellum contra Vandalos mouiſſe Ariobinda & Anaxilla atque Germano ducibus cum magna claſſe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes Siciliæ magis oneri, quàm Africæ præſidio fuere. Addit eos reuerti iuſſos ad defenſionem Orientalium prouinciarum, Hunnis Thracias atque Illyricum ſæua populatione vaſtantibus. *In territorio Arauſico in Eccleſia Iuſtinianenſi celebratum eſt die 8. menſis Nouembris Arauſicanum I. Concilium cuius extant 30. canones cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum quorum præcipui fuere Hilarius Arelatenſis, & Eucherius Lugdunenſis. Corpora Pri, ci aliorúmque cum eo apud Antiſſiodorum paſſorum S. Germano Ep. diuinitus reuelata tradit in Chronico Sigebertus: cuius apud eruditos haud ita ſubducti habentur calculi in prioribus ſaltem ſæculis, cùm biennio ſolido aut integro nonnumquam triennio tardiùs quàm par ſit pleráque quæ ad noſtratem ſpectant Hiſtoriam conſignare ſolitus ſit. Galliæ miſerrimum ſtatum aperit Saluianus cùm de Circenſibus aliíque ſpectaculis hæc ſubiicit: Non hoc agitur iam in Moguntiacenſium ciuitate, ſed quia exciſa & deleta eſt: Non enim Agrippinæ, ſed quia hoſtibus plena: non agitur Treuerorum vrbe excellentiſſima, ſed quia quadruplici euerſione eſt proſtrata: non agitur denique in pluribus vrbibus Galliarum, quia in barbarorum iure eſſe cœperunt.*

Anno Chriſti CCCCXLII. *Clodionis* 16. Pace inter Genſericum & Valentinianum confirmata, & certis ſpatiis Africâ inter vtrumque diuiſa, Genſericus optimatum coniuratione detectâ in ſuos crudeliſſimè ſæuiit: Proſper ait tam multis

Regis ſuſpicionem exitio fuiſſe, vt hac ſui cura plus virium perderet, quàm ſi bello ſuperaretur. Bleda & Attila fratres, Hunnorum multarúmque gentium Reges, Illyricum iteratâ irruptione, Thraciáſque vſque ad Athyram fluuium depopulati ſunt, quibus ſex millia librarum auri perſoluiſſe Theodoſium & mille annuas promiſiſſe ferunt. Aſturio Magiſtro vtriuſque militiæ gener ipſius Merobaudes ſucceſſor mittitur natu nobilis & eloquentiæ merito vel maximè in poëmatum ſtudio veteribus comparandus. Hic cùm breui poteſtatis ſuæ tempore Aracellitanorum inſolentiam Bacaudarum fregiſſet, nonnullorum inuidiâ perurgente, mox ex Hiſpaniis ad vrbem Romam ſacra præceptione reuocatus eſt. *Concilium Vaſenſe ſeu Vaſionenſe I.* (quod nonnulli ineptè ad arenoſas Nouempopulorum ſiue Vaſconiæ Vaſatas trans Garumnam ablegant) *in Galliâ Narbonenſi haud procul Auenione celebratum & eſt, ſub die Iduum Nouembrium apud Auſpicium Epiſcopum, ſub Dioſcoro Eudoxio huius anni Coſſ. Extant canones eius* 10. *abſque ſubſcriptionibus.*

Anno Chriſti CCCCXLIII. *Clodionis* 17. S. Leo Manichæos in Vrbe latentes de ſecretis ſuis erutos & oculis totius Eccleſiæ publicatos dogmatis ſui turpitudinem damnare fecit & prodere; incenſis eorum codicibus, quorum magnæ moles fuerant interceptæ. Hanc ſummi Pontificis diligentiam vniuerſo orbi plurimùm profuiſſe docet S. Proſper. Idatius autem teſtatur in Aſturicenſi vrbe Galleciæ quoſdam detectos fuiſſe à ſe & Turibio Epiſcopis auditos, & de iis geſta epiſcopalia ad Antoninum Emeritenſem Epiſcopum directa fuiſſe. Tanta nix ſub huius anni Coſſ. Maximo II. & Paterno cecidit, teſtibus Marcellino & Auctore Chronici Alex. vt per ſex menſes vix liqueſcere potuerit, & multa hominum animaliúmque millia frigoris rigore confecta perierunt. Thermarum, quæ Achilleæ dicuntur, encæniæ factæ die 11. Ianuarij, ac Theodoſius Imp. ex Aſiana expeditione rediit CP. die 27. Auguſti. Theodoretus Neſtorianæ hæreſis ſuſpectus iubetur ſua ſe continere vrbe. Sebaſtianus de paratis ſibi inſidiis admonitus fugit CP. & ad Theodoricum Weſigothorum Regem veniens Barcinonam hoſtis factus intrauit. *S. Bricio Turonorum Ep. ſucceſſiſſe tunc Euſtochium docet Hermannus, ſed falsò, vt aliàs docebimus.*

Anno Chriſti CCCCXLIV. *Clodionis* 18. Theodoſius Imp.

nona quinquennalia dedit. Arcadia eius soror viuendi finem fecit. Seuerum Presbyterum & Ioannem Diaconum Eudociæ Augustæ apud Æliam vrbem ministrantes Saturninus Comes Domesticorum ab Imp. missus occidit. Eum vicissim cùm Eudocia iussisset interfici, mariti nutu regiis spoliata ministris, apud Æliam illam, siue Hierosolymitanam ciuitatem, moritura remansit. Fusiùs rem omnem exequitur Chronicon Alexandrinum, quod per ocium consules. Vandali nauibus in Galleciam aduecti multos ceperunt. Sebastianus de Barcinone fugatus migrauit ad Vandalos. S. Leo gesta in Concilio Romano aduersus Manichæos per prouincias dirigit, vt tum Idatius, tum ipsemet refert ep. 9. ad Turibium Ep. S. Cyrillo Alexandrino Ep. mortuo 28. Ianuarij vel die 9. Iunij defuncto, anno Episcopatus labente 32. suffectus est Dioscorus, qui postea cum Eutychete damnatus est. De Paschate huius anni die 23. Aprilis ritè celebrato diximus in Chronico Technico ex Cyrillo, Proterio, Paschasino & Prospero. Attila Hunnorum Rex Bledam fratrem & consortem in regno suum perimit, eiúsque populos sibi parere compellit. Huc vsque prima seu mutila Prosperi editioni: cui suum Chronicon Victor Tununnensis subtexuit. Decem annis nunc habetur auctior.

Anno Christi CCCCXLV. *Clodionis* 19. Vitus Magister vtriusque militiæ ad Hispanias missus à Sueuis profligatus fugit. Hi prouincias Carthaginensem & Bæticam magna deprædatione subuertunt. Apud Byzantium populari in Circo seditione ortâ, multi se inuicem occiderunt, multáque hominum pecudúmque corpora morbo perierunt. *Contra sanctum Hilarium Arelatensem Episcopum concessæ sibi potestatis iura transilientem rescribunt, cùm Valentinianus S. Leone postulante, tum ipsemet Leo. Huius epistolas Nouellámque Imp. exhibet Tomus I. Conciliorum Galliæ. Causa turbarum sententia depositionis in Chelidonium Vesontionensium Episcopum lata in Synodo incerti loci & temporis, cui præfuerat Hilarius, quam cùm rescidisset, habito super eâ concilio Pontifex, nec acquiesceret Hilarius, inde illæ lacrymæ. Plura vide apud Auctorem vitæ S. Hilarij. Auito post 19. vt volunt sedis annos defuncto, successit in Patriarchali Biturigum Ecclesiâ S. Leo, cui 17. Pontificatus annos imputant ex Diptychis eburneis Anonymus MS. Calamæus, Chenutius, Robertus: qui tamen in eorum annorum initio ac fine collocandis mirum*

quantum à veritate aberrant. Hanc vnam Claudij Roberti *ex Christiana Gallia pericopem excerpam, vt omnes intelligant, quàm oscitanter ista aut fastidiosè tractarit, quámque optandum sit, vt solers aliquis temporum calculator numeros eius retractet omnes:* S. Leo sedit annis 17. Interfuit Concilio Andegauensi 453. & Turonensi 482. Hæc ille. *Atqui ab anno 453. ad 482. etsi hic vltimus, ille primus statuatur sedis eius Episcopalis annus, non 17. sed 30. numerantur anni. Circa hæc tempora quidam volunt nonnihil cladis ab Aëtio & Maioriano accepisse Clodionem nostrum, dum in Atrebatum agros irruptionem faceret.* Locum pugnæ Helenam vicum, quidam in Hesdinio Veteri, alij in Lenensi seu Lensio castro quærunt: Chiffletius verò, vt in omnibus auia peragret loca, in Neruiis maluit hærere ad Pontem Scaldis, quod flumen notiùs fuit haud dubiè Sidonio quàm Helena vicus, cuius nulla, quod hactenus proditum sit, ad Scaldim memoria. *Versus Sidonij in Carmine V. de laudibus Maioriani hi sunt:*

Pugnastis pariter, Francus quâ Cloio patentes
Atrebatum terras peruaserat. hîc coëuntes
Claudebant angusta vias, arcúque subactum
Vicum Helenam, fluménque simul sub tramite longo
Artus suppositis trabibus transmiserat agger.
Illic te posito pugnabat ponte sub ipso
Maiorianus eques. fors ripæ colle propinquo
Barbaricus resonabat hymen, Scythicísque choreis
Nubebat flauo similis noua nupta marito.

Ex reliquis hos tantùm: ——— *puerilibus annis*
Est belli maturus amor. Si fortè premantur,
Seu numero, seu sorte loci, mors obruit illos,
Non timor. inuicti perstant, animóque supersunt
Iam prope post animam.

Anno Christi CCCCXLVI. *Clodionis* 20. Constantinopolim magna fames inuasit, pestísque illico subsecuta. Dein Templum regiæ illius ciuitatis igne crematum. S. Leo ad Hispanienses Episcopos scribit contra Priscillianistas per Episcopi Turibij Diaconum. *Hoc anno, si Sigebertum audis, cui fauere videtur Beda libro 1. Historiæ Anglorum, habita est incerti loci Synodus Gallicana ex qua S. Germanus Antisiodorensis & S. Lupus Trecensis Episcopi in Britanniam, ad profligandam repullulantem Pelagianorum hæresim missi sunt. Vide Constantium libro 1. vitæ S. Ger-*

mani capite 19. Verùm hæc alij ad annum 429. reuocant; & hoc anno profectionem S. Germani in eandem insulam cum discipulo suo Seuero Treuirensi Episcopo collocant. Sunt qui circa eadem tempora velint Aëtij opem imploraſſe Britannos, eáque non impetratâ aduersus Pictos Scotósque auxilium ab Anglis, Iutis, Saxonibúsque premente in dies magis magísque necessitate adactos petiisse, cùm Vortigerni Regis sæuitiam, libidinem, hæresim, aliáque vitia auersarentur. Sed in hisce Britannicis Anglicísque historiis multa occurrunt fabulis aspersa, quæ non est instituti nostri pluribus persequi: summa tantùm libabimus capita.

Anno Christi CCCCXLVII. *Clodione Crinito viginti exactis in regno annis defuncto, regnare Ambiani incipit ad annos decem* MEROVEVS *tertius Francorum Rex, quem alij Clodionis dumtaxat affinem, (quo trahere volunt vel inuitum Gregorium Turonensem: De huius stirpe fuisse quidam asserunt) alij filium natu minorem fuisse contendunt. Prosper Pithœanus ad annum à morte Honorij 25. hæc de eo habet: Meroueus regnat in Franciâ: cui consentit Sigebertus, aliíque vulgò eius vestigia secuti. Vt Meroueum Clodionis filium fuisse credam duo me mouent: Primum est Prisci Panitæ Rhetoris Historiæ fragmentum, quod habetur in Excerptis de Legationibus sic Latinè redditum:* At Francos bello lacessendi occasionem Attilæ ministrabat Regis illorum (Clodionis) obitus, & de regno inter liberos eius orta dissensio. Quorum maior natu Attilam, minor Aëtium vocare statuerat. Hunc nos Romæ legationem obeuntem vidimus adhuc imberbem, flauâ comâ, adeóque promissâ vt super humeros circumfusa esset. Eum Aëtius filium à se adoptatum & amicum ac socium populi Romani appellatum dimisit. *Alterum est Gregorij Turonensis auctoritate subnixum libri 2. cap. 7.* Igitur Aëtius cum Francis Gothisque coniunctus aduersus Attilam confligit. Expleto bello, ait Aëtius Thorismodo, Festina velociter redire in patriam, ne, insistente germano, patris (Theudonis seu Theodorici Gothorum Regis qui huic certamini succubuit) regno priueris. Hæc ille audiens cum velocitate discessit, quasi anticipaturus fratrem, & prior patris cathedram adepturus. SIMILI ET FRANCORVM REGEM DOLO FVGAVIT. Illis autem recedentibus, &c. *Adde quod omnes vulgò consentiunt Meroueum in Campis Catalaunicis aduersus Attilam pugnasse. Sanè quisquis hæc attentè perpenderit mi-*

rabitur profectò Chiffletium, eiúſque armigerum Riuium tanto partim ſtudio fuiſſe addictos, vt in tam aperta veritatis luce pluſquam meridiana oculos non claudere modò, ſed etiam ſibi eruere maluerint, quàm abiecta falſitate in noſtras partes concedere. Scilicet,

Tanti erat in Salicâ genuinum frangere Lege.

Terræ motu C P. collapſi muri, intra tres menſes Conſtantino Præfecto Prætorio operam dante reædificati ſunt. Plura de his Marcellinus, qui addit per Attilam Regem bellum priore longè maius Romanis inflictum pene totam Europam, exciſis inuaſíſque ciuitatibus, atque caſtellis corraſiſſe. Ad Thermopolim infeſtum aduenisſe, ab eóque Arnigiſclum Magiſtrum militiæ in Ripenſe Dacia iuxta Vtum amnem viriliter pugnantem plurimis hoſtium interemptis occiſum eſſe. Auctor Chronici Alex. refert tanto terrore perculſos fuiſſe C P. vt deſerta Regia vrbe omnes foris dies noctéſque precibus & Litaniis vacarent, & anniuerſariam Litaniarum memoriam in Triconcho die 6. Nouembris ſuo etiam tempore peragi ſolitam fuiſſe. Tunc puer in cælum raptus Triſagium hymnum audiiſſe dicitur. Proclus C P. Epiſcopus obiit die 24. Octobris, cui ſuffectus eſt S. Flauianus. Chryſaphium Eunuchum, plurima qua tum valebat apud Theodoſium potentia abuſum fuiſſe, ipsámque Pulcheriam, vt ſe gubernatione Imperij abdicaret, compuliſſe Hiſtorici referunt. S. Leo Papa Baſſianum Epheſi Epiſcopum deponit. Rechila Rex Sueuorum gentilis moritur Emeritæ menſe Auguſto: cui mox filius Catholicus Rechiarius ſuccedit in regnum, & ſine mora vlteriores regiones inuadit ad prædam. Per Agiulfum Hiſpali Cenſorius Comes iugulatur.

Anno Chriſti CCCCXLVIII. *Merouei* 2. Prouincia India Theodoſio Imperat. tygrim domitam pro munere miſit. Vtramque porticum Troadenſem turréſque portarum vtráſque ignis ſubitus exuſſit; quarum ruina continuò repurgata, Antiochus Præfectus prætorio in priſtinam erexit ſpeciem; Legatis Attilæ à Theodoſio deſpectas olim pecunias flagitantibus. Rechiarius Sueuorum Rex accepta in coniugium Theodorici Weſigothorum Regis filia, auſpicatus initium regni Vaſconias menſe Februario deprædatus eſt. Idem menſe Iulio ad ſocerum ſuum profectus Cæſarauguſtanam

vrbem

vrbem in reditu vastauit, irruptáque per dolum Ilerdensi vrbe, non parua est acta captiuitas. Basilius nescio quis congregatis Bacaudis in Ecclesia Tyriassone fœderatos occidit, vbi & Leo eiusdem ecclesiæ Episcopus obiit vulneratus. Eudoxius arte Medicus praui sed exercitati ingenij, in Bagauda id temporis motâ delatus, ad Hunnos confugit. In Synodo CP. quæ cœpit die 8. Nouembris Eutyches Archimandrita qui D. N. IESVM CHRISTVM B. Mariæ Virginis filium nihil maternæ habuisse substantiæ, sed sub specie hominis solam in eo Verbi Dei fuisse naturam prædicabat, hæreseos conuictus est, accusante Eusebio Dorylæi Episcopo, & quia corrigi noluit à Flauiano CP. Episcopo, ob impietatem condemnatus est. Turbæ quoque aduersus Ibam Episcopum Edessenum, qui primum Tyri mense Februario, tum Beryti mense Septembri absolutus est, *S. Germanus Autisiodorensis Ep. hoc vel seq. anno obiit Rauennæ die 31. Iulij eiúque corpus relatum in Gallias. Certè ante Hilarium obiisse constat, à quo & ab Auxiliari Præfecto Prætorij Arelate exceptus fuisse perhibetur à Constantio.*

Anno Christi CCCCXLIX. *Merouei* 3. Asterio siue Asturio & Protogone Coss. Marina Theodosij Imp. soror fati munus impleuit non secus atque Ariobindas & Taurus Patricij. Sebastianus exul factus ad pernicioſam sibi Genserici confugit potestatem paruo pòst tempore quàm venerat, per eum iussus occidi. Eutyches fidens amicitia regia & aulicorum fauore, ab vniuersali Synodo se popoſcit audiri, annuente Imp. Theodosio, qui ob huius causæ retractationem omnes Episcopos iussit Ephesum conuenire. Hæc Synodus Latrocinalis dicta, siue Ephesina altera, die 10. Augusti habita est, in qua Dioscorus Alexandrinus Ep. primatum sibi vindicans, absoluto Eutyche in Flauianum damnationis sententiam tulit, reclamante Hilario Diacono Ecclesiæ Romanæ, qui vice S. Leonis Papæ cum Iulio Episcopo Puteolano à Sede Apostolica fuerat destinatus. Hæc & plura Prosper, qui S. Flauianum inter manus eorum, à quibus in exilium ducebatur, glorioso fine transiuisse subiicit. Locum exilij Epipam nominat Marcellinus, & Dioscoro Spadonem Saturninum adiungit. Flauiano suffectus est Anatolius Presbyter Dioscori apocrisiarius. S. Leo, cuius extat insignis de Incarnatione ad Flauianum epistola, SS. Patrum & Conciliorum approbatione

munita, in Romanâ Synodo Ephesinam Latrocinalem abrogauit, & vicissim summâ impudentiâ à Dioscoro in Alexandrina Synodo excommunicatur. *Eucherius Lugdunensis Episcopus & Hilarius Arelatensis egregiâ vitam morte consummant, inquit Prosper Pithœanus. De Eucherio viderimus aliàs. Certè die Maij 5. obiit S. Hilarius, siquidem 26. Augusti S. Leo Papa, datis ad Episcopos Prouinciæ literis, Rauennium Hilarij successorem sententiâ suâ confirmauit, quem etiam Hilarium sanctæ memoriæ nominauit. Remigius Remensis nascitur prænuntiatus per Montanum Monachum cæcum, qui de lacte Ciliniæ matris eius oculos suos liniens illuminatus est, inquit ad hunc annum Sigebertus. Sunt tamen qui natum anno 435. Episcopum consecratum 457. aut seq. mortuum 530. velint. Sed ea controuersia aliò spectat.*

Anno Christi CCCCL *Merouei* 4. in Gallecia terræ motus assidui, signa in cælo plurima ostenduntur. Nam pridie Nonas Aprilis tertia feria (quæ designat hunc annum litera Dom. A. non sequentem, ex quo aliisque innumeris argumentis patet corruptos plerúmque fuisse numeros in huiusmodi Chronicis) post Solis occasum ab Aquilonis plaga cælum rubens, sicut ignis, aut sanguis efficitur, &c. inquit qui præsens aderat Idatius. Theodosius iunior Orientis Imperator CP. viuendi finem fecit die 29. Iulij, reuocata prius in aulam sorore Pulcheria, agnitóque errore, cùm vixisset annos 49. & imperasset post mortem patris Arcadij annis 42. mensibus 2. & diebus 28. ab obitu patricij Honorij annis ferè 27. Valentiniani, cui vnicam filiam Eudoxiam coniugem tradidit, anno labente 25. Locum eius Marcianus adeptus est vir grauissimus & non solùm reipublicæ sed etiam Ecclesiæ perneccessarius, statim à Senatu & militibus electus Imperator, instante Pulcheria Augusta, quam annos 54. natam in coniugem assumpsit, & virginem viuere, prout petierat, permisit. Huius nutu Chrysaphius Eunuchus qui amicitia Principis malè vsus fuerat, ad portam Melanthiadis suâ cum auaritiâ interemptus fuisse dicitur. Plura dabunt, præter citari solitos Chronicorum auctores, Theodorus Lector, Euagrius, Theophanes, aliique, qui tamen, vt fit, in pleríque inter se dissentiunt. Chronicon Alex. multa de Attilâ & Cyro Præfecto narrat, eadémque fermè refert de terræ motu, quæ ante triennium obseruauimus. Diem assignat 26. Ianuarij à Troadesiis porticibus vsque ad æreum Tetrapylum, &c. Marcianus generalem

illico indixit Synodum, cùm S. Leo ad eum misisset Legatos, qui cum Anatolio Ep. C P. Eutychianos damnarunt. Galla Placidia Augusta Valentiniani III. mater obiit die 27. Nouembris. Hanc post irreprehensibilem conuersationem vitam expleuisse filio 25. annum in imperio consummante scribit Prosper Pithœanus. *Controuersiam inter Viennensis & Arelatensis Ecclesiæ Antistites de Primatu ac Metropoli Prouinciæ composuit S. Leo, datis die 5 Maij literis, quibus vnam prouinciam diuisit in duas, statuítque vt Viennensis Archiepiscopus Valentiæ, Tarentasiæ, Genauæ, & Gratianopoli præsideret: reliquæ verò ciuitates Arelatensi parerent.* Attila euocatus in Italiam ab Honoriâ Valentiniano mandauit, vti sibi Palatium Romæ adornaret, Romaníque partem Imperij cederet. Aëtius aduersus eum Alaricum Ostrogothorum Regem incitauit, cuius virtute Hunnorum copiæ ad Danubium profligatæ sunt, sed victor Alaricus occubuit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCLI. *Merouei 5. Attila transmisso Rheno Belgicam Galliam partémque Lugdunensis populatur, immissis, vt volunt, armatorum* CCCC. *millibus. Metas, Treuiros, Tungros, Remos, Autisiodorum diripit, diruítque: Trecasses vexat, Aurelíamque ad Ligerim obsidet, quam Anianus Episcopus, fusis ad Deum precibus, vt Parisios Genouefa liberauit. Aëtius Patricius iunctis viribus cum Meroueo Francorum & Theodorico Vvesigothorum Regibus, cruento vtrimque commisso certamine, ad Mauriacum in campis Catalaunicis, qui centum leucas patere dicuntur, Attilam debellat. Occisa perhibent trecenta ferè hominum millia, & in iis Theodoricum Regem, qui telo vulneratus, equóque deiectus, equorum calcibus attritus est, cùm 30. minimùm regnasset annos. Thorismodus vnus ex eius filiis qui prælio interfuit, ab Aëtio admonitus, Tolosam properauit, regnúmque paternum adeptus est. Meroueus quoque eiusdem consilio in Franciam venit, eiectóque maiore natu fratre, qui Attilæ partes fuerat sequutus, solus imperat Francis ad aliquot annos. Videndi, licèt in pleríque non consentiant, Priscus Panites, Sidonius, Idatius, Prosper, Cassiodorus, Vita S. Aniani, Appendix Victoris, Iornandes, Gregorius Turonensis, Isidorus, Chronicon Alex. Gesta Francorum, Theophanes, Paulus Diaconus, Freculfus, Sigebertus, Callistus, &c. quibus adde Chronologiam Regum Gothorum pag. 818. Tomi I. Collectionis Duchesnianæ, & pag 592. vitam S. Sigeberti Regis Austrasiæ.* Quos si vel exscribere vel conciliare vellem, & ad particularia quæque enucleanda descende-

re, non pluribus tantùm paginis, sed libris integris opus esset. Quare iis supersedeo. Hoc eodem anno Calchedone in Ecclesia S. Martyris Euphemiæ quartum Generale Concilium celebratum est, cui Marcianus Imperator cum Pulcheria Augusta, Magistratibus ac Senatoribus interfuit. In eo damnati Eutyches nefandissimus Monachorum præsul, & Dioscorus Alex: Ep. qui cùm solus ab aliis dissentiret, vt ait Marcellinus, statim ab iisdem Catholicis Patribus 630. Sacerdotio abdicatus est. Pulcheria SS. XL. Martyrum Sebastiæ passorum reliquias inuenit conditas in cæde S. Thyrsi pone ambonem, quibus Cæsarius Consul & Præfectus templum exstruxit CP. extra muros Troadenses, vt testatur Auctor Chronici Alexandrini, qui anno 422. post Christum assumptum asserit coactam Synodum IV. sed malè collocat sub Coss. anni seq. cùm certum sit cœptam 8. die Octobris, inchoatâ iam quintâ Indictione, & 13. sessionibus finitam Kalendis Nouembris, sancitósque in ea Canones 29. Plura S. Leo in Epistolis, præsertim 61. Gelasius, Liberatus, Euagrius, aliíque. Ipsamet, si sapis, Acta consule, & quæ ex Baronio aliísque congessit Seuerinus Binius. Multa hoc anno signa procedunt inquit Idatius, cui Prosper assentitur. Quinto seu potius sexto Kalendas Octobris hoc est 26. Septembris feria 4. à parte Orientis Luna fuscata est, hoc est, occidente sole defecit, vt pluribus te docebit Petauius pag. 845. Tomi I. de Doctrina Temporum. Nobis enim in Chronotaxi nostrâ Technicâ nescio quo pacto excidit. *Synodus incerti loci huic anno competit, ex quâ à Gallicanis pluribus Episcopis scriptam constat Synodicam ad S. Leonem de ipsius ad Flauianum epistolâ. Ad hunc quoque aut seq. annum reuocari potest Concilium Arelatense II. sub Rauennio, vt videtur, celebratum post Arausicanum & Vasense, quorum ex Canonibus Concilij huius Canones numero 56. pro parte contexti sunt, immò & Synodi Vasensis mentio habetur canone 47. Per ea tempora Tonantius Ferreolus Syagrij Consulis ex filia nepos, cuius vxor Papianilla, gerebat Præfecturam Galliarum, vt discimus ex ep. 12. libri 7. Sidonij Apollinaris.* Prætermisit Regem Gothiæ ferocissimum (Thorismodum) inflexum affatu tuo melleo, graui, arguto, inusitato, & ab Arelatensium portis, quem Aëtius non potuisset prœlio, te prandio remouisse, &c.

Anno Christi CCCCLII. *Merouei 6. In diebus Paschæ* (quod

ritè celebrandum die 23. Martij monuerat S. Leo, vt alibi obseruauimus) *visa quædam in cælo regionibus Galliarum epistola de his Euphronij Augustodunensis Episcopi ad Agrippinum Comitem facta euidenter ostendit.* Stella Cometes à 14. Kal. Iulias apparere incipit: quæ 3 Kal. diluculo ab Oriente visa post occasum Solis ab occidua parte mox cernitur. Kalendis Augusti à parte Occidentis apparet, inquit, qui in commentarios ista tum referebat Idatius, qui etiam addit Mansuetum Comitem Hispaniarum, & Frontonem similiter Comitem ad Sueuos pro pace Legatos missos conditiones iiunctas obtinuisse, & *Thorismodum Vvesigothorum Regem spirantem hostilia à Theoderico & Frederico fratribus iugulatum fuisse.* Isidorus vno dumtaxat anno regnasse docet ærâ 490. quæ huic anno respondet. Prosper mortem huius differt in annum sequentem his verbis: *Apud Gothos intra Gallias consistentes inter filios Theoderici Regis, quorum Thorismodus maximus natu patri successerat, orta dissensio est: & cùm Rex ea moliretur, quæ & Romanæ paci, & Gothicæ aduersarentur quieti, à germanis suis occisus est.* Theodorici iunioris dicti Wesigothorum Regis formam moresque descripsit Sidonius libri 1. ep. 2. non Theodorici Ostrogothorum & Italiæ Regis, quod vir eruditus sibi temerè persuasit. *Insperatâ in Galliis clade furiatus Attila*, redintegratis viribus per apertas Alpes Iulias Carnorúmque regionem Italiam ingreditur, Carinthiam, Altinum, Patauium, Ticinum & Mediolanum vastat: cúmque Romam tenderet, partim Aëtij virtute, partim S. Leonis Papæ & aliorum Legatorum à Valentiniano missorum, de quibus plura Prosper, interuentu, promissa pace vltra Danubium discessit. Submissa ad Aëtium à Marciano auxilia memorat Idatius, & plures ex Hunnis diuinitus, partim fame, partim morbo quodam, & plagis cælestibus percussos. Marcianus idem Imp. teste Marcellino, decretis suis statuit; vt hi, qui Consules fieri cupiebant, nihil æris in populum spargerent, sed statutam pecuniam ad reparandum Vrbis aquæductum impenderent. Tres magni lapides è cælo in Thraciâ ceciderunt, & Aquileia ciuitas ab Attilâ excisa est. Ex ea verò Barbarorum incursione Venetiarum vrbem postea nobilissimam suam traxisse originem pleríque tradunt, confugientibus ad Adriatici maris æstuaria locorum vicinorum incolis. Proterius in locum Dioscori Alexandrinus eligitur Episcopus, &

Theodosius Monachus sedem Episcopalem inuadens Hierosolymis turbas agit. S. Deogratias fit Carthaginis Episcopus 13. anno postquam in potestatem Vandalorum venit.

Anno Christi CCCCLIII. *Merouei* 7. Vincomalo & Opilione Coss. inuentum est Emesæ caput S. Ioannis Baptistæ die 18. Februarij, (non 24 vt habet Marcellinus, qui rem omnem diffusiùs ceteris explicat) media quadragesimalium ieiuniorum hebdomade (quod quomodo intelligi queat non video, cùm Pascha contigerit die 12. mensis Aprilis: ideóque deesse arbitror vocem τεσσάρων in Chronico Alex. & primâ in Marcellino, vt referatur ad Dominicam Sexagesimæ, quæ apud Græcos caput est primæ ieiunij solennis Septimanæ, nisi fortè hebdomada illa absolutè τῶν νηστειῶν apud eosdem appellata sit) anno Syromacedonum 763. seu potius 764. Antiochenorum labente 501. & à cæde eiusdem sanctissimi Præcursoris 425. Pulcheria Augusta Marciani Imper vxor B. Laurentij atrium inimitabili opere consummauit, beatúmque viuendi finem fecit, ætatis 54. cum aliquot mensibus prætergressa, die 10. Septembris, quantum quidem ex Martyrologio Romano colligere possumus: nam Idatius tertio regni anno principis Marciani mense Iulio mortuam dicit Attila in patriam ædésque suas reuersus, cùm puellam duxisset, vino se in nuptiis ingurgitans vomitu sanguinis periit, magnáque inde exorta inter filios ipsius de regno certamina, & gentium subiectarum defectiones. Marcellinus in an. seq. differt, & de genere mortis ab aliis dissentit: Attila Europæ orbator noctu mulieris manu cultróque confoditur. Quidam verò sanguinis reiectione necatum perhibent. Per Fredericum Theodorici Wesigothorum Regis fratrem Bacaudæ Tarraconenses cæduntur ex auctoritate Romanâ. *Concilium Andegauense die 4. Octobris celebratum est in ordinatione Thalassij Episcopi eiusdem ciuitatis, præside sancto Leone Biturigum Archiepiscopo. Extant eius canones* 12. *Tomo I. Conciliorum Galliæ post responsiones S. Leonis Papæ ad* 19. *inquisitiones Rustici Narbonensis Episcopi. Extat quoque ibidem Epistola S. illius Leonis Bituricensium Archiepiscopi ad Episcopos Prouinciæ Tertiæ (hoc est Turonensis, quæ Lugdunensis Tertia) vt clerici non expetant sæcularia iudicia, quæ, vt recte monuit R. P. Sirmondus, inter S. Leonis Papæ epistolas hactenus delituerat.*

Anno Christi CCCCLIV *Merouei* 8. Aëtius Dux & Pa-

tricius magna Occidentalis Reipublicæ ſalus, & Regis Attilæ terror, à Valentiniano Imp. cum Boëtio amico in palatio trucidatur, atque cum ipſo Heſperium cecidit regnum, nec hactenus valuit releuari, inquit Marcellinus. Proſper verò in vtroque opere iiſdem verbis: Inter Valentinianum Auguſtum & Aëtium Patricium poſt promiſſæ inuicem fidei ſacramenta, poſt pactum de coniunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt, incentore, vt creditum eſt, Heraclio ſpadone, qui ita ſibi Imp. animum inſincero famulatu aſtrinxerat, vt eum facilè, in quæ vellet, impelleret. Cùm ergo Aëtius placita inſtantiùs repetit, & cauſam filij cominus agit, Imperatoris manu, & circunſtantium gladiis crudeliter confectus eſt, Boëtio Præfecto prætorij ſimul perempto, qui ei multa amicitia copulatus erat. Idatius ſcribit fraudulenter ſingularem accitum intra palatium manu ipſius Imp. occiſum: alios verò honoratos ſingulariter intromiſſos, per ſpatharium eius fuiſſe iugulatos, iiſque geſtis Valentinianum Legatos miſiſſe ad gentes, ex quibus ad Sueuos venerit Iuſtinianus. Sunt qui id peractum fuiſſe velint callido conſilio Petronij Maximi, cuius vxorem Imperator ſtuprauerat. Aetij genus moréſque ingeniosè expoſuit Renatus Profuturus Frigeridus apud Greg. Turonenſem libri 2. cap. 8. quod curioſo Lectori conſulendum moneo. Chr. Alex. narrat ab Anthemio (qui anno proximè ſeq. Conſulatum geſſit, & poſtea Romæ imperauit) ædem S. Thomæ conditam fuiſſe prope Borædium, dictam Apoſtolium. Anatolius Ep. C P. attollens ſe iuſto altiùs, à S. Leone Papa reprimitur. Iuuenalis Ep. Hieroſolymitanus collecta Synodo Catholicam fidem omnibus amplectendam propoſuit. *Ad ea quoque tempora reuocari poteſt Concilium Arelatenſe III. die 30. Decembris præſide Rauennio celebratum, in cauſa Fauſti Lirinenſis inſulæ Abbatis & aliquot vicinorum Epiſcoporum. Adi Tomum I. Conciliorum Galliæ, ibidémque leges SS. Lupi Tricaſſini & Euphronij Auguſtodunenſis Epiſcoporum epiſtolam ad Talaſſium Andegauorum Antiſtitem.*

Anno Chriſti CCCCLV. *Merouei* 9. Flauius Placidus Valentinianus Imp. Occidentis die 17. Martij à duobus Barbaris Aetij Satellitibus, Optilâ ſiue Occyllâ Buccellario, & Tranſtila, dolo Maximi, inopinatis ictibus confoditur, aut in Campo Martio pro tribunali reſidens, & concionans ad populum,

aut extra vrbem ludo geſtationis intentus, aut via Lauicana inter duas lauros, aut in palatio, cùm ageret annum ætatis 36. imperij verò 30. Heraclio Spadone, vt erat proximus, interempto, & nullo ex multitudine regia ad vltionem tanti ſceleris accenſo. Maximus vir gemini Conſulatus & Patriciæ dignitatis poſtero die tyrannidem inuadit, interfectores Valentiniani in amicitiam recipit, vxorem eius Eudoxiam Theodoſij iunioris filiam amiſſionem viri lugere prohibitam intra pauciſſimos dies in coniugium ſuum tranſire cogit, & filio ſuo ex priore coniuge Palladio, quem Cæſarem fecerat, eiuſdem Valentiniani filiam tradit vxorem. Sed hac incontinentia non diu potitus eſt: nondum enim expletis tribus imperij menſibus, nuntiato ex Africa Genſerici Vandalorum Regis, quem Eudoxia per literas vocauerat, aduentu, cùm multis nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus ipſe quoque trepidè vellet abſcedere, ab Vrſo milite occiſus, & à Reginæ famulis, Romaníſque ciuibus membratim dilaniatus, & in Tiberim vnco tractus eſt 77. occupatæ tyrannidis die, qui fuit Iunij 12. *Poſt interregnum 28. dierum Auitus natione Aruernus fauore Principum Vviſigothorum Theoderici iunioris eiú que fratris Friderici, Toloſæ primùm die 10. Iulij, tum Vgerni, atque Arelate, conſenſu exercitus Gallicani ac Senatorum Imp renuntiatus eſt.* Captâ interim à Genſerico tertio poſt Maximi Tyranni necem die direptáque per 14. dies Româ, Eudoxia Auguſta cum filiabus Honoria ſiue Eudocia atque Placidia, Gaudentio Aetij filio, plurimíſque nobilibus aliíſque captiuis, prout quique aut ætate aut arte placuerunt, & ingenti præda, vasíſque pretioſiſſimis in Africam deducta eſt. Hæc & iis longè plura Proſper (cuius vtrumque Chronicon ad hunc vſque annum perducitur, vt tum ex Caſſiodoro Inſtitutionum Diuinarum capite 17. tum ex Sigeberto ad annum 457. tum ex nuperis editionibus conſtare arbitror) Idatius, Marcellinus, Caſſiodorus, Victor, Marius, Iornandes, Sidonius, Procopius, Chr. Alex. Theophanes, & ex eo Anaſtaſius & Paulus Diaconus, Zonaras, Nicephorus, aliíque. Sed maximè Anonymus apud Cuſpinianum & Onuphrium Panuinium: ex quo etiam diſcimus Sabariam terræ motu euerſam die 7. Septembris feria 6. Genſerico occurriſſe extra portas S. Leonem Papam, eiúſque ſupplicatione ita lenitum, vt tradita ſibi ciuitate, ab igne, cædibus,

bus, atque ſuppliciis temperarit, teſtis eſt Proſper, qui in ſeqq. verbis deſinit: Eodem anno Paſcha Dominicum 8. Kal. Maij celebratum eſt pertinaci intentione Alexandrini Epiſcopi, cui omnes Orientales conſentiendum putauerunt, quamuis S. Leo 15. Kal. Maij potiùs obſeruandum proteſtaretur, &c. *Auitus à Romanis euocatus atque ſuſceptus Legatos ad Marcianum miſit de vnanimitate Imperij & ad Suevos.* Verùm ij rupto fœdere Carthaginenſem & Tarraconenſem prouincias, quæ Romano deſeruiebant imperio, inuadunt. Eruli quoque nauibus aduecti Cantabriarum & Varduliarum loca maritima deprædantur. *Meroueus Francorum Rex Poſt Aëtij & Valentiniani obitum per Germaniam primam & Belgicam ſecundam arma circumfert, regnúmque Francicum, quod Somonâ terminabatur, vſque ad Moſellam, Matronam, Sequanámque prolatat.* Hoc ex Sidonio Apollinari, Auito Socero Imp. Panegyricum canente diſcimus:

Vixque tuo impoſitum capiti diadema Petroni, &c.
Francus Germanum primum, Belgámque ſecundum
Sternebat, Rhenúmque ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis, & vtroque ſuperbus in agro
Vel ciuis, vel victor eras. Sed perdita cernens
Terrarum ſpatia princeps iam Maximus, vnum
Quod fuit in rebus, peditúmque equitúmque Magiſtrum
Te ſibi, Auite, legit.

Paullò pòſt Auguſtam Treuerorum caput Belgicæ primæ ab eodem Meroueo direptam incensámque veriſimile eſt, prodente Lucio quodam Senatore: Hæc qui ſuis aptè momentis librauerit, numquam Childerici auſpicia in hunc annum conferet, ſed tam celebres victorias exercitato compluriumque palmarum Principi Meroueo attribuet.

Anno Chriſti CCCCLVI. *Merouei* 10. Theodoricus Weſigothorum Rex & Gundiucus ac Chilpericus Burgundionum Principes cum ingenti exercitu ordinatione Auiti Imp. Hiſpanias ingreſſi Rechiarium ad fluuium Vrbicum duodecimo ab vrbe Aſturienſi milliario die quinta Octobris feria ſexta certamine inito ſuperant. Rechiarius plagatus ad extremas Galleciæ partes vix euadit, & tandem ad locum, qui Portucale appellatur, captiuus adducitur Regi Theoderico, poſtquam iam Bracaram die Dominica 28. Octobris diripuiſſet.

Iisce diebus Rechimeris Comitis circumuentione plurimi Vandali, qui se de Carthagine cum 60 nauibus *ad Gallias* aut Italiam mouerant, in Corsica occisi sunt per Auitum Aug. *qui paullò pòst Arelatem venit ex Italiâ.* Occiso Rechiario mense Decembri Theodoricus Rex de Gallecià Lusitaniam petiit, Emeritámque volens deprædari, B. Eulaliæ Martyris terretur ostentis. Aiulfus deserens Gothos in Gallecia residet; in cuius extrema parte Sueui, qui remanserant, Maldram Massiliæ filium sibi Regem constituunt. Hæc & plura Idatius illarum spectator & testis cladium, Iornandes, Isidorus, aliíque. Genserícus mortuo Deogratias Ep. Carthaginensi, quemquam in eius locum subrogari vetat, Catholicos miris modis vexat, & Africanarum vrbium mœnia, exceptâ Carthagine dirui iubet. Marcianus Venetæ factionis studiosissimus edixit, vt Prasini qui tumultum excitarant intra triennium, & à ciuilibus honoribus, & à militia excluderentur. Post Maximum Antiochiæ creatus est Ep. Basilius Orthodoxus. Marcellinus Comes hoc anno obseruat S. Eucherium Lugdunensis Ecclesiæ pontificem multa scripsisse tam ecclesiasticis quàm monasticis studiis necessaria. De eo Martyrol. Rom. die 16. Nouembris. *Burgundiones hoc vel seq. anni initio ab expeditione Hispanicâ reuersi partem Galliæ Sapaudiæ suæ vicinam occupauerunt, terrásque cum Gallicis Senatoribus diuiserunt.*

Anno Christi CCCCLVII. *Meroueo Francorum Rege tertio, post decem regni annos mortuo, à quo nimium vtili, vt loquuntur, Rege Franci Principes deinceps Merouingi cognominati sunt*, filius eius Childericus. CHILDERICVS *succedit ad annos 24. fanaticis adhuc idolorum addictus cultibus, vt pluribus deplorat Gregorius Turonensis libri 2. cap. 10. qui monet post Auiti mortem (cui non Marcianus, vt omnes editiones exhibent, etiam Duchesniana, sed Maiorianus successit) Galliis Ægidium ex Romanis Magistrum militum datum esse. Hoc quoque anno Mundi ex Eusebianis calculis 5658. Coss. Constantino & Rufo Victorius Aquitanus Presbyter è Lemouicibus ortus librum scripsit de Paschalis festi cursu ad Hilarum S. R. E. Archidiaconum & S. Leonis Papæ post triennium successorem, testatúrque Kalendis Ianuariis feriam fuisse III. Lunam 20. & 8. Kal. Aprilis feriam 2. Lunámque 14. iuxta Ægyptiorum disciplinam. Vide Prologum eiusdem, vnde etiam discas Eusebij tenorem secutum virum venerabilem Prosperum Chronica composuisse egregiâ breuitate, vt eorum initium à Mundi inchoaretur exordio, eun-*

démque Eusebianum atque Hieronymianum Chronicon vsque ad Consulatum Valentiniani Augusti VIII. & Anthemij, hoc est annum æræ Christianæ 455. suppleuisse. Quod verò ibidem sanctum Prosperum vocat, fortè quis non immeritò colligat defunctum iam eum fuisse, nec vmquam infulis Episcopalibus insignitum. Sed de his plura alio in opere, si Deus voluerit. Marcianus Imperator bonis Principibus comparandus vitæ spiritum amisit die 26. Ianuarij, cùm imperasset annis sex, & totidem ferè mensibus, ideóque rectè dictum ab Idatio mortuum fuisse in Orientis partibus Marcianum septimo imperij sui anno. Successit die 7. Februarij electus, & ab exercitu, annitente maximè Aspare Patricio, consalutatus Leo, genere Thrax, dictus Magnus, Senior & Macelles. *Auitus Occidentis Imperator hoc ineunte anno, vel sub finem præcedentis Coss. Ioanne & Varanâ, vt scribit Marius Auenticensis (ideóque legendum arbitror apud Anonymum Cuspiniani 16. Kal. Ianuarias non Iunias, quo die & Messianus Patricius eius cæsus est) deiectus est à Maioriano & Ricimere Placentiæ, eiusdémque ciuitatis factus Episcopus, cùm imperasset annum vnum cum sex ferè mensibus. Idatius tertio anno posteaquam à Gallis & Gothis factus fuerat Imperator, horum auxilio destitutum imperio simul ac vitâ caruisse docet. Plura repete ex Gregorio Turonensi cap. 11. libri 2. vbi meminit ordinationis eius ac sepulturæ in Basilica S. Iuliani Briuatensis apud Aruernos; prætereáque consule Euagrium, Iornandem, Paulum Diaconum, Nicephorum, sed præcipuè Candidum Isaurum, cuius Excerpta aliquot annotationibus Tomo I. Corporis Historiæ Byzantinæ ante aliquot annos illustrauimus.* Huius verò Leonis voluntate ac consensu Iulius Valerius Maiorianus Magister militum in campo ad Columellas dicto prope Rauennam Imperator acclamatus est Kalendis Aprilis, cùm iam Ricimer ex Magistro militum factus fuisset Patricius pridie Kalendas Martias, vt testatur Anonymus Chronographus apud Cuspinianum & Onuphrium. *Lugdunum à Burgundionum Regibus occupatum exeunte hoc anno aut seq. recepit Maiorianus, teste Sidonio Apollinari in Panegyrico carmine, quod sub finem anni sequentis Maioriano dixisse probabile est.* Theodericus Wesigothorum Rex aduersis sibi nunciis territus, mox post dies Paschæ, quod fuit non quinto, V. sed pridie, seu II. Kalendas, de Emerita egreditur, *& Gallias repetens*, quosdam ex suis in Galleciam dirigit, qui pace fucatâ solitáque perfidiæ arte Asturicam ingressi & Palentiam, duas illas ciuitates diripue-

runt, vno Couiacenſi caſtro aduerſus prædones illos auxilio Dei præualente. Aiulfus dum regnum Sueuorum ſpirat moritur Portucale menſe Iunio. Maldras, quem altera ſequebatur Sueuorum pars, Vlyxiponam ſub ſpecie pacis intrat, & Luſitaniam hoc anno, ſeq. regionem Galleciæ flumini Durio adhærentem, deprædatur. Timotheus Ælurus aduerſus Proterium turbas in Ægypto ciet. Iuuenalis Hier. Ep. obit. Genſericus Eudoxiam Aug. cum Placidia Olybrio deſponſa remittit C P. ad Leonem Imp. Honoriam verò, quæ & Eudocia dicta eſt, filio ſuo Hunnerico vxorem tradit.

Anno Chriſti CCCCLVIII. *Childerici* 2. Frantanes Rex alterius partis Sueuorum mortuus eſt inter Paſcha & Pentecoſtem; ſic enim legendum apud Idatium, & quod ſequitur: Quinto Kal. Iunias, quarta feria, ab hora quarta in horam ſextam, ad ſpeciem Lunæ quintæ vel ſextæ Sol de lumine orbis ſui minoratus apparuit. Frantani videtur ſucceſſiſſe Remiſmundus, quem Galleciam deprædatum eſſe teſtatur idem auctor, cùm Maldras Luſitaniam vaſtaret, germanóque fratre interfecto Portucale caſtrum inuaderet. Cyrila verò & Sonericus Theoderici duces Bæticam percurrerent. *Ægidius circa ea tempora Arelate obſeſſus ope S. Martini victoria de hoſtibus potitus, euaſit, vt narrant Paullinus, non ille Nolanus Epiſcopus, ſed Preſbyter Petricoricenſis libro 6. de vita S. Martini, & Greg. Tur. libro 1. de miraculis eiuſdem S. Martini. Ad eum quoque annum pertinere arbitror, quæ idem Francorum hiſtoricus ſcribit libri 2. cap. 12. Childericus, cùm eſſet nimiâ in luxuriâ diſſolutus, & regnaret ſuper Francorum gentem, cœpit filias eorum ſtuprosè detrahere. Illíque ob hoc indignantes de regno cum eiiciunt. Comperto autem, quòd eum etiam interficere vellent, Thoringiam petiit, relinquens ibi hominem ſibi charum, qui virorum furentium animos verbis lenibus mollire poſſet: dans etiam ſignum, quando redire poſſit in patriam: id eſt, diuiſere ſimul vnum aureum, & vnam quidem partem ſecum detulit Childericus, aliam verò amicus eius* (quem Wiomadum recentiores vocauere) *retinuit dicens: Quando hanc partem tibi miſero, partéſque coniunctæ vnum effecerint ſolidum, tunc tu ſecuro animo in patriam repedabis. Abiens ergo in Thoringiam apud Regem Biſinum, vxorémque eius Baſinam latuit. denique Franci hoc eiecto, Ægidium ſibi Magiſtrum in Gallias à Republica miſſum vnanimiter regem adſciſcunt.* Reliqua ſuo poſtea reddemus tempore, nam Oriens nos modò ad ſe euocat. Marcellinus refert ad Leo-

nem Imp. pro Tomo Calchedonenſi à ſingulis orthodoxorum Epiſcopis miſſas fuiſſe adeò conſpirantes epiſtolas, vt eas putares vno tempore vnius viri eloquio fuiſſe dictatas. Timotheus Ælurus per vim Alexandrinum inuadit thronum, & Proterium necat in Baptiſterio prima die τῇ παραλίων. Poſt Anatolium Gennadius ordinatur Ep. CP. Hieroſolymorum verò creatur Antiſtes Anatolius ex preſbytero Sceuophylace. Antiochiæ horribilis accidit terræ motus die Septembris 14. Dominicâ, labente adhuc Indictione XI. de quo plura Euagrius lib. 2. cap. 12.

Anno Chriſti CCCCLIX. *Childerici* 3. *eius enim etiam exulis anni numerari ſolent*, Legati à Nepotiano Magiſtro militiæ & Sunierico Comite miſſi Gallecis nunciarunt, vt narrat Idatius, Maiorianum Auguſtum & Theudericum Regem firmiſſima inter ſe pacis iura ſanxiſſe, Gothis in quodam certamine ſuperatis. S. Leo Romanus Pontifex publicæ confeſſionis vſum in quibuſdam Campaniæ locis inductum abrogauit Epiſt. 86. Iſaac Antioch. Eccleſiæ preſbyter ſcripſit Syro ſermone multa, præcipuéque aduerſus Neſtorianos & Eutychianos. Ruinam etiam Antiochiæ elego carmine planxit, quemadmodum Ephrem Diaconus Nicomediæ lapſum. Acacio Antiocheno mortuo ſucceſſit Martyrius. Leo Imp. cognitâ nece Proterij Alexandrini Ep. participes illius abſciſſione linguæ mulctauit: Timotheum verò Epiſcoporum iudicio reliquit. Synodus acta CP. præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis, in qua Chalcedonenſis Synodus confirmata. Theodoſius Præfectus Vrbi CP. creatus eſt, qui ad latus Eccleſiæ magnæ Auguſtæum condidit. Eodem quoque anno Aſpar Præfectus militiæ ciſternam maximam fodere cœpit iuxta antiquum murum Vrbis.

Anno Chriſti CCCCLX. *Childerici* 4. Maldras Sueuorum Rex in fine Februarij menſis iugulatus merito periit interitu. Menſe Maio Maiorianus Imp. Hiſpanias ingreditur, captæque ſunt à Vandalis ad Elecem iuxta Carthaginem Spartariam 300. naues, quas ſibi ad tranſitum in Africam parauerat; ſícque ſua ordinatione fruſtratus ad Italiam reuerſus eſt. Procopius libro primo de Bello Vandalico teſtis eſt Maiorianum diſſimulato habitu Legati ſpecie ad Genſericum fuiſſe profectum. Frumarius cum manu Sueuorum Lucenſem conuen-

tum grandi euertit excidio, capto Idatio Episcopo die 26. Iulij in Aquiflauiensi Ecclesiâ, & aduersus Remismundum de regni potestate dissentit. Idatius tribus mensibus captiuitatis expletis, mense Nouembri ad suas rediit Flauias; ideóque non mediocriter errare conuincuntur, qui Lemicæ Episcopum in Lusitania dicunt, cùm fuerit vel ipsomet teste Aquiflauiensis in Gallecia. Genserícus à Maioriano per legatos postulat pacem. Cyzicus Hellespónti ciuitas terræ motu concussa, murorúmque suorum ambitu interrupto, sese suósque diu deplanxit. Eudocia siue Athenais Theodosij iunioris vxor obiit Hierosolymis annos nata 67. cùm ibidem degisset annos 11. & ab Eutychianâ hæresi resipuisset. Timotheo Æluro Gangram in exilium, & deinde Chersonam ejecto, Timotheus alter, Albus siue Solophaciolus dictus, Catholicus suffectus est Alex. Ep.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCLXI. *Childerici* 5. S. Leo I. Papa mortuus est die vndecimo Aprilis, post sedem annorum 20. & mensium vndecim. Successit ei S. Hilarus, de quo iam supra diximus, creatus die 12. Nouembris. Maiorianum Augustum *de Galliis Romam redeuntem* & Romano Imperio res necessarias ordinantem (Iornandes ait mouisse procinctum *aduersus Alanos, qui Gallias infestabant*) Ricimer Patricius liuore percitus fraude circumuentum die 7. Augusti mensis interficit apud Dertonam iuxta fluuium Hyram, cùm regnasset annos 4. menses 4. & dies duos. Locum eius Libius Seuerus natione Lucanus, inuasit, & Rauennæ Imperator acclamatus est die 19. Nouemb. probante Romano Senatu, anno imperij Leonis quinto, cuius iniussu principatum Occidentis acquisiuisse dicitur. *Concilium Turonicum primum Seuerino V. C. Consule, cui collega fuit Dagalaiphus, die 18. Nouembris, cùm ad sacratissimam festiuitatem, quâ Domni Martini receptio celebratur, conuenissent Episcopi Perpetuus Turonensis, Leo Bituricensis, Victurius Cenomanensis, Eusebius Nannetensis, &c. cum Mansueto Britonum, qui in Armoricam Gobæo promontorio proximam duce Rioualo ante aliquot annos confugerant, celebratum fuisse, non verò vt Baronius, Binius, Robertus, alíque falsò existimarunt anno 482. Seuerino ac Trocondo Consulibus, vt cætera prætermittam, vel id vnum euincit, quòd ad illud tempus viuendo non peruenerit Leo Bituricensis Archi-*

episcopus, vt infra docebimus. Extant *eius Concilij Canones* 13. S. Simeonem Stylitam die 5. Ianuarij prope Antiochiam obiisse quidam volunt: Chronicon tamen Alexandrinum differt in annum 464. Indictione 2. docétque Ardaburium Comitem Orientis Aspari Præfecti militiæ filium misso Gothico præsidio sacrum pignus Simeonis Antiochiam rogatu ciuium deduxisse, eíque conditum magnificum templum. CP. horribile exarsit incendium die Septembris 11. inchoatâ iam indictione 15. & Marcianus Oeconomus cum Euangelio ad tegulas scandens Templum S. Anastasiæ seruauit.

Anno Christi CCCCLXII. *Childerici* 6. Leonis Sexto, Seueri Secundo, Æra Hispanica 500 Idatius oculatus testis certissimum Chronologiæ nostræ aduersus Nouatores munimentum suggerit in Lunari defectu, qui contigit die 2. Martij feria sexta pullorum cantu paullò post mediam noctem. Antiochia Isauriæ terra dehiscente demergitur, turrium solis cacuminibus extantibus super terram, ac iustis aliquot de interitu liberatis. *Agrippinus Comes, natione Gallus, immicus Ægidio viro perinsigni, vt Gothorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theoderico. Is verò Agrippinus videtur, de quo in vita S. Aniani Aurelianensis Episcopi, cuiúsque supra meminimus, cùm de epistolâ Euphronij Augustodunensis Episcopi loqueremur anno 452. Atrapenus vitio librariorum scribitur apud Hermannum Contractum, qui hoc anno Turonensibus nouum tribuit Episcopum S. Perpetuum. Aduersus eundem Ægidium Comitem vtriusque militiæ virum, vt fama commendat, inquit Idatius, Deo bonis operibus complacentem in Armoricana prouincia Fredericus, seu Fretiricus, frater Theoderici Regis insurgens, cum his, cum quibus fuerat, superatus occiditur.* At Victoriam illam ad an. seq. refert Maius Auenticensis, cuius hæc sunt verba: *Basilio & Bibiano Coss. pugna facta est inter Ægidium & Gothos inter Ligerim & Ligericinum iuxta Aurelianos, ibíque interfectus est Fredericus Rex Gothorum. Haud diu post Turonicum Concilium superstes videtur fuisse Bituricensis noster Antistes S. Leo, cui hoc anno successorem damus Palladium huius nominis secundum, ex nobilissima Palladiorum stirpe. Huic verò imputamus annos duos dumtaxat aut tres, eósque non integros, licet ex diptychorum fide Robertus* (cuius abnormem ἀσυμφωνίαν pluribus alio in opere refellendam suscepi) *post Chenutium, Calamæum & MS. Anonymum tredecim concedat, & Eulodio eius successori nouem, quos vt ipsi intactos incolumésque conseruem, cogor de-*

ceſſori eius Palladio decem vndecímve auferre, vt immota maneat Simplicij epocha annum Chriſti 475. certo certiùs præcurrens. De Iacobo Achiuo Imp. Medico rem ſcitu iucundam narrat Marcellinus, Damaſcius quoque de eodem in vita Iſidori nonnulla habet apud Photium in Bibliotheca. Theophanes verò tria obſeruat. I. Manum pictoris cuiuſdam, qui Chriſtum ſpecie Iouis pingere voluerat, exaruiſſe, & à Gennadio P. C P. fuiſſe reſtitutam. II. Studium Exconſulem Templum S. Ioannis Baptiſtæ C P. condidiſſe,& Monachos ex Acœmetarum monaſterio illò tranſtuliſſe. III. Gratiſsimum Præpoſitum Templum S. Cyriaci extra auream eiuſdem vrbis regiæ portam exſtruxiſſe.

Anno Chriſti C C C C L X I I I. *Childerici* 7. refert Idatius. I. Nepotianum receſsiſſe è corpore. II. Frumario mortuo Sueuos omnes Remiſmundo paruiſſe. III. *Menſe Maio Ægidij legatos ad Vandalos per Oceanum tranſiiſſe & Septembri reuerſos. Eundem arbitror Ægidium hoc fermè anno Cainonis caſtrum obſediſſe, quade re videndus Gregorius Turonenſis, vbi de ſancto Maximo Abbate S. Mart. diſcip. & à Francis, quibus pulſo Childerico hactenus præfuerat, electum fuiſſe Viomadi opera : qua de re idem Greg. libro 2. Hiſt. Franc. cap. 12. Qui cùm octauo anno* (legendum fortaſsis ſexto VI. pro VIII.) *ſuper eos regnaret, amicus ille fidelis, pacatis occultè Francis, nuncios ad Childericum cum parte illa diuiſi ſolidi, quam retinuerat, mittit. Ille verò certa cognoſcens indicia, quod à Francis deſideraretur, ipſis etiam rogantibus à Thoringiâ regreſſus, in regnum ſuum eſt reſtitutus. Paullò poſt Baſina relicto viro ſuo Thoringiæ Rege ad eumdem Childericum venit. Qui cum ſollicitè interrogaret, qua de cauſa ad eum de tanta regione veniſſet, reſpondiſſe fertur : Noui, inquit, vtilitatem tuam, quod ſis valdè ſtrenuus : ideóque veni, vt habitem tecum : nam noueris, ſi in transmarinis partibus aliquem cognouiſſem vtiliorem te, expetiſſem vtique cohabitationem eius. At ille gaudens eam ſibi in coniugio copulauit : quæ concipiens peperit filium, vocauítque nomen eius Clodoueum. Hic fuit magnus, & pugnator egregius. Plura in eandem rem Fredegarius, Aimoinus, alíque Gregorio poſteriores.* De S. Proſpero hæc Marcellinus, quamquam, vt ſuprà monuimus, videatur iam à ſex minimùm annis defunctus: *Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone ſcholaſticus, & aſſertionibus neruoſus, multa compoſuiſſe dicitur. Epiſtolæ quoque Papæ Leonis aduerſus Eutychem de vera Chriſti incarnatione datæ, ab iſto dictatæ creduntur.* Theophanes nar-

rat.

rat. I. A Leone creatum Zenonem Ducem Orientis & Basiliſicum Verinæ fratrem Præf. Thraciæ. II. Petrum Fullonem preſbyterum Eccleſiæ S. Baſſæ apud Chalcedonem Zenoni ſe adiunxiſſe comitem, Apollinariſtas quoſdam aduerſus Martyrium Ep. Antiochenum concitaſſe, & ad Triſagium addidiſſe, Qui crucifixus eſt pro nobis. III. Martyrium ad Imp. CP. venientem à Gennadio honorificè ſuſceptum. IV. Petrum Martyrij cathedram inſediſſe, ſed ab Imp. damnatum clam profugiſſe.

Anno Chriſti CCCCLXIV. *Childerici* 8. Ex Idatio obſeruo. I. Eclipſim Solis die 20. Iulij feria ſecunda ab hora tertia in ſeſtam. II. Pacem inter Remiſmundum & Theudericum ſtabilitam. III. Vandalos per Marcellinum in Sicilià cæſos, fugatóſque. IV. *Ægidij mortem, ſiue ex inſidiis, ſiue veneno ſublati.* V. Gothos Romanas prouincias inuaſiſſe, quas ille tuebatur. VI. Sueuos Conimbricam dolosè ingreſſos. Beorgorem Alanorum Regem à Ricimere occiſum refert Marcellinus, & alij qui die 6. Februarij haud procul Bergomo Italiæ vrbe reportatam illam fuiſſe victoriam affirmant ad pedem montis. Chronicon Alex. tardiùs S. Simeonis Stylitæ mortem narrat, citiùs verò quàm par ſit Olybrij à Leone Romam miſſi inaugurationem. *Huiuſce anni decurſu, ſed incerto die, conticio Palladium Bituricenſem Archiepiſcopum, dum Prouinciam viſitaret ſuam clauſiſſe diem extremum in Marcilianenſi, vt aiunt, monaſterio Cadurcenſis diœceſis. Quem enim vt Sanctum decimo Maij die ſingulis annis veneramur, is eſt, qui primus huius nominis Bituricenſem rexit Eccleſiam, & in pago ſui nominis 5. ab Vrbe leucis ſepultus eſt. Hilarus Papa ad Leontium Epiſcopum Arelatenſem die* 10. *Octobris literas dedit, quibus ſignificauit Gundiuci Burgundiorum Regis* (quem filium ſuum vocat, virum Illuſtrem Magiſtrum militum) *ſermone ſibi indicatum S. Mamertum Viennenſis Eccleſiæ Antiſtitem, inuitis Deenſibus, qui ad Eccleſiarum numerum, quem ei Apoſtolicæ ſedis deputauit auctoritas, minimè pertinebant, præſumpſiſſe Epiſcopum conſecrare. Idem exeunte Februario anni ſeq. Præceptum dedit de eadem Eccleſia quod vide, & cætera eodem pertinentia Tomo I. Conciliorum Galliæ. Ibidem quoque ſtatutum reperies vt Cemelenenſis ciuitas & Nicaenſe caſtellum ad vnius Epiſcopi regimen redeant.*

Anno Chriſti CCCCLXV. *Childerici* 9. Seuerus Imp. Occidentis dolo Ricimeris Patricij ac Magiſtri militum Romæ

in palatio veneno ſublatus eſt die 15. Auguſti, cùm imperaſſet annis tribus, menſ. 8. & diebus 27. Obiiſſe anno imperij ſui quarto monet Idatius, qui & addit. I. Aiacem Galatam effectum Apoſtatam & ſeniorem Arianum inter Sueuos Regis ſui (Theoderici) auxilio hoſtem Catholicæ fidei & diuinæ Trinitatis emerſiſſe. II. Sueuos ſæuiiſſe in plebem Aunonenſem. III. A Leone Auguſto miſſum de C P. Anthemium fratrem Procopij, cum Marcellino & exercitu copioſo in Italiam veniſſe, & menſe Auguſto appellatum fuiſſe Auguſtum octauo ab vrbe milliario. Quam inaugurationem non anno Leonis 8. ſed 10. aut 11. contigiſſe res ipſa loquitur, cùm interregnum ad vnum duóſve fermè annos durauerit. Mo[illegible]as Præfectus vigilum C P. νυκτέπαρχος, immani cæde à populo trucidatus eſt: poſt cuius mortem elapſis 30. diebus ἀπὸ θεομηνίας die ſecundo Septembris feria quinta, non quarta, cùm celebraretur memoria S. Mamantis conflagrarunt octo regiones Vrbis, Indictione IV. ſcribi debuit non III. Si quidem Indictiones C P. incipiant à Kalendis Septembris, vt volunt. Vide Marcellinum & Chronicon Alex. *Petauius, quique eum* κατὰ πόδας *ſequitur Miræus, & nonnulli alij hoc demum anno Childericum Francis reſtituunt, cùm ex Idatio conſtet obiiſſe anno ſuperiori Ægidium, quem & à Childerico apud Barrum caſtrum victum fuiſſe, & in vrbe Sueſſionenſi, quò ſe receperat, reliquum vitæ tempus quietum exegiſſe volunt. Ad hunc circiter annum reuocat Sirmondus Concilium Veneticum in Paterni Venetenſis in Armoricâ Epiſcopi ordinatione à Perpetuo Metropolitano, & Athenio, Albino, Nunechio & Liberale Epiſcopis celebratum. Extant eius canones ſexdecim.*

Anno Chriſti CCCCLXVI. *Childerici* 10. Ærâ DIV. *Euricus ſiue Eoricus, Euarigem appellant Sidonius Apollinaris & Gregorius Turonenſis, interfecto Toloſæ fratre Theoderico pari ſcelere quo ille ante plures annos, ſuccedit in regnum Veſigothicum, honore ſcilicet prouectus & crimine, vt ait Idatius. Hic primus leges Gothis præſcripſit cùm antea moribus vterentur, & Gothorum regnum ſubacta Aquitania prima ad Ligerim vſque dilatauit, Arelatem quoque ac Maſſiliam adiecit pluriméſque alias ciuitates, Catholicæ religionis hoſtis capitaliſſimus, vt citati modò auctores aliíque abundè teſtantur. Proſperi Regienſis, vt volunt, Epiſcopi mortem quidam in hunc vſque annum differunt, nullo, quod ſciam, probabili argumento. Certè Fauſtum ex Abbate Lerinenſi S. Maximi bis ſucceſſorem iam ab aliquot annis Reios Apollinares rexiſſe multa*

perſuadent alio, ſi Deus dederit, opere in medium proferenda. Criſpino ſuccedit in Ticinenſi Epiſcopatu Sanctus Epiphanius, cuius vitam ſcripſit eius primùm Diaconus, deinde ſucceſſor Ennodius. Expeditio ad Africam aduerſus Vandalos, verba ſunt Idatij, ordinata metabolarum commutatione & nauigationis opportunitate reuocatur. Marcellinus meminit hoc anno Theodoreti Cyri ciuitatis Epiſcopi, quem aſſerit ſcripſiſſe de Incarnatione Domini aduerſus Eutychem & Dioſcorum humanam in Chriſto carnem fuiſſe denegantes.

Anno Chriſti CCCC LXVII. *Childerici* 11. Puſæo & Ioanne Coſſ. Anthemius à Leone Romam miſſus Imperator conſtitutus eſt, (tertio ab vrbe milliario in loco qui Brontotos dicitur ſuſcepiſſe imperium teſtis eſt Caſſiodorus in Chronico) vel Auguſto menſe, vel, vt alij volunt, die 12. Aprilis. Eius filiam Ricimer Patricius duxit vxorem. *Sidonius Apollinaris nondum Aruernorum Epiſcopus Panegyricum ei carmen anni ſeq. initio Romæ dixit.* Chronicon verè Alex. refert illius Imp. imagines laureatas πὰ λαβεῖπα, per Pherentium præfectum Vrbi C P. fuiſſe illatas. S. Hilarus Papa obiit die 10. Septembris poſt ſedem annorum 5. menſium 9. & dierum 29. Succeſſit S. Simplicius creatus die 20. Septembris, patria Tiburtinus. *Clodoueus Childerici & Baſinæ filius hoc anno natus videtur, quippe qui patri ſucceſſerit annos natus quindecim.* Rauennam ciuitatem terræ motus deterruit, & peſtis ingens Romæ fuit, cùm Lupercalia celebrarentur, teſte Gelaſio Papa in opuſculo aduerſus Andromachum Senatorem, alióſque Romanos, qui ſacrificia iuxta priſtinum morem celebrari volebant. Vlyxippona à Sueuis occupatur Luſidij proditione, quem Remiſmundus paullò pòſt legatum ad Imp. miſit. In flumine Minio milliari fermè quinto de municipio Lais capti ſunt piſces quatuor, Hebræis Græcíſque literis, & Latinis numeris anni curriculum continentibus inſignes. Plura de ſimilibus oſtentis, inter quæ non omittendum: *Medio Toloſæ ciuitatis è terra ſanguinem erupiſſe totóque diei fluxiſſe curriculo*, congerit Idatius, quem ad annum vſque 471. vixiſſe docent non ſuo loco inſerta quædam de Aſpare degradato ad vitam priuatam, filióque eius occiſo, quòd aduerſum Romanum Imperium derecti fuiſſent Vandalis conſuluiſſe. Hoc quoque anno Chronicon

Alex. memorat Aſparem, cùm tyrannidem meditaretur, intra palatium, filios verò eius Ardaburium & Patricium ἐν χειμεῶνι interfectos fuiſſe, turbáſque C P. citatas à Gothis & Comite Oſtro, qui facta in palatium irruptione συμβουλῆς γνωμοδότης μετὰ τῶν ἐξκουβιτόρων, id eſt, initâ cum Excubitoribus pugnâ, (non verò, vt vertit Interpres, communicato cum Excubitoribus conſilio) multos occidit, & in Thraciam fugit, &c. quæ ad annum 471. pertinere iam diximus. Rectiùs itaque ex eodem obſeruare licebit quæ de Iſocaſio Philoſopho & Quæſtore, & Iacobo Cilice vrbis Archiatro, qui dicebatur Pſychriſtus ὧν τινι χρὴ οἱ συλλητικοὶ εἰκόνας ἔχουσιν ἐν τῷ Ξυλοκέρατι; & de lege ab Imp. latâ, ne quis inſtrumenta Muſica die Dominico pulſaret, fusè proſequitur.

Anno Chriſti CCCCLXVIII. *Childerici* 12. Contigiſſe arbitror plurima ex illis oſtentis, quæ ab Idatio recenſentur. Nec abs re quiſpiam ad hoc circiter tempus referet varia illa portenta, *quorum intuitu S. Mamertus Viennenſis Archiepiſcopus triduanas ante Aſcenſionem Domini cum ieiunio Litanias inſtituit; de quibus Sidonius Apollinaris libri 7. ep. 1. Conc. Aurel. I. can. 29. S. Auitus Viennenſis Ep. Greg. Turonenſis, & ex iis, aliíſque antiqua Martyrologia. Errat porrò Aimoinus, quíque illius errantis ductum ſequuti, conſignant originem precum illarum paullò ante obitum Clodouei.* Leo & Anthemius Impp. Genſerico bellum inferunt ingenti claſſe mille nauium paratâ, in eámque conſumptis 1300. centenariis. Verum Baſiliſci Verinæ Auguſtæ fratris negligentiâ, aut proditione, omnes illi ſumptus perierunt. Marcellinus Occidentis Patricius, homo paganus, dum Romanis contra Vandalos in Africâ pugnantibus opem auxiliúmque fert, ab iiſdem dolo confoditur, pro quibus palam venerat pugnaturus. Plura curioſis ſubminiſtrabunt Candidus Iſaurus, Priſcus Panites, Procopius, Cedrenus, Nicephorus, cum noſtris ad Candidum annotatis. Baſiliſcus C P. poſt cladem reuerſus ac proditionis conuictus ad Eccleſiam confugit, & à ſorore Auguſta periculo liberatus, Perinthum Thraciæ vrbem relegatus eſt. Eiuſdem ſceleris participes fuiſſe conſtat Aſparem & Ardaburium Arianos, quos vt tutiùs deinde perderet, Patricium Aſparis filium Leo Imper. creauit, eíque filiam Ariadnam deſpondit, quæ Zenoni deinde nupta eſt. *Aruandus, mendosè quibuſdam Seruandus, Præfectus Prætorio Galliarum maieſtatis Romæ*

damnatus hoc vel præcedenti anno in exilium missus est. Consule Sidonij libri I. ep. 7. & lib. II. ep. 1. lib. III. ep. 7 & lib. V. ep. 13. vbi de Seronato per ea tempora omnia in Galliis pessumdante pluribus conqueritur, eúmque sæculi sui Catilinam vocat, barbaris prouincias propinantem, quem conuictum vix Respublica præsumpsit occidere, vt loquitur epistola 7. libri 7. sed eius mors ad annum aliquem ex sequentibus pertinet. Chronicon Alex. refert Gensericum, Attilæ filium ab Anagasto Mag. militum in Thraciâ cæsum esse, eiúsque caput C P. delatum, dum Circenses agerentur, atque in Xylocerco è palo suspensum. Ex Marcellino verò colligere mihi posse videor, inchoatâ iam cum mense Septembri Indictione VII. caput Denzicis (sic enim appellat) Attilæ Hunnorum Regis filij allatum fuisse C P.

Anno Christi CCCCLXIX. *Childerici* 13. Magnus Felix, qui Præfectus prætorio fuerat, Patricius creatur ab Anthemio. Hic mutatâ veste religioni se dedidit, *& à Fausto Reiensi Episcopo per ea tempora eloquentissimo in suscepto proposito confirmatus est, vt testatur Gennadius Presbyter Massilienſis, Euricus Vvesigothorum Rex crebram mutationem Romanorum Principum cernens, Gallias suo iure visus occupare plurimas Aquitaniæ I. prouincias, ac præsertim Aruerniam vexare cœpit, tandémque annis consequentibus vsque ad Ligerim regni sui fines protraxit. De Childerico multa narrat Grego. libri 2. cap. 18. quæ in pauca contraho sub huius anni periocha, quamus ad plures ea pertinere videantur: Childericus Aurelianis pugnas egit. Odouacrius verò cum Saxonibus Andegauos venit: Magna tunc lues populum deuastauit* (mortem deinde infercit Ægidij qui reliquit filium Syagrium nomine) *Paulus Comes cum Romanis ac Francis Gothis bella intulit & prædas egit. Veniente Odouacrio Andegauos, Childericus rex seq. die aduenit, interemptóque Paulo Comite ciuitatem obtinuit. Magno ea die incendio domus Ecclesiæ concremata est. Inter Saxones atque Romanos bellum gestum est, sed Saxones terga vertentes multos de suis Romanis insequentibus gladio reliquere: insulæ eorum cum multo populo interempto à Francis captæ atque subuersæ sunt. Eo anno mense nono terra tremuit. Odouacrius cum Childerico fœdus iniit Alamannósque, fortè Alanos, qui partem Italiæ peruaserant, subiugarunt.* Quæ qui aptè explicuerit suósque in annos ritè digesserit, erit hic mihi magnus Apollo. Depluit pro imbre cinis C P. die 11. Nouembris tantúmque grassatum est incendium à mari vsque ad mare, quantum ante numquam. Leo Imper. territus

contulit se Peram ad S. Mamantem, & fecit ibi portum, & porticum, quæ Noua dicitur.

Anno Christi CCCCLXX. *Childerici* 14. Romanus Patricius affectati imperij reus capite truncatur. *Britanni de Bituri. a à Gothis expulsi sunt, multis apud Dolensem vicum peremptis, inquit mox citatus Gregorius Turonensis. Plura Iornandes Rauennas Episcopus cap. 45. de rebus Gothicis: Anthemius Imperator solatia Britonum postulauit. Quorum Rex Riothimus* (Rhiotamum appellat Sidonius libri 3. ep. 9. aliis Rioualus dicitur) *cum duodecim nauibus veniens in Biturigas ciuitatem Oceano è nauibus egressus susceptus est, quem Euricus pugnans superauit, antequam Romani in eius societate coniungerentur, & cum paucis qui superfuerant ad Burgundionem gentem vicinam Romanis in eo tempore fœderatam fugere coëgit. Errat verò vir eruditus, qui occupatum post eam pugnam scripsit Auaricum Biturigum, pulso inde Britonum præsidio ab Eurico: Biturica enim siue Bituria eò loci non vrbem, sed prouinciam significat, ad quam spectat Dolensis vicus Abbatia ab Ebbone posteà fundata & B. Mariæ miraculis nobilissimus. De Chilperico Burgundionum Rege post Gundiucum fratrem Magistro militum ac Romanorum propugnatore ac patrono, Lugduni tum considente legenda Sidonij Apollin. ep. 6. lib. 5.* Gennadius P. C P. Danielem Prophetam ex integrò ad verbum commentatus est, homilias multas composuit, & Pauli epistolas omnes exposuit, teste Marcellino. Eius tamen interitus differtur ex Nicephori Patriarchæ similiter C P. Chronico in annum sequentem, post sedem annorum 13. cui successit Acacius, qui maximas in Ecclesia turbas excitauit, vt strictim attingenus.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCLXXI. *Childerici* 15. Si quæ Sigeberto, Miræo, & plerisque aliis fides, hoc anno *Sanctus Remigius Remorum factus est Archiepiscopus: à quo longissimè absunt qui ab anno* 457. *Pontificalibus infulis decoratum volunt. Viderint verò vtri porrò sententiæ magis faueat Sidonius Apollinaris. Nos alia modò agitamus, nec nisi obiter de Sacris Galliarum Antistitibus tractamus. Erit fortè tempus, cùm ad calculos nostros exactam à* 14. *& quod excurrit annis eorum Chronologiam publici iuris faciemus, & innumerabiles Roberti, Chenutij, Frisonij, aliorúmque nostræ huius ætatis Scriptorum parachronismos refellemus. Circa hoc tempus Ecdicius,* (quem truncatè Decium quidam appellant) *Auiti Imperatoris filius, Papianillæ, quam Sidonius ante Episcopatum duxerat*

vxorem, frater, Euricum Regem Aruernum municipium obsidentem ingenti miraculo exiguâ manu profligauit. Aspar primus Patriciorum, inquit Marcellinus Comes, cum Ardabure & Patriciolo filiis, illo quidem olim Patricio, hoc autem Cæsare, generóque Leonis Principis appellato, Arrianus cum Arriana prole, spadonum ensibus in palatio vulneratus interiit. Plura in nostris ad Candidum Isaurum Notis Tomo I. Corporis Byzantinæ Historiæ, nec indigna scitu reperies de Aspare, eiúsque tribus filiis, ex pluribus Scriptoribus collecta, Damascio, Euagrio, Idatio, Chronico Alex. Procopio, Victore Tunnunensi, Prisco, Theophane, Constantino Manasse, Zonarâ, Suidâ, aliisque.

Anno Christi CCCCLXXII. *Childerici* 16. Anthemius Imp. die 11. Iulij, à Ricimere genero suo, qui Romam arctâ prius obsidione cinxerat, contra reuerentiam principis & ius affinitatis occiditur, cùm imperasset annos 4. & menses vndecim. Ricimer non diutius scelere suo gloriatus paulò post soceri sui necem morbo periit die 18. Augusti. Substitutus in locum Anthemij Anicius Olybrius septimo vel potius tertio imperij sui mense vita defunctus est. Sunt enim qui hoc ipso anno morbo velint fuisse sublatum die 23. Octobris. Plura Cassiodorus & Anonymus Chronologus apud Cuspinianum & Onuphrium: de eodem Chronicon Alex. alieno prorsus loco ad annum 464. hæc habet: Olybrius Romam missus à Leone Imp. coactus ibi Imperator inauguratur, ductâ vxore Placidiâ à Vandalorum seruitute redemptâ, quæ ei peperit Iulianam Areobindi coniugem, magni illius Herois, qui in Perside singulari certamine cum hoste congressus est. Ex quibus natus est Olybrius iunior. *Quæro autem quis ille sit Bilimer Galliarum rector qui Anthemio præsidium ferre cupiens Romam aduolauit, & ad Hadriani pontem à Ricimere in pugna occisus est.* Ostrym siue Ostrum Comitem, de quo iam supra ex Chronico Alexandrino mentionem fecimus, Asparis κατάστασιν cum Theoderico Triarij filio, cognomento Strabone, cuius soror Asparis erat coniux, vastata Thracia Constantinopolim obsidentem à Zenone & Basilisco repulsum, auctor est Theophanes, qui cùm alia multa, tum etiam addidit, Eudociam siue Honoriam, quæ Hunerico Genserici filio Hildericum pepererat, postquam cum illo 16. annis vixisset, clam profugisse ad lo-

ca ſancta, ibíque fuiſſe mortuam. In Aſia ciuitates aliquot terræ motu collapſæ ſunt. Veſuuius mons Campaniæ inteſtinis ignibus æſtuans exuſta euomuit viſcera, nocturníſque in die tenebris incumbentibus, omnem Europæ faciem minuto contexit puluere. Huius metuendi cineris memoriam Byzantios annuè celebrare die 6. Nouembris teſtis eſt Marcellinus. *Creatus creditur à quibuſdam hoc vel etiam ſequente anno Aruernorum Epiſcopus Sidonius Apollinaris. Verùm iam ab aliquot annis ordinatum crebræ eius docent per ea tempora ad varios datæ epiſtolæ.*

Anno Chriſti CCCCLXXIII. *Childerici* 17. Flauius Glycerius poſt interregnum menſium 4. dierúmque 14. die 5. menſis Martij purpuram ſumit apud Rauennam, quem plus præſumptione quàm electione factum Cæſarem tradit Marcellinus Comes. Id factum fuiſſe dicit Caſſiodorus Gundibalo hortante, quem anno ſuperiore Patricium factum fuiſſe ab Olybrio Imp. docet Anonymus. In Oriente verò Leo Auguſtus Leonem nepotem ſuum Zenonis Iſauri atque Ariadnes filium Imperatorem creat. Conſule noſtras ad Candidum Iſaurum annotationes, ne actum agam. Chronicon Alexandrinum vixiſſe in Imperio Leonem aſſerit annos 17. ex Neſtoriano quodam, quem ſapientiſſimum Chronographum hiſtoriam ſuam ad Leonem vſque iuniorem perduxiſſe teſtatur. Conſtantinopoli ſeditione in Circo ortâ multi Iſaurorum à populo interempti ſunt. *Hoc anno poſt mortem Eulodij Bituricenſis Epiſcopi interpontificium diuturnum extitit, donec exeunte anno creatus eſt Biturigum Antiſtes Simplicius Eulodij filius, & Palladij deceſſorum gener, & ab Agroecio Senonenſi, Euphronio Auguſtodunenſi, & Sidonio Aruernenſi Epiſcopus ordinatus, cùm ſola ex omnibus Aquitaniæ primæ vrbibus Aruerna ciuitas cum ſuâ metropoli nondum Gothorum pareret imperio. Vide Sidonium epiſtolis 5. 7. & 9. libri 7. necnon celebrem illam Concionem, quam ad Perpetuum Turonenſem Antiſtitem miſit.*

Anno Chriſti CCCCLXXIV. *Childerici* 18. Ianuario menſe Indictione 12. Leo Senior Imp. Leone iuniore à ſe iam ante decem menſes Cæſare conſtituto, C P. morbo periit, tam ſui imperij annis, quàm nepotis regni menſibus computatis annis 17. & menſibus nouem. Leo iunior Zenoni patri ſuo Magiſtro militum impoſuit diadema regium menſe Februario huius anni, tum circa Dium ſeu Nouembrem de medio ſublatus vita ſimul & imperio caruit, vndecimo menſe Conſulatus

sulatus sui quem solus gessit, solúsque in Oriente regnare cœpit Zeno, prius dictus Tarasicodisas, patria Isaurus, de quo singularia quædam ex Candido Isauro seruauit posteris Photius, quæ nos collatione aliorum Auctorum illustrare conati sumus. Victor Tunnunensis in Chronico docet Leonem hunc à Zenone patre ad necem quæsitum ab Ariadnâ matre seruatum fuisse, alio simili puero in eius locum substituto, eundémque occultè tonsum Clericum vnius Ecclesiæ C P. extitisse, & vsque ad Iustiniani principis tempora vixisse. Glycerius Cæsar Romæ imperium tenens à Nepote Marcellini Patricij sororis filio imperio expulsus post vnum annum & tres menses in Portu Vrbis Romæ Episcopus factus, non huius Portus Romani, vt quidam falsò scripserunt, Marcellini Comitis loco malè intellecto delusi, sed Salonæ Dalmatiæ oppidi. Eius locum occupauit prædictus Iulius Nepos die 24. mensis Iunij, vt quidam contendunt, ad vnum annum & tres circiter menses, ac per S. Epiphanium Ticinensem Episcopum pacem ab Euarico, *qui Tolosæ*, vt loquitur Ennodius, *alumnos Getas ferreâ dominatione gubernabat. Inter conditiones fœderis fuisse deditionem Aruernorum ex Sidonio colligitur : Facta est seruitus nostra pretium securitatis alienæ, inquit lib. 7. ep. 7. ad Græcum Massilienſem Episcopum, nostri quantum audio facta iactura, pudeat vos precamur huius fœderis, nec vtilis, nec honesti : & præcedenti epistolâ ad Basilium Aquisextiensem Ep. quem sacratissimorum Pontificum Leontij, Fausti, Græci, vrbe, ordine, charitate medium asserit inueniri. Ex quibus arguuntur, qui iam ab anno 471. ex Iornande, Isidoro & Sigeberto contendunt Euricum Romani regni vacillationem cernentem* (id melius ad Augustuli tempora post vnum alterúmve annum reuoco) *Arelatum & Massiliam rupto iterum fœdere propriæ subdidisse ditioni. Sidonius lib. 8. ep. 3. ad Leonem Eurici Quæstorem significat se per aliquod tempus apud Liuianum castrum exulasse haud procul Narbone & Carcassione, donec eiusdem Leonis operâ suis redditus est. Ecdicius ad Burgundiones primùm, tum Romam ad Nepotem Augustum transiit, qui in locum eius Orestem Mag. militum ordinauit. Euricus autem Gothorum Rex*, verba sunt Gregorij Turonensis, *Victorium Ducem super septem ciuitates præposuit anno 14. regni sui, &c. quò fit vt à veritate longiùs aberrent, qui deditis Aruernis illicò impositum fuisse Victorium volunt, cùm Gregorius annum tam apertè designet. Idem verò fatum Biturigas, Turonos, cæteráſque vsque ad Ligerim ciuitates inuoluit, eásque Vvesigothorum sub-*

didit iugo. Cætera prætermitto, ex quibus noſtra firmatur Chronologia, aliorúmque increpantur moræ. *Arbogaſtis nobilis Franci per eæ tempora Romanis fideliſſimi laudes celebrat Sidonius Apollinaris lib. 4. ep. 17. & Auſpicius Tulli Leucorum in Belgicâ prima Epiſcopos in carmine Trochaico, quod edidit Marquardus Freherus, & poſt eum Ducheſnius.*

Anno Chriſti CCCCLXXV. *Childerici* 19. Iulio Nepote Auguſto in Dalmatiam fugato die 28. Auguſti, poſtquàm imperaſſet vnum annum & tres circiter menſes, Oreſtes Patricius & Magiſter militum filium ſuum Romulum Auguſtum ſiue Auguſtulum (quem corrupta voce quidam Momylum vocauere) Rauennæ Imperatorem conſtituit die 31. Octobris. Zeno Imperator Verinæ ſocrus ſuæ, cui nonnihil negauerat, eiúſque fratris Baſiliſci inſidiis appetitus, Chalcedonem primùm, & inde in Iſauriam fugit, quò eum Ariadna eius vxor ſequuta eſt. Baſiliſcus tyrannidem inuaſit, eáque potitus eſt annis duobus, qui primis poſterioribúſque Zenonis annis adſcribuntur, vt loquitur Auctor Chronici Alexandrini, qui biennio tardiùs iſta conſignauit, aut qui deſcripſit imperitus amanuenſis. De Zenonidâ eius vxore, de Marco filio Cæſare primùm, tum etiam Imperatore renuntiato, & ſimilibus vide quæ aliàs annotauimus ad Candidum Iſaurum. Theophanes refert vxoris impulſu Timotheum Ælurum ab exilio reuocatum Timothei Solophacioli æmulum, Alexandriam; Petrum verò Fullonem in Acœmetarum monaſterio latentem Antiochiam remiſiſſe, & Acacium P. CP. ad damnandum Chalcedonenſe Concilium ſollicitaſſe. Sanctionem eius, cui circiter 50. ſubſcripſerunt Epiſcopi, exhibet Euagrius libri 3. cap 4. *Concilia Arelatenſe & Lugdunenſe circa hoc tempus celebrata fuiſſe à ſanctiſſimis Pontificibus Leontio Arelatenſi & Patiente Lugdunenſi, aliíſque quamplurimis, ad condemnandos præſertim Prædeſtinatianorum hæreticorum errores docent libri Fauſti Reienſis Epiſcopi, de gratia Dei & humanæ mentis arbitrio, libellus Lucidi Preſbyteri, aliáque vetuſtatis Eccleſiaſticæ monumenta, quæ aduerſus noſtri ſæculi Nouatores Vſſerium Armacanum Exprimatem, illiúſque ſimias Ianſenianos egregiè vindicarunt Iacobus Sirmondus, Ludouicus Cellotius, Stephanus Dechamps Societatis* IESV *Theologi.*

Anno Chriſti CCCCLXXVI. *Childerici* 20. Baſiliſcus tyrannus, verba ſunt Marcellini Comitis in Chronico ſub Con-

sulatu Basilisci & Armati, Marco filio suo Cæsare facto, dum contra fidem Catholicam Nestorianâ (imò Eutychiana) perfidiâ intumescens conatur assurgere, ante inflatus crepuit, quàm pœnitens stare potuerit. Zenone quippe ad pristinum imperium remeante in exilium missus est cum filio & vxore, atque in oppidulum, quod Leminis in prouincia Cappadociæ dicitur, trusus fame contabuit. Quæ quomodo cum Candido, aliisque scriptoribus consonent dissonéntve, ex supradictis Notis intelliges. Odoacer Erulorum & Turcilingorum Rex (Gothos vocat mox allegatus Marcellinus) Ediconis filius à Nepotis fautoribus aduersus Orestem eiúsque filium in Italiam accitus, Roma capta, Italiæ Regem se vocauit die 23. Augusti, cùm tamen nec purpura nec regalibus vteretur insignibus, inquit Cassiodorus in Chronico, Orestem occidit Placentiæ die 28. eiusdem mensis, fratrémque eius Paullum in prœlio prope Rauennam interfecit die 4. Septembris, tum Augustulum in Lucullano Campaniæ castello exilij pœna damnauit. Genfericus Vandalorum Rex potentissimus & Catholicis infensissimus exactis in Africa fermè 50. annis tandem periit hoc anno post Carthaginem dolo captam 38. relicto successore filio Hunerico ad annos septem cum aliquot mensibus. Peroxes Persarum Rex violato fœdere ab Hunnis Albis siue Nephthalitis oppressus est; quâ de re videndi Procopius & Theophanes. *Sigeberti Gemblacensis circa hæc tempora ruentis Romani imperij perturbatissimæ sunt rationes: nec prudenter facere arbitror, qui ex eo lutulento fonte areolas suas irrigant. Frustra ergo sunt, quæ de Colonia Agrippina capta, fugato duce Ægidio, capta Treueri ad Moscllam ciuitate, vastatis ab Audouachrio Andegauis, morte Ægidij, cui filius successit Syagrius, ac similibus collocauit alienis in sedibus.*

Anno Christi CCCCLXXVII. *Childerici* 21. Zeno ex Isauria cum ingentibus copiis redit, & Armato, quem Basiliscus cum vniuerso exercitu aduersus eum miserat, pollicitis pluribus in suas partes traducto, CP. ingressus à Prætorianis & Senatu recipitur, & cum Verina socru reconciliatur. Basiliscus cum vxore & liberis ad Magnam Ecclesiam fugit, vnde eductus in Cappadociam ad castrum Lemnas amandatur, vbi mortuus ac sepultus est, vt Marcellinus pro more res gestas anticipans anno superiori docuit. Odoacer Bracilam siue Brauilam Comitem die 11. Iulij apud Rauennam occidit,

idémque Eurico Vvesigothorum Regi Prouinciæ Narbonensis partem, quæ ad Alpes à Rhodano porrigitur, concessisse dicitur. Circa ea tempora mortuo Chilperico Burgundionum Rege, quatuor eius ex Gundiuco fratre nepotes Gundobadus, Godegisilus, Chilpericus, qui Chrotildis siue Clotildis pater extitit, ac Godomarus regnare cœperunt. De his Gregorius Turonensis libro 2. capp. 28. 32. & 33. Zeno Imp. Petrum Fullonem Antiochia eiicit, in cuius locum Stephanus substituitur, qui falsò Nestorianismi accusatus, in Laodicena Synodo absolutus fuit. Pulso similiter Æluro, Solophaciolus Timotheus Alexandriam rediit. Post Anastasium anno sedis suæ 19. mortuum suffectus est Hierosolymis Episcopus Martyrius Cappadox. Septembris die 25 Indictione prima iam inchoata CP. ingenti terræ motu quassata est: eodemque anno S Barnabæ Apostoli corpus sub ceraso inuentum est in Cypro, habens S. Matthæi Euangelium super pectus.

Anno Christi CCCCLXXVIII. *Childerici* 22. Illo siue Hello Cos. Theodulus presbyter in Cœlesyria clarus habitus est, & multa conscripsit, teste Marcellino. Petrus Moggus Alexandria eiicitur, de quo plura Liberatus in Breuiario, Felix Papa Ep. 2. Euagrius libro 3. cap. 11. aliique. *S. Lupus Trecensis Episcopus cùm iam 52. annis Ecclesiæ suæ præfuisset, creditur quibusdam hoc anno obiisse die 29. Iulij. Sub eo eiúsque successore Cameliano floruit S. Auentinus.*

Anno Christi CCCCLXXIX. *Childerici* 23. Sabinianus Illyricianæ vtriusque militiæ ductor, plurimùm à Marcellino Comite commendatus, Theodoricum Ostrogothorum Regem (quem quidam Triarij filium fuisse putant, ego Valameris filium censeo, qui postea missus in Italiam Odoacrum vicit) apud Græciam debacchantem ingenio magis, quàm virtute deterruit. Marcianus Anthemij Imperatoris filius, qui Leontiam Ariadnes Augustæ sororem duxerat, aduersus Zenonem rebellat, eóque victo, cùm se luxui dedisset, Illi superioris anni Consulis periuriis ac fraude superatus, captúsque ab Acacio Episcopo CP. presbyter consecratus est. Stephano Patriarcha Antiocheno à Petri Fullonis fautoribus die 25. Aprilis calamis confosso, & in fluuium Orontem demerso, Stephanus alter iussu Zenonis CP. ab Acacio ordinatus est. Qua de re consule Simplicij Papæ epistolam datam 22. Iunij post Consulatum Illi. *Euricus Gothorum Rex Victorium Ducem su-*

per septem ciuitates præposuit anno 14. regni sui, qui protinus Aruernos adueniens ciuitatem addere voluit. Fuit autem Aruernis annis nouem & super Eucherium Senatorem calumnias deuoluit, &c. *Sidonius Apollinaris libri 7. ep. 17. de eo hæc habet: quem iure sæculari patronum, iure Ecclesiastico filium, excolo vt cliens, vt pater diligo*, &c. *Viuebat eo tempore in monasterio S. Cyriaci Abraam Abbas, de quo videndi qui mox laudati sunt Gregorius atque Sidonius. Fredegarius in Miscella & Chronicon Moissiacense narrant Eoricum anno 14. regni sui Briuate S. Iuliani basilicam columnis ornatam mirificè construxisse. Ad hunc annum referendas Arelatensem & Lugdunensem Synodos aduersus Prædestinatianos hæreticos non immerito quis suspicabitur, pacatis iam rebus in Gallia, neque tanto æstu desæuiente Bellona.*

Anno Christi CCCCLXXX. *Childerici* 24. CP. per 40. continuos dies terræ motu quassatur: ambæ Troadenses porticus, cum statua Theodosij Magni in foro Tauri supra cochlidem columnam posita, alfaque multa corruerunt. Hunc formidolosum diem Byzantij celebrabant 24. Septembris. Illus suadet Zenoni, vt Verinam socrum eiiciat, quæ submisso percussore eundem curat interfici. Illum Zeno Orientis Ducem, creauit, quæ pluribus enarrant Candidus, Theophanes, alij. Iulius Nepos anno quinto quàm ab Oreste fuerat in Dalmatiam fugatus, haud procul Salonis sua in villa, Viatoris & Ouidæ Comitum suorum insidiis occisus est die 9. Maij. Nec defuerunt qui consortem sceleris illius facerent Glycerium, quem Nepos imperio spoliauerat. Quare delenda moneo duo illa verbula, & obiit, ex Chronico Marcellini vbi Ind. XII. Leone Iuniore solo Consule anno Dominici natalis 474. recitat Glycerium in Portu Vrbis Romæ ex Cæsare fuisse Episcopum ordinatum, quæ aliis fraudi fuere. Vide Malchum Philadelphiensem in Excerptis Legationum. Hunericus Vandalorum Rex Carthaginensibus Orthodoxis permisit, vt Episcopum crearent, qui fuit S. Eugenius, de quo Victor Vticensis libro 2. Nascitur S. Benedictus, si quæ Leone Ostiensi fides initio Chronici Cassinensis. *Petauius & ex eo Miræus hoc demum anno tradunt Aruernensem vrbem Legatorum pactione Gothis deditam. Verum nos iam supra eorum increpuimus moras.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCLXXXI. *Childericus Francorum Rex postquàm 24. annos exegisset in regno, finéque*

eius à Somonâ, seu potius Sequanâ ad Ligerim vsque, Aurelianis, Andegauísque, aliísque ciuitatibus in potestatem redactis protulisset, obiit, & Tornaci barbarico more sepultus fuisse dicitur. Multa in eam rem Chiffletius nuper obseruauit in Anastasi Childerici, necdum tamen probauit Criticis nostris Regis potiùs esse tumulum quàm magni alicuius Principis, qui per eadem tempora apud Francos vixerit. Sed hæc omitto, vt moneam hominem illum, ὁ παρέργως καὶ πεπέργως occupatissimum ad nauseam vsque tædiúmque Lectorum, in Chronologicis, quæ totum hominem sibi vindicant, planè cæcutiisse, siue cùm Meroueum obiisse ait anno 455. & Clodoueum an. 511. cùm tamen inter vtriusque obitum anni 54. tantùm reperiantur & non 56. siue cùm Childerici initia ex Sigeberti epilogismis collocat in anno 461. quasi verò aut interregnum aut alius Princeps inter Meroueum & Childericum in vacuo sex annorum spatio inculcandus sit; cuius nulla apud Greg. Fredeg. Roriconem, Aimoinum, alióque nostrates Historicos mentio. CLODOVEVS *Childerici & Basinæ filius, cuius nomen apud veteres variis efformatum modis constat, quos Chiffletius ex Hadriano Valesio V. C. callentissimo Francicarum rerum scriptore mutuatus est, successit patri sub finem huius anni, cùm certum sit ex Gregorio Turonensi annos solidos* 30. *regnasse, vixisse* 45. *& firmissima argumenta persuadeant mortem eius exeunte Nouembri anni* 511 *Felice & Secundino Coss. contigisse, vt postea docebimus. Ex eadem regiâ Francorum stirpe viuebant circa eadem tempora Sigebertus apud Coloniam Agrippinam, Ragnacharius Camaraci, necnon Chararicus, de quibus ex Gregorio Turonensi nonnihil suo dicendum erit loco.* Theodericus Triarij filius, qui cum suis Ostrogothis vsque ad Anaplum quarto ab vrbe CP. milliario aduenerat, dum in Illyricum properaret, iacentis super carpentum teli acumine, & paulescentis equi sui impulsione transuerberatus interiit, auctore Marcellino, qui etiam Sabinianum morte priùs ademptum deplorat, quàm integrum defatigatæ reip. subsidium foret. De Theoderico videsis excerpta Legationum ex Malcho Philadelphiensi, aliísque. Odoacer in Dalmatiis Odinam vincit & perimit, inquit Cassiodorus. *Sigebertus in hunc annum confert, quæ Gregorius Turonensis refert de Senatore Ecdicio, qui cùm famis tempore in Burgundia quatuor pauperum millia sustentaret, cælestis promissionis vocem audiuit:* Ecdici, Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi & semini tuo panis non deerit

in ſempiternum, eò quòd obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum ſatiaueris. *Verùm cùm ex Sidonio idem auctor ſimile referat in ipsâ fame præſtitum beneficium à S. Patiente Lugdunenſi Epiſcopo, Sigeberti moras meritò reiicimus. Labente quoque hoc anno incerto tamen die ſancta morte defunctus eſt Simplicius Bituricenſis Antiſtes, expletis in Pontificali cathedra ſeptem annis, menſibus tribus, ac diebus 4. ſepultúſque eſt in Eccleſiâ de Caſtro dicta, extra pomœria ciuitatis, quam propriis perhibetur extruxiſſe impenſis.*

Anno Chriſti CCCCLXXXII. *Clodouei* 1. *currente*, S. Seuerinus Noricorum Apoſtolus obiit die 8. Ianuarij, Eugepio teſte, qui vitam eius ſcripſit, quam apud Surium & Bollandum leges. *Eodem quoque anno die* 23. *Auguſti mortuum quidam volunt Sidonium Apollinarem Aruernorum Epiſcopum, virum nobilitate, doctrinâ, & ſanctitate præſtantem. Verùm alij reluctantur, qui non feria* 2. *ſed ſabbato defunctum ex Gregorij Turonenſis verbis eruere ſibi poſſe videntur: ſed de ſanctis, vt iam monui, Franco-Galliæ Epiſcopis plura, Deo dante, ſuggeret noſter Nomenclator Chronologicus. Simplicio poſt aliquot menſium interuallum ſubſtitutum arbitror in Bituricenſi ſede Roricium, ſiue Ruricium, hominem nobis non niſi de magno per ea tempora nomine cognitum, cui MSS. Catalogi, Calamæus, Chenutius, Robertus, annos imputant* 12. *ſed in hoc allucinantur omnes, quod Tetradio poſtponant, quem præiuiſſe docent ſubſcriptiones Conciliorum Agathenſis & Aurelianenſis I. quibus Tetradij nomen inſertum eſt.* Theodericus, cognomento Valamer, Oſtrogothorum Rex vtramque Macedoniam Theſſaliámque depopulatus, Lariſſam quoque metropolim deprædatus eſt. Zeno Imperator, impellente Acacio P. C P. Henoticon ſuum promulgat, quod vt Calchedonenſis Synodi decretis contrarium, Romani Pontifices, aliíque orthodoxi reſpuerunt: vnde poſtea ingentes per vniuerſum orbem turbæ. Stephano P. Antiocheno mortuo ſuffectus eſt Calandio, & Timotheo Solophaciolo Ioannes Talaida, ambo orthodoxi. Verùm hunc impulſu Acacij Zeno expulit, reſtituto Petro Moggo. Patricius Illus cum Leontio, Pamprepe, aliíſque eduxit è carcere Verinam Auguſtam, egítque, vt Tarſi in Cilicia Leontium Patricium Auguſtum coronaret. Vide quæ ex Euagrio, Theophane, aliíſque annotauimus aliàs ad Excerpta Candidi Iſauri. Marcellinus triennio tardiùs ſub Coſſ. Theoderico & Venantio hæc habet: Illus, natione Iſaurus, dignitate Magiſter Officiorum,

amputata apud Comitatum auricula, Orientem Zenoni infestus inuasit, & cum Leontio tyrannidem arripuit.

Anno Christi CCCCLXXXIII. *Clodouei* 2. Mortuo Simplicio Papa die 2. Martij, cùm Ecclesiæ præfuisset annis 15. mens. 5. & diebus 10. Felix II. Tertium quidam recentiores appellare post Baronium non verentur, suffectus est die 8. eiusdem mensis. Hic fuit S. Gregorij Papæ atauus, damnatóque Zenonis Henotico, ac collectâ Romæ Synodo in causa Ioannis Talaidæ & Petri Moggi Legatos misit, vt Romam citaretur Acacius, & Petrus ille Moggus Alexandria pelleretur. Damnatus quoque Petrus Fullo Antiochenæ sedis inuasor, qui Trisagio addidit: *Qui passus est pro nobis.* De Acephalorum origine non bene consentiunt inter se Liberatus in Breuiario, & Leontius de Sectis. Theodericus Valamer Zenonis Augusti munificentiis penè pacatus, Magistérque præsentis militiæ factus, Consul quoque designatus, creditam sibi Ripensis Daciæ partem Mœsiæque inferioris cum suis satellitibus pro tempore tenuit, inquit Marcellinus.

Anno Christi CCCCLXXXIV. *Clodouei* 3. Romæ coacta Synodus, in quâ Acacius & Petrus Fullo anathemate perculsi: damnati quoque Misenus & Vitalis Legati Sedis Apostolicæ, qui CP. cum Acacio & Petro Moggo communicarant. Liberatus addit Ioannem Talaidam, qui Alexandria pulsus, primùm ad Calandionem Antiochiam, mox Romam venerat, à Felice Papa Nolanæ Ecclesiæ præfectum fuisse. In Africa mense Februario Arianorum crudelitas in religiosos Christi cultores cæpit infligi, Hunerico Rege sæuiente, qui plusquam 334. Episcopos exilio mulctauit, plebémque variis subegit suppliciis. Aliquantos præcisis linguis, manibúsque truncatis, apud Byzantium integra voce conspexi loquentes, inquit Marcellinus. De iisdem plura Victor vterque Vticensis & Tunnonensis, Greg. Turonensis, aliíque. Hunericus non multò post vermibus corrosus periit circa initium Iunij anni seq. cùm regnasset annos 7. & decem menses & Sol teter apparuisset, ita vt vix ab eo pars vel tertia eluceret: quæ Greg. verba innuunt Eclipsim factam die 29. Maij, de qua etiam non secus ac de præcedentis anni Eclipsi die 13. Ianuarij Marinus in vita Procli. Successerunt ei. I. Gunthamundus ex Gentone filio Genserici nepos ad annos 11. & menses 6. II. Thrasamundus

mundus frater eius ad annos 27. menſes 4. III. Hildericus eiuſdem Hunerici ex Eudocia Valentiniano III. genita filius. IV. Gilimer tyrannus, qui à Beliſario captus C P. obiit. Zeno Imperator Baſiliſcum filium Armati Magiſtri militum in præſenti Cæſarem creauit: ſed memor paterni periurij Armatum occidi iuſſit in Coclide palatij, Baſiliſcum verò adoleſcentem Epiſcopum Cyzicenum Helleſponti Metropolitam ordinari præcepit, vt non ſecus atque ſi Cæſar adhuc eſſet, purpuram geſtaret. Iuſtuſa Samaritanus tyrannidem in Palæſtina occupat, & Cæſareæ incendit templum S. Procopij ſub Timotheo Epiſcopo. Verùm eo paullò pòſt oppreſſo ab Aſclepiade Palæſtinæ Duce, iuſſit Zeno, vt Samaritanorum Synagoga in Gargaride conuerteretur in Templum B. Virginis, S. Procopij reſtauraretur Eccleſia, & Samaritæ à militia arcerentur. Leontius die Iunij 27. tanquam Imperator Antiochiam ingreſſus Lilianum creauerat Præfectum prætorio. Verùm à Ioanne Scytha Zenonis duce victus, in Papyrium caſtellum ſe recepit cum Illo, & Pamprepio præſtigiatore, cuius magicis artibus quatuor in eo caſtello annos perſeueraſſe dicuntur. In veteri codice MS. defuncti Archiepiſcopi Toloſani poſt Seruij Tractatum de Metris Horatianis: Scripſit Deo propitio Papulus Conſulatu Theuderici Indictione 7. menſis Februarij 25. die Saturni hora 3. diei: quæ hunc annum Biſſextilem deſignant.

Anno Chriſti CCCCLXXXV. *Clodouei* 4. *Poſt Conſulatum Theodorici Euarix ſiue Euricus Vveſigothorum Rex Burgundionibus ſuperatis Arelato degens* 19. *regni ſui anno vitâ priuatus eſt. Iſidorus videtur ſuperiorem potiùs annum deſignare Zenonis* 11. *Hera* 522. *Huic ſucceſſit Alaricus ex Ragnailda filius qui nonus ab Alarico Magno regnum illud adeptus eſt ad annos* 22. *ſiue* 23. *Hic eodem Iſidoro teſte cùm à pueritia vitam in otio & conuiuiis peregiſſet, tandem à Francis prouocatus in regione Pictauenſis vrbis prælio inito extinctus eſt, regnúmque Toloſanum occupantibus Francis deſtructum: quæ omnia bellè quadrant cum iis, quæ de Eurici primordiis ſuo loco præmiſimus. Vnus turbat Gregorius Turonenſis dum de Victorio Duce verba faciens: eum Aruernos veniſſe anno* 14. *Eurici ſcribit, Aruernis fuiſſe annis nouem, cúmque ob nimiam in amore mulierum luxuriam ab Aruernis vereretur interfici, Romam aufugiſſet, ibidem ob ſimilem cauſam lapidibus obrutum eſſe: poſt eius exceſſum regnaſſe Eoricum annos* 4. *atque obiiſſe an-*

no 27. regni sui quæ sunt πάντως ἀσύγκατα. In Chronologiâ Regum Gothorum, quæ extat Tomo I. Coll. Ducheſn. Eurici regno tribuuntur anni 26. & in Appendice Victoris Chronici marginibus inſertâ anni 29. longè grauiori errore. Quos nodos Chronologis noſtris ſoluendos propono. Neque enim vacat in hiſce anguſtiis omnia Lectori offerre, quæ mihi in mentem veniunt. *Appollinaris Sidonij ex Papianilla filius Victorij in Romano itinere comes eo cæſo vitæ periculum ſubiit, & Mediolanenſi è carcere Sancti Victoris Martyris præſidio eductus in Gallias rediit, teſte Gregorio Turonenſi libro 1. de Gloria Martyrum cap. 45.* Quæ de Theodorico Romæ regnante refert hoc anno Chronicon Alexandrinum in plures annos differre oportet. Martyrio Epiſc. Hieroſolymitano poſt 8. ſedis annos mortuo ſucceſſit Salluſtius. Xenaias Perſa factus à Petro Fullone Hieroſolymitanus Epiſc. primus aduerſus ſacras Imagines debacchari cœpit. Longinus Zenonis Auguſt. frater poſt decennalem cuſtodiam, quam ei Illus apud Iſauriam inflixerat, C P. reuerſus eſt. De inuento tempore Anthemij Salaminæ Epiſc. corpore Sancti Barnabæ vide quæ habet Surius ad diem 11. Iunij. *Sidonij Apollinaris mortem quidam in hunc vſque annum differunt, quòd dies 23. Auguſti quo mors eius refertur in Romano Martyrologio incurrat in ſabbatum proximè ante Dominicam, quâ Preſbyter eius acerrimus inimicus meritas pœnas dedit. Verùm ipſa narratio Gregorij Turonenſis ſuadere videtur inter obitum Sidonij & Dominicam illam diem longius quàm horarum aliquot interuallum quærendum eſſe, vt in alio opere diſquiſitiùs expendemus. Adde quod non vigeſima tertia, ſed potiùs vigeſima prima eiuſdem Auguſti die videatur mortuus: eiúſque mors in biennium ideò differenda: quæ obiter tantùm hoc loco attingo. Quidquid ſit, certum eſt ei ſucceſſiſſe Aprunculum Lingonicæ ciuitatis Epiſcopum, qui cùm apud Burgundiones cœpiſſet haberi ſuſpectus, (iam enim Francorum terror reſonabat in his partibus omnéſque amore deſiderabili cupiebant eos regnare) iußúmque eſſet, vt clam gladio feriretur, nocte à caſtro Diuionenſi per murum dimiſſus Aruernos aduenit, ibíque iuxta prædictionem Sidonij factus eſt vndecimus Epiſcopus. Circa eadem tempora Leo Eurici primùm, tum etiam Alarici Regis Conſiliarius luminibus priuatus eſt, vt ex Turonenſi diſces libro 1. de Gloria Martyrum capite 92.*

Anno Chriſti CCCCLXXXVI. *Clodouei* 5. Petro Fullone ſeu Cnapheo Antiochenæ ſedis inuaſore mortuo, Palladius

ſuffectus eſt, qui Eccleſiæ S. Theclæ apud Seleuciam fuerat Preſbyter. Ioannes Antiochenæ paroeciæ ex Grammatico Preſbyter ſcripſit aduerſus eos, qui non acquieſcunt duas in Chriſto confitendas eſſe naturas. De eodem vide quid obſeruet Gennadius cap. 93. de Viris Illuſtribus. *Clodoueus Francorum Rex anno quinto regni ſui iunctis cum Ragnarchario parente, id eſt cognato ſuo, copiis Syagrium Ægidij filium Romanum Patricium, Sueſſionibus imperantem, acie vicit, qui eliſum cernens exercitum ſuum ad Alaricum Vveſigothorum Regem confugit, & Toloſam curſu veloci peruenit: ſed Clodoueo repoſcente deditus, vt Gothorum pauere mos eſt, & ab eo clam gladio percuti iuſſus interiit. Eo tempore contigit, vt ſacer quidam Eccleſiæ Remenſis vrceus à militibus ſublatus à S. Remigio Epiſcopo repeteretur: quam hiſtoriam repete ex Turonenſi, quem Fredegarius, Rorico, Hincmarus, Flodoardus, Aimoinus, aliíque ducem ſequuti ſunt. Inde Meleduni arcem expugnaſſe dicitur Clodoueus, nec ſolum ad Sequanam, ſed ad Ligerim quoque regni ſui fines dilataſſe: quæ omnia per extremos huius ſæculi annos partitur Sigebertus, & ex eo Ioannes Tilius.*

Anno Chriſti CCCCLXXXVII. *Clodouei* 6. Odoacer Italiæ Rex Febam Rugorum Regem, qui etiam Feletheus dictus reperitur, vincit iuxta vaticinium S. Seuerini ante 5. annos, vt tradit in eius vita Eugipius, captúmque cum Gisâ vxore in Italiam adducit medio menſe Decembri, vel vt ait Anonymus ſub 17. Kal. Decembris. Filius eius Fridericus ad Theodericum Oſtrogothorum Regem confugit; qui, vt narrat Marcellinus, Zenonis Auguſti nunquam beneficiis ſatiatus, magna ſuorum manu vſque ad Regiam ciuitatem & Melantiadem oppidum infeſtus acceſſit, plurimíſque locis igne crematis ad Nouenſem Mœſiæ ciuitatem, vnde aduenerat, remeauit. C P. terræ motu quaſſata Gorpiæo menſe die 26. Septembris. *S. Perpetuus Turonenſis Epiſcopus die* 8. *Aprilis poſt ſedem annorum* 30. *creditur obiiſſe, cui ſucceſſit S. Voluſianus ad annos ſeptem & duos menſes.* Romana Synodus ab Epiſcopis 38. Felice Papa præſide celebrata eſt die 13. Maij in cauſa eorum, qui rebaptizati fuerant in Africa ſub Hunerico Rege.

Anno Chriſti CCCCLXXXVIII. *Clodouei* 7. Theodericus Rex, filius Valameris, cognomento Amalus, omnium ſuorum Oſtrogothorum multitudine aſſumpta in Italiam contendit. Eius copiis munitus Fridericus Febæ Rugorum

Regis filius regnum ſuum receperat, ſed ab Odoacris fratre inde expulſus eſt, ac gens vniuerſa Rugorum in Italiam tranſportata. Leontius & Illus in Papyrio caſtello poſt longas tandem moras capti & decollati ſunt, eorúmque capita allata C P. præfixa haſtilibus tabuere. Theophanes refert. 1. Trocondum Illi fratrem à Ioanne Scytha captum & capite minutum. 2. Pamprepium Magum interfectum ab Illo. 3. Leontium Illúmque proditione fratris vxoris Trocondi captos. 4. Acacio P. C P. mortuo poſt ſedem annorum 17. & menſ 9. Flauitam ſucceſſiſſe, qui eodem tempore ad Felicem Papam & ad Petrum Mogum ſcripſit. 5. A Calandione S. Euſtathij Patr. Alexandrini reliquias Philippis fuiſſe Antiochiam tranſlatas. Pons Apollinaris arſit Romæ noctu in Paſcha 15. Kal. Maias ex Anonymo Cuſpiniani. *Clodoueus hoc vel aliquo ex proximè conſequentibus annis, ſunt qui 493. ſignatè præſcribant, Chrotildem Chilperici Burgundiorum Regis filiam & Gundobaldi neptem ſibi coniugio copulauit, cum iam ex concubina filium haberet Theodoricum, qui poſt obitum patris Auſtraſiorum Rex fuit. Vide Gregorium Turonenſem libri 3. cap. 28. Aimoinus, Rorico, alíique longam de Aureliano amico Regis narrationem texunt, ipsíque datum à Rege Miledunenſe caſtrum affirmant, & ſimilia, quæ omitto.*

Anno Chriſti CCCCLXXXIX. *Clodouei* 8. Poſt Flauitam C P. factus eſt Ep. Euphemius qui Petrum quidem Moggum execratus eſt, ſed quia nomen Acacij ex diptychis expungere noluit, communionem Felicis Papæ non meruit. Theodericus Gothorum Rex Zenonis permiſſu optatam occupat Italiam, ait Marcellinus, qui breui compendio ſubiecit, quæ ad ſequentes annos pertinent. Marius poſt magnum hiatum: His Conſſ. inquit, ingreſſus eſt Theodoricus in Italiam Ponte Iſonti, ſiue in foſſato pontis Sontij. Odoacrum bis vicit, ad Iſontium primò, tum in Campis Veronenſibus: qui ad flumen Adduam, (corruptè plerique ſcripſere Ducam) anno ſeq. tertio conflictu proſtratus Rauennam tandem ſe contulit, vbi triennio obſeſſus dicitur.

Anno Chriſti CCCCXC. *Clodouei* 9. Idatij, quem vocat Lemicæ in Hiſpania Epiſcopum, & Gennadij Maſſilienſis ſub huius anni periocha meminit Sigebertus. Sed quod ad Idatium ſpectat ſeriùs omninò quàm oporteat. *Gennadio verò libro de Viris Illuſtribus, vt id obiter moneam, quædam in poſterioribus*

editionibus adiuncta sunt, quæ à codd. MSS. absunt, & ad sequentia pertinent tempora, vt quæ de S. Cæsario & Felice Papa ibidem habentur cap. 86. fidem faciunt. Odoacer in prælio ad fluuium Adduam victus Rauennam ingreditur die 10. Iulij. Theodericus post excursionem Ticinum vsque, (cuius erat Episcopus S. Epiphanius vir per ea tempora celeberrimus) atque in Liguriæ partes factam, obsidere Rauennam incipit die 22 Augusti, vt discès, tum ex Anonymi Chronico (cuius hæc sunt verba: Eo anno ingressus est Rex Odoacer in fossatum Herulis in pineta existentibus: & occisus est Libella Mag. mil. & clausit se Rauennam Odoacer 6. Idus Iulij, & regressus est Rex Theodericus in Ticino 11. Kal. Sept.) tum ex fragmento Chronicorum post Ammianum Marcellinum edito à V. C. Henrico Valesio ex codice MS. Collegij nostri Claromontani, in quo Isidori Hispalensis Ep. Historiæ Gothorum Vandalorum & Sueuorum editis locupletiores. *Gundibadus Burgundionum Rex occasione dissidij huius Erulos inter & Gothos, Liguriam, aliâque Italiæ partes Alpibus suis vicinas populatur, multis inde captiuorum millibus abductis, vt docet in vita prædicti Epiphanij Ennodius.* Zeno Imperator Pelagij, qui inter Silentiarios primus ad Patriciatum fuerat euectus, bonarum artium ac præcipuè Poëtices laude, si Cedreno fides, conspicuus, gulam laqueo frangi præcepit in insula, quæ Panormum dicitur. Auctor Chronici Alex. plura subiungit de Arcadio Præf. prætorio, qui in Magnam Ecclesiam confugiens à morte liberatus est, & de Mauriano Comite, qui Zenoni prædixerat fore, vt regnum eius & vxorem quidam de scholâ Silentiariorum acciperet. *Claudianus S. Mamerti Episcopi frater circa hoc tempus obiit, vt ex Sidonio lib. 4. ep. 11. datur intelligi, inquit Miræus in suo Belgico Chronico. Verùm cùm vel ipso teste iampridem Sidonius obierit (annum certè 482. præscribit) quî potuit epistolam post nouem annos scribere; non ita scripserat, quem exscribere solet, Petauius. Hic enim cùm Claudianum S. Mamerti Viennensis Ep. fratrem circa hoc tempus obiisse virum sanctitate ac doctrina præclarum monuisset, ad Sidonij epistolam Lectorem amandat, in qua fit perhonorifica eiusdem Claudiani viuentis adhuc & spirantis mentio. Idem Miræus interpolato Petauij eiusdem contextu duos insignes commisit errores, dum S. Launomarum fundatorem Cœnobij Corbionensis in d. Carnotensi pago Drocassino vocat Episcopum Carnotensem & S. Maximinum S. Eusticij nepotem fundatorem cœnobij Micia-*

censis ad confluentes Ligericuli ac Ligeris, cuius discipuli Carilefus (qui modò Sainct Calez *Francis dicitur) & Auitus Abbates, appellat Episcopum Aurelianensem: cum tamen neuter Episcopus fuerit, sed dumtaxat Abbas.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ CCCCXCI. *Clodonei* 10. Zeno Isauricus Imperator Orientis natus annos 65 dies 9 teste Auctore Chronici Alexandrini dysenteria correptus periit die 6. mensis Aprilis, postquàm imperasset annos 17. & menses sex, computata etiam, vt fit, Basilisci tyrannide. Alij epilepsiâ fuisse correptum, & dum adhuc in viuis existeret, sepultum asserunt. Anastasius Dyrrhachio è noua Epiri prouincia oriundus, Dicorus à pupillis oculorum variantibus dictus, ex schola Silentiariorum opera Ariadnes Zenonis vxoris successit, & inauguratus est ab Euphemio Patriarcha C P. postquàm ab eo professionem Fidei Catholicæ & approbationem Chalcedonensis Synodi expressisset, die 11. Aprilis feria quinta maioris Hebdomadæ Indictione 14. anno Antiocheno 539 non 537. vt bene obseruauit Raderus noster, qui verba ista Græca ἐπὶ τῆς ὑπατείας Ὀλυβρίου υἱοῦ Ἀριοβίνδου μηνὶ Ξανθικῷ, τῷ καὶ Ἀπριλλίῳ, τῇ ε' τῆς μεγάλης ἑβδομάδος, &c. sic reddidit: Olybrio Consule Ariobindi filio mense Xanthico siue quinto Aprilis hebdomade maiore: cum reddere debuisset: *mense Xanthico siue Aprili, die quinta maioris Hebdomadæ.* Videndi quoque in eiusdem rei confirmationem Eustathius Syrus apud Euagrium Scholasticum & Theophanes qui hunc appellat secundùm Romanos hoc est Constantinopolitanos ab orbe condito 5999. secundùm verò supputationem Alexandrinorum 5983. vt iam monuimus in Chronico Technico. Longinus Zenonis frater, vir Consularis, & Princeps Senatus spe, quàm præceperat, potiundi Imperij Ariadnes artibus, quæ Anastasium sibi maritum elegerat, penitus excidit & in Isauriam amandatus est. Anastasius tributa sustulit, & magistratus gratis contulit. Bellum plebeium, inquit Marcellinus, inter Byzantios ortum, parsque Vrbis plurima atque Circi igne combusta. Ioannes Tabennæsiota ad Imp. cui priuato beneficium contulerat venit C P. ab cóque pessimè habitus, Romam concessit. Vandali pace petitâ à Siciliæ deprædatione cessant. Odoacer tentatâ cum suis Erulis extra Ra-

uennam nocturnâ irruptione à Theoderico memorabili certamine victus est ad Pontem Candidum. *Clodoueus Francorum Rex Thoringos bello aggreditur, deuictisque soluendum vectigal imponit.* Verba Gregorij Turonensis extremo cap. 27. Libri II. hæc sunt: *Multa bella victoriásque fecit. Nam decimo regni sui anno Thoringis bellum intulit, eosdémque suis ditionibus subiugauit.* Tum cap. sequenti subiicit, *quæ ad coniugium eiusdem Regis cum Chrotilde pertinent, vt non immeritò quidam illud in annum 492. vel sequentem differant.* De S. Patricij ætate die annóque mortis viderint Hiberni & Scoti: quíque de Sanctis ex professo tractant. Alia nos vocant, auocátque scriptorum de eius rebus gestis dissidium ingens. Ego iis libentius assentior, qui annos 120. vixisse, & die 17. Martij feria 4. in Saballino cœnobio animam Deo reddidisse scripserunt. De Cælio Sedulio & similibus scriptoribus dicemus Altera parte nostræ Bibliothecæ.

Anno Christi CCCCXCII. *Clodouei* 11. Longinus Zenonis frater, quem Seleuciam Isauriæ relegatum diximus, cùm aduersus Anastasium rebellasset, captus Alexandriæ Presbyter ordinatus est. Lilingis, siue Niuilingis præfectus Isauriæ sub auspiciis alterius Longini ex-Magistri militum multas vrbes expugnat, sed à Ducibus Anastasij in prœlio ad Cotyæum in Phrygiâ victus & occisus est. Hoc tamen bellum Isauricum per sex annos tractum est. Synodus C P. celebrata est, in qua ab Euphemio Chalcedonensis Synodus confirmata est. Anastasius tamen Imp. Acephalorum, siue Hæsitantium, sectam amplexus, liberum cuique fecit, quod vellet credere. Petrus Fullo ab exilio reuocatus quidem est, sed ad sedem redire vetitus, substituto in eius locum Palladio. Post Sallustium Hierosolymis Episcopus creatus est Elias. Romanus quoque Pontifex Felix, nobis II. aliis verò recentioribus III. dictus, obiit die 25. Februarij, cùm Ecclesiæ præfuisset annis 8. mens. 11. & diebus 22. Successit Gelasius I. natione Afer, die 2. mensis Martij, cuius nonnullas aduersus Hæreticos habemus epistolas. Marcellinus biennio tardius eius ingressum collocauit Asterio & Præsidio Coss. Terræ motus factus est noctu ante Gallorum cantus 7. Idus Iunias, inquit Anonymus.

Anno Christi CCCCXCIII. *Clodouei* 12. Theodericus cum Odoacro paciscitur die 27. Februarij, vti ambo pari iure

Italiam regerent: tum Rauennam quinto die Martij ingreditur, excitumque ad conuiuium Odoacrum, vel sibi molientem insidias, vel vt alij, contra iurisiurandi religionem nihil tale suspicantem propria manu interficit in Laureto palatij. Ex Cassiodoro, Iornande, Procopio, Eugipio, Mario, Anonymo Cuspiniani, Fragmento post Ammianum Marcellinum edito, aliisque. Anonymi verba nefas est omittere. Regressus est Theodericus ad Rauennam & venit ad Fossatum palatioli 4. Kal. Sept. Facta est pax 3. Kal. Martias & ingressus est Rauennnam Rex Theod. 3. Nonas Martias, & occisus est Odoacer à Rege Theodorico in palatio cum commilitonibus suis. Sed diem cædis nemo, quod sciam, aperuit Odoacer 17. annos regnauit, sed post 13. annos res eius in deterius prolapsæ sunt. Ad Faustum Mag. Officiorum, quem Theodoricus Rex C P. ad Anastasium Imp misserat, Gelasius Papa scripsit Kal. Nouembris Commonitorium, vt Euphemij C P. Ep. qui Acacium nolebat expungere, aliorúmque Græcorum obiectis responderet. Scripsit idem aduersus Pelagianos. *Clodoueus teste Gregorio cap. 29. libri 2. ex Chrotil. e Reginá habuit filium primogenitum, quem cum mulier baptismo vellet consecrare, prædicabat assiduè viro, dicens*, Nihil sunt Dij, quos colitis, &c. *Interea Regina fidelis filium ad baptismum exhibet: adornari Ecclesiam velis præcipit atque cortinis, quò faciliùs vel hoc mysterio prouocaretur ad credendum, qui flecti prædicatione non poterat. Baptizatus autem puer, quem Ingomerem vocitauerunt, in ipsis, sicut regeneratus fuerat, albis obiit.* Apud C P. in seditione Regis Reginæque statuæ funibus ligatæ ac per vrbem tractæ sunt. Iulianus Magister militiæ nocturno prælio pugnans in Thraciâ Scythico ferro confossus interiit. Ioannes Gibbus Scholarum Comes Isauros ad Tauri montis angustias profligat: vbi Conon ex Apameæ Episcopo miles factus grauiter vulneratus paullò post obiit. Zamotzes Perotzis Persarum Regis filius Cabade pulso regnum obtinet ad sex annos. *Non habet Sigebertus Miræi, hoc secundo Gelasij Papæ anno inuentam fuisse S. Michaëlis cryptam in Gargano Apuliæ monte.*

Anno Christi CCCCXCIV. *Clodouei* 13. Gelasius Papa in Romana Synodo cum 70. Episcopis celebrata Canonicos S. Scripturæ libros Concilia & SS. Patrum scripta ab apocryphis spuriisque seiunxit. Ex antiquissimo codice M S. Bibliothecæ

thecæ noſtræ notitiam illam ſeu Adnotationem typis vulgauimus, vt facilius comparari queat cum Can. Sancta Romana Eccleſia &c. Diſtinctione XV. apud Gratianum. Sanctus Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus à Theodorico Italiæ Rege *ad Gundobadum Burgundionum Principem miſſus egit de captiuorum redemptione.* Sanctus Benedictus deſertum in locum ſecedit cum nutrice anno ætatis 14. Anaſtaſius Imper. conceptum in Orthodoxos odium primùm in Euphemium P. C P. ſibi viriliter reſultantem effundit. Laodicea Hierapolis, Tripolis, atque Agathicum vno tempore vnóque terræ motu collapſæ ſunt. *Chrotildis Clodoueo genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomerem vocauit: & hic cùm ægrotare cœpiſſet, dicebat Rex:* Non poteſt aliud fieri, niſi vt baptizatus in nomine Chriſti veſtri protinus moriatur: *ſed orante matre, Domino iubente conualuit, inquit Gregorius.*

Anno Chriſti CCCCXCV. *Clodouei* 14. Euphemius Auguſtæ, hoc eſt C P. ciuitatis Antiſtes falsò ab Anaſtaſio Imperat. accuſatus, atque damnatus, in exilium ductus eſt. Locum Euphemij Macedonius tenuit. Gundamundo mortuo anno regni ſui 12. Thraſamundus eius frater Vandalos regere cœpit, Chriſtianis per initia mitior. Ad eadem tempora à qq. reuocatur mors Sancti Eugenij Carthaginenſis Epiſcopi, quem Honoricianæ perſecutionis Martyrem & Sacerdotalis infulæ maximum decus, ſuſpenſo gladio *apud Albigenſem Galliarum vrbem* fuiſſe exilio deputatum aſſerit Gregorius Turonenſis, *& ad eius ſepulcrum multas virtutes creberrimè oſtendi.* De eo Martyr. Rom. die 13. Iulij & 2. Maij. *Obiit quoque in exilio Sanctus Voluſianus Turonenſis Archiepiſcopus, cui ſub Autumnum ſucceſſit Sanctus Verus ad annos* 11. *&* 8. *dies.* Romana Synodus die 13. Maij pro reconciliatione Miſeni Cumani Epiſcopi, qui anno 483. Acacio communicauerat, & ſeq. anno in Synodo à Felice II. Papâ fuerat damnatus, vnà cum Vitale Troëntino Epiſcopo. Theodoricus Oſtrogothorum Rex amicitiam Principum ſibi vicinorum expetens, *Clodouei ſororem Audofledem, ſiue Angofledam, miſſa ad eum legatione in vxorem petiit*, quáſque priùs ex concubina genuerat filias, *Theudogotham, ſeu Theudicodonem, Alarico Vveſigothorum Regi Eurici filio, & Oſtrogotham Sigiſmundo Gundobadi Burgundionum Regis filio:* Amalafridam Thraſamundo Vandalorum in Africa Regi, eiuſdem verò A-

malafridæ ex priore marito filiam Theodahadi sororem, cuius nomen hactenus ignoratur, Herminafrido Thuringorum Regi.

Anno Christi CCCCXCVI. *Clodouei* 15. *Glorioſus ac felix Franco-Galliæ noſtræ illuxit natalitius Chriſti Domini dies, quo maximo ſupremi numinis beneficio Clodoueus Francorum Rex baptizatus Chriſtianæ Legi colla ſubmiſit. Sanctus Auitus Archiepiſcopus Viennenſis in epiſtolâ ad Clodoueum de ſuſceptâ ab eo fide hæc habet elegantiæ non vulgaris:* Occiduis partibus in Rege non nouo noui iubaris lumen effulgurat: cuius ſplendorem congruè redemptoris noſtri natiuitas inchoauit, vt conſequenter eo die ad ſalutem regenerari ex vnda Vos pareat, quo natum redemptioni ſuæ cæli Dominum mundus accepit. Igitur qui celeber eſt Natalis Domini, ſit & Veſtri: quo Vos ſcilicet Chriſto, quo Chriſtus ortus eſt mundo: in quo Vos animam Deo, vitam præſentibus, famam poſteris conſecraſtis, &c. *Quæ eo fine à me prolata ſunt, vt omnes intelligant Fredegarium, ſeu quem alium in Miſcella Epitome Gregorij Turonenſis, Hincmarum in vita Sancti Remigij, alióſque noſtrates Hiſtoricos iis poſteriores, erraſſe, qui baptizatum Clodoueum in Paſchate voluerunt.* Verùm iis prætermiſſis, pauca pro more de rebus huius anni delibemus. *Clodoueus contra Alamannos Rhenum cum florentibus copiis tranſgreſſos ad Tolpiacum in Vbiis dubio Marte dimicans, cùm votum ſuſcipiendi baptiſmi concepiſſet, magna hoſtium ſtrage edita victoriam inſignem adeptus eſt. Poſt quam occurrente ſibi Chrotilde Regina, quæ eum ſæpius, ſed fruſtra de amplectenda Chriſti fide monuerat, in Remorum ciuitatem peruenit, vbi exeunte anno fidei Catholicæ myſteria probè edoctus, à Sancto Remigio baptizatus eſt, cooperantibus ſanctis Solenni Carnotenſi, & Melanio Redonenſi Epiſcopis, & Vedaſto nondum Atrebatenſi ſeu Cameracenſi Antiſtite, aliiſque, vt quidem in eorum actis habetur. Alamannia & Sueuia Tranſrhenanæ prouinciæ ſubactæ; Verodunenſes qui defecerant ab eodem Clodoueo, in gratiam recepti. Quidam ex Alamannis in Italiam ad Theodericum Regem fugerunt, pro quibus ille ad victorem literas dedit. Vide Caſſiodori Var. lib. 2. ep. vlt. & 41. in quâ Clodoueo victoriam gratulatur. Cum Rege tria circiter millia de eius exercitu conuerſa; necnon ſoror eius Albofledis cum eo baptizata, quæ paullò pòſt obiit, benedictione virginitatis acceptâ, vt ait Sanctus Remigius in epiſtolâ, quâ conſolatus eſt Clodoueum. Lanthildis verò altera eius ſoror, quæ in hæreſim Arianam dilapſa fuerat, confeſſa æquales Patri Filium & Spi-*

ritum ſanctum, chriſmata eſt. Velis depictis adumbrantur plateæ Eccleſiæ, inquit Gregorius Turon. lib. 2. cap. 31. cuius verba hoc loco libenter vſurpo, vt ſi qui ſuperſunt Franci à Religione Catholica extorres, & à primæua maiorum ſuorum pietate degeneres intelligant, quantum profanæ Caluinianorum ædes & cerimoniæ differant à noſtris Eccleſiis piiſque Catholicorum ritibus, quos à Remigio ac Clodoueo ſuſceptos Franci omnes vnanimi conſenſu coluerunt, propagarunt, propugnarúntque per mille & plures annos, donec ex inferis prodirent perditiſſimi homines Caluinus & Beza, qui ſignaculum Crucis, chriſma, baptiſteria, vela depicta, cereos ſacros, ſimiléſque in Eccleſia Romana ſeruatos hactenus vſus impia nouitate ſacrilegíſque auſibus abolerent, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant fragrantes odore cerei, totúmque templum baptiſterij diuino reſpergitur ab odore. Talémque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit, vt æſtimarent ſe Paradiſi odoribus conlocari. Rex ergo prior popoſcit ſe à Pontifice baptizari. Procedit nouus Conſtantinus ad lauacrum deleturus lepræ veteris morbum, ſordentéſque maculas geſtorum antiquorum recenti latice deleturus. Cui ingreſſo ad baptiſmum Sanctus Dei ſic infit ore facundo: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendiſti, incende quod adoraſti.* Igitur Rex omnipotentem Deum in Trinitate confeſſus, baptizatus eſt in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: delibutúſque eſt ſacro Chriſmate cum ſignaculo Crucis Chriſti, &c. *Plura dabunt Fredegarius in Miſcella, Rorico, Hincmarus cùm in vita Sancti Remigij, tum in Capitularibus Caroli Calui cap. 35. vbi agitur de Coronatione Metenſi, Flodoardus lib. 1. Remenſis Hiſtoriæ capite 13. Aimoinus, Ordericus Vitalis, &c. quorum plerique ſacrum Chriſma, quo Clodoueus inunctus eſt à columba diuinitus delatum conteſtantur. Verùm de Ampulla illa Remenſi videſis Tenneurij & Chiffletij mutuas Diſſertationes. Nam de Francicis rebus ſatis, ad alia properemus.* Romæ Sanctus Gelaſius I. Papa obiit die 21. Nouembris, cùm præfuiſſet Eccleſiæ Catholicæ annis 4. menſibus 8. diebus 19. Succeſſit Anaſtaſius II. electus die 28. eiuſdem menſis. Marcellinus Comes manifeſto errore ordinatum vult ſub Conſulatu Paulini & Ioannis Scythæ, quo tempore nos eum obiiſſe dicemus. Sancti Epiphanij Ticinenſis Epiſcopi obitus hoc quoque anno contigit die 21. Ianuarij, cuius vitam ab eius ſucceſſore Ennodio elucubratam habemus. Anaſtaſius Im-

perator Auguſtatico ſuo dudum præſtito, donatiuum quoque hoc anno, quo ſolus Conſulatum geſſit frater eius Paulus, militibus tribuit, teſte Marcellino, qui addit Indiam Principi miſiſſe pro munere elephantem, quem Plautus Poëta Lucabum (lege Lucam bouem) nomine dicit, duáſque Camelopardalas. De Arabibus Scenitis,& Iotabe inſulâ conſule Theophanem.

Anno Chriſti CCCCXCVII. *Clodouei* 16. Iſaurici belli ſexto, Solis defectus apparuit, inquit Marcellinus,& Athenodorus primus Iſaurorum captus decollatúſque eſt. Caput eius Tarſum allatum pro portis haſtili fixum extabuit. *Gundebadum quidam volunt à Sancto Auito dedoctum fuiſſe Arianam hæreſim, ex Gregorij Turonenſis lib. 2. cap. 34. Verum id ad poſteriora tempora refero, cùm fratribus necatis aut domitis pace fruebatur iam ſenior: eóque nos ducit ipſa narrationis Gregorianæ ſeries, ſi quis eam attentiùs conſideret.* Anaſtaſius Papa miſſis Legatis S. Germano Epiſc. Capuano & Creſconio Epiſc. Tudertino, vt Acacij nomen è diptychis deleretur, nihil potuit impetrare. Poſt Athanaſium Ioannes creatus eſt Patr. Alexandrinus eâdem atque ille hæreſi infectus.

Anno Chriſti CCCCXCVIII. *Clodouei* 17. Macedonius Epiſc. C P. Monachos ſanctáſque Virgines nullis artibus miniſque cogere potuit, vt Henotico ſubſcriberent. Longinus, cogn. Selinunteus, apud Antiochiam Iſauriæ à Priſco Comite captus, catenatúſque per Agentem circunductus Anaſtaſio Principi & C P. populo ingens ſpectaculum fuit, variiſque deinde cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ ciuitatem expenſus eſt. Anaſtaſius nummis, quos Romani Terentianos (fortè teruncios) vocant, Græci follares, ſuo nomine figuratis placibilem plebi commutationem diſtraxit. Praſini in Circenſibus ab eodem Imper. poſtulant, vt Plato Præfectus Vrbi Lithobolos è carcere ſolueret, quo negato grauis tumultus aduerſus eum exarſit, parúmque abfuit, quin ſaxis obrueretur, & in Chalcam Hippodromi coniecto igne vicina loca vſque ad Conſtantini Forum cremata ſunt. Daras ſiue Doras caſtrum in Meſopotamiâ munitur aduerſus Perſas, variiſque ædificiis ornatum dictum eſt Anaſtaſiopolis. Hæc ex Marc. Theoph. Euag. Chron. Alex. &c. Anaſtaſius II. Papa obiit 16. Nouembris poſt ſedem anni vnius,

menſium vndecim, & dierum 23. ſuffectus ei eſt S. Symmachus Papa die 2. Decembris. Cælius Laurentius quidam Archipreſbyter titulo ſanctæ Praxedis, factione Feſti Senatoris electus Antipapa turbas Romæ hoc & ſequenti anno cædibus & graſſationibus per homines pecunia corruptos egit, quas tandem Rex Theodericus cohibuit.

Anno Chriſti CCCCXCIX. *Clodouei* 18. Romana Synodus Kalendis Martij celebrata de tollendo ambitu in Comitiis Pontificalibus, cui & ipſe Laurentius ſubſcripſit, factúſque eſt Nucerinus Epiſcopus. *Bucherius, & ex eo Miræus, circa hoc tempus volunt Sanctum Remigium Epiſcopos fidémque Chriſtianam in pleriſque Belgicis vrbibus prouinciíſque reſtituiſſe, S. Vedaſtum Atrebatenſibus, Theodorum Tornacenſibus, Antimundum Morinenſibus, Genebaudum Laudunenſibus, alios aliis ordinaſſe, collatáſque ſibi à Clodoueo Rege Chriſtianiſſimo opes in dotem Eccleſiarum effudiſſe.* Ariſtus Illyricianæ militiæ ductor contra Bulgares Thraciam deuaſtantes iuxta Zurtam fluuium vincitur, Nicoſtrato, Innocentio, & Aquilino Comitibus interfectis. Sæuiente terræ motu in Pontica prouincia illæſum fuiſſe dicitur Neocæſareæ templum quo Sancti Gregorij Thaumaturgi reliquiæ ſeruabantur. Anaſtaſius Imper. Chryſargyrum tributi genus, & Venationes Amphitheatrales ſuſtulit, ac Magiſtratus venales eſſe vetuit.

Anno Chriſti D. *Clodouei* 19. Anaſtaſius Imp. donatiuum Illyricianis militibus per Paulum Tribunum Notariorum erogandum miſit. Saraceni Phœnicen & Syriam incurſant, cum quibus an. ſeq. ab Imp. pax facta. Theodoricus Oſtrogothorum & Italiæ Rex cunctorum votis expetitus Romam aduenit anno ſeptimo poſt mortem Odoacris, Senatum ad Palmam auream alloquitur, Circenſes ludos exhibet, Odoinum Comitem in Seſſorio palatio iubet interfici, plebem ſibi Largitione annua fruenti demeretur, certámque ad reficiendos muros pecuniam attribuit. Sanctus Fulgentius, nondum Ruſpenſis Epiſcopus, ad viſenda Apoſtolorum limina venerat Romam, conſpectíſque exultantis populi ad principis barbari occurſum gaudiis, tótque exornatæ ad pompam Vrbis diuitiis, exclamaſſe fertur, & admonuiſſe fratres his verbis: Quàm ſpecioſa poteſt eſſe Ieruſalem cæleſtis, ſi ſic fulget Roma terreſtris! Et ſi in hoc ſæculo datur tanti ho-

noris dignitas diligentibus vanitatem: qualis honor & gloria & pax præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem! Vide cap. 13. Vitæ eius à Ferrando Dracono conscriptæ. *Coss. Patricio & Hypatio*, inquit Marius Auenticensis in Chronico, *pugna facta est Diuione inter Francos & Burgundiones, Godesigilo hoc dolosè contra fratrem suum Gundobadum machinante. Godegisilus cum Francis dimicauit & vicit; sed paullò pòst, qui Auenione delituerat, Gundobadus, tributúmque sibi à Clodoueo Rege tanquam subdito impositum operâ transfugæ Aredij libens susceperat soluerátque, resumptis viribus captâ Viennâ nec opinantem fratrem oppressit, regnúmque, quod perdiderat, receptum vsque in diem mortis suæ gubernauit. Plura leges apud Gregor. lib. 2. cap. 32. Fredegarium, Freculfum, Hincmarum, Roriconem, Aimoinum, Procopium, Hermannum, alios; namque omnia sigillatim persequi nihil est necesse. Nondum obierat Æonius Arelatensis Præsul, vt testes sunt Symmachi Papæ ad eum hoc & superiore anno datæ Epistolæ, vt necesse sit insigniter decipi eos, qui S. Cæsarium ante hæc tempora sedisse arbitrantur.*

SEXTVM
ÆRÆ CHRISTIANÆ
SÆCVLVM,
CLODOVEI, IVSTINIANI, COSROIS.

Ab anno Domini IESV 501. *M.* 4554. *Romæ* 1254. *ad annum Christi* 600. *M.* 4653. *Romæ* 1353.

QVINGENTESIMO PRIMO ÆRÆ CHRISTIANÆ ANNO, *Clodouei* 20. Constantio CP. vrbis Præfecto ludos theatrales spectante Cerealis pars, hoc est Prasini, Cæruleæ parti, siue Venetis, præparauit insidias: & plusquam tria ciuium millia saxis, gladiis, compressionibus aquisque proscenis amissa, vt pluribus deflet Marcellinus: nam de iis altum in Chronico Alexandrino silentium. Romana Synodus sub Symmacho Papa ordine tertia ex Episcopis Liguriæ Æmiliæ, & Venetiarum collecta post multas à seditiosis Laurentij fautoribus turbas, tandem die 23. Octobris damnatis Schismaticis, in fauorem Symmachi sententiam protulit. *Gundobadus recuperata paulatim regione omni, quæ nunc Burgundia dicitur, inquit Gregorius, id est prouinciis circa Ararim & Rhodanum sitis cum parte Massilienſis prouinciæ, Burgundionibus suis leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent. Earum pars maxima, hoc seu potius sequenti anno, sancitæ sunt, Abieno V. C. Consule, vt notatum habetur ad Titulos 42. & 45. quibus consentit Præfatio, quæ habet editum esse Lugduni Constitutionum illarum Librum anno secundo regni, hoc est Monarchiæ Gundebadi, à morte scilicet fratris Godegesili, vt quidem ego interpretor. Verùm non eodem illas omnes tempore editas docet Titulus 52. cuius subscriptio Agapitum præfert Consulem, qui anno huiusce sæculi 17. Consulatum cum Anastasio gessit. De Gundobada lege multa Agobardus Lugdunensis Arch. ad Lud. Pium Imp.*

Anno Christi DII. *Clodouei* 21. Bulgarorum gens Thraciam nullo Romano milite resistente iterum vastat. Choades siue Cabades Persarum Rex Amidam Monachorum eius astu proditam quinto mense, quàm expugnare cœperat, irrupit, pro-

ditoréſque obtruncauit, vt Marcellinus, Theophanes, Anaſtaſius, Miſcella, &c. Romana Synodus quarta ſub Symmacho Papa, Palmaris dicta, die 6 Nouembris Auieno Iuniore Conſule, in quâ Odoacris de Romani Pontificis confirmatione abrogata ſanctio. *Extat S. Auiti Viennenſis Epiſcopi communi Epiſcoporum Galliæ nomine ſcripta ad Senatores Vrbis Romæ epiſtola, qua culpandos contendit Italiæ Epiſcopos, quòd in Synodo de cauſa Pontificis Romani iudicandum inferiores ſuſcepiſſent.* Theodericus Rex, inquit Caſſiodorus, aquam Rauennam perduxit, formâ ſumptu proprio inſtaurata.

Anno Chriſti DIII. *Clodouei* 22. Patricius, Hypatius & Areobinda ab Anaſtaſio Aug. miſſi aduerſus Perſas, cùm primò ſtrenuè ſe geſſiſſent, iuxta Syſicum caſtellum infeliciter conflixerunt, datóque hoſtibus immenſo auri pondere Amidam rebus vacuam redemerunt. Anaſtaſij filius, quem ex pellice ſuſceperat, ortâ in equeſtribus ſpectaculis inter factiones ſeditione, cum aliis pluribus occiſus eſt. Romana Synodus quinta ſub Symmacho Papa aduerſus Schiſmaticos, qui Palmari Synodo audebant obloqui. Inſertus eidem eſt Ennodij Ticinenſis liber, quo ſchiſmaticorum obiecta diſſoluit. *Clodoueus Francorum Rex Armoricæ populos Venetos à Britonibus metu Anglorum, Saxonum, Iutarum, ſimiliúmque barbarorum ex Britannia inſula profugis tributarios factos imperio ſuo ſubiungit, vt docent Eginarthus & Aimoinus: cóque referre licet, quæ de Arborichis habet Procopius libro primo de Bello Gothico.*

Anno Chriſti DIV. *Clodouei* 23. Celer Magiſter Officiorum per Callinicum Meſopotamiæ ciuitatem ducens exercitum Perſarum rura vſque ad Pontem Ferreum deuaſtat, & ad percutiendum cum Perſis fœdus Armonium à Secretis mittit. Theodoricus Oſtrogothorum Rex victis Bulgaribus Sirmienſem Pannoniam ſibi ſubiicit. Romana Synodus ſexta ſub Symmacho Papâ, in qua damnati Eccleſiaſticorum bonorum vſurpatores. Sanctus Fulgentius factus eſt hoc fere tempore Ruſpenſis in Africa Epiſcopus, cùm vacuis Eccleſiis Paſtores præfecti ſunt, quos poſtea Thraſamundus excitatâ in Catholicos perſecutione relegauit in Sardiniam. *Legationem Paterni à Clodoueo ad Alaricum Gothorum Regem miſſi, ſi quis per otium legere voluerit, conſulat librum* 4. *Roriconis Monachi, Collectionem Hiſtoricam, quam Henricus Caniſius publicauit Tomo II. Lectionis antiquæ,*

quæ, cuius fragmentum habetur Tomo I. Collectionis Ducheſnianæ p. 915. Fredegarium, Hincmarum, Aimoinum, alios. Extant quoque initio lib. 3. apud Caſſiodorum Theoderici Regis ad Alaricum, Gundobadum, ſúmque Clodoueum epiſtolæ, quibus naſcentes pacare diſcordias, bellum auertere, & diſſidentes conciliare ſtuduit. Gregorius verò Turonenſis lib. 2. cap. 35. hoc dumtaxat obſeruauit; Alaricum cùm videret Clodoueum Regem gentes aſſiduè debellare, legatos ad eum direxiſſe, coniunctóque in inſula Ligeris Ambacienſi vico vicina, quæ modò Sancti Ioannis dicitur, poſt colloquium epulásque promiſſa ſibi amicitia pacificos diſceſſiſſe: quæ cui potius anno conueniant non video.

Anno Chriſti DV. *Clodouei* 24. Sabinianus huius anni Conſul, Sabiniani Magni filius, contra Mundonem Getam delegatus militiæ ductor commiſſo ad Horrea Margi prœlio, multis ſuorum amiſſis in caſtellum, quod Nato dicitur, cum paucis fugit. Cabades Perſarum Rex audita Caduſiorum defectione pacem cum Romanis iniit, multis ciuitatibus reſtitutis. Poſt Ioannem factus eſt Alex. Ep. Ioannes Nicæotes, ſeu Machæotes appellatus. Suaue eſt quod de Alamindaro Francorum Rege fictitio narrat ſub huius anni periocha Sigebertus Gemblacenſis, cùm Saracenorum Phylarcho Alamundaro dictum illud ingenioſum ac mordax vindicet Theodorus Lector in Collectaneis, & ad an 513. pertineat. *Sunt qui Clodoueum ſub hoc tempus velint hortatu coniugis ſuæ Chrotildis cœpiſſe exſtruere Baſilicam in honorem Apoſtolorum Principis S. Petri* (errare enim pleróſque omnes etiam accuratiſſimos noſtratis Scriptores Hiſtoriæ, qui S. Paulum ſocium adiungunt Apoſtolorum Principi, cùm veteres omnes qui huius à Clodoueo fundatæ Eccleſiæ meminerunt, vnum dumtaxat Petrum proferant, monuit me aliàs vir pereruditus: Verùm is haud dubiè non adtenderat quæ de Clodoueo ſepulto in baſilica SS. Apoſtolorum, quam cum Chrotilde Regina conſtruxérat, ſcripſit ſub finem lib. 2. Greg. Tur.) *quæ nunc S. Genouefæ in monte dicitur. In ea quippe poſt aliquot annos (alij 507. alij 511 aut ſeq. præſcribunt) hæc ſanctiſſima Virgo innumeris clara miraculis ſepulta eſt, cùm an. 80. nata, die Januarij menſis tertio deceßiſſet.*

Anno Chriſti DVI. *Clodouei* 25. Anaſtaſius ſtatuam ſuam in Foro Tauri ſuper immanem columnam ſtatui iubet in eodem loco, quo dudum Theodoſij Magni ſteterat: & Macedonium Ep. CP. Xenaiæ ſiue Philoxeni impij communionem

auersantem vexat. *Codicis Theodosiani libros 16. in epitomen ab Aniano V. C. redactos edidit Alaricus Aduris, hoc est Aturribus, in Nouempopulonia die 2. Februarij anno regni sui 22. Vide Commonitorium eidem Codici præfixum, & Sirmondi opusculum de tribus quæstionibus.* Dertosa à Gothis ingressa est, inquit Appendix ad oram Victoris Tunnonensis: Petiranus interfectus est, & caput eius Cæsaraugustam deportatum. *Creditur hoc anno mortua Charitene Gundobadi Burgundionum Regis coniux, vel affinis, Messala V. C. Consule, vt eius epitaphium edocet apud Duchesnium, aliósque. Eodem quoque Consule die 11. Septembris permissu Alarici eiusdem in regno annum 22. agentis, Agathæ in Gallia Narbonensi celebratum est in Basilica S. Andreæ Concilium Episcoporum Galliæ qui Vvesigothis parebant, inter quos eminent Cæsarius Arelatensis, Cyprianus Burdegalensis, Clarus Elusanus, Tetradius noster Episc. de Biturica metropoli, Quintianus Rutenensis, quem paullo post à Gothis expulsum significat Greg. Turon. lib. 2. cap. 36. Sabinus Albigensis, Boëtius Cadurcensis, Chronopius Petracorienses, & alij. In eo sanciti dicuntur Canones nu. 71. ad constituendam Ecclesiæ disciplinam. Ad illud vocatus Ruricius Lemouicensis Episc. huius nominis primus datis ad S. Cæsarium literis se ob infirmam valetudinem excusauit. Vide lib. 2. epist. 32. in qua se Burdegalæ eundem Cæsarium vidisse testatur: quam in vrbem relegatus fuerat, cùm à Licamanno Notario apud Alaricum, quasi vicinis Burgundionibus vrbem prodere voluisset, falsò insimulatus est, vt tradit Cyprianus in illius vita. Nouembri mense Licinius ex Abbate S. Venantij factus est Turonensis Episc. post Verum, qui in exilio obiit. Licinius sedit annos 12. menses 2. dies 25. mortuúsque est die 13. Februarij anni 519. ideóque non anno eius vndecimo sed sexto,* VI. *non* XI. *Clodoueus fato functus est.*

Anno Christi DVII. *Clodouei* 26. In Circo CP. seditio popularis exorta est, cui miles armatus obstitit. Gradus Circi Septentrionalis sua cum fornice incensi collapsíque sunt: Anastasio Imp. in processibus commorante, inquit Marcellinus. Chronicon Alex. meminit inter cætera Iulianæ patriciæ vxoris Areobindi, quem Romaniæ Regem appellat, & Peram fugisse docet, &c. In Ægypto multos memorat Victor Tunnonensis à dæmoniis possessos, quòd anathema dixissent Synodo Chalcedonensi. *Clodoueus Francorum Rex odio ductus Arianæ perfidiæ* (valdè molestè fero, quod hi Ariani partem teneant Galliarum. Eamus cum Dei adiutorio, & superatis, redigamus terram in ditionem nostram, apud Greg. Tur. lib. 2. c. 37.)

contra Vvesigothos ad Vocladum decimo ab vrbe Pictaua milliario haud longè à Vigennâ & Clenno fluuiis pugnat, Alaricum eorum Regem, subditis secundùm consuetudinem terga vertentibus, anno regni 22. ab aliquot iam mensibus exacto, manu sua occidit, hiemem Burdegalæ agit, filiúmque Theodoricum per Albigensem ac Rutenam ciuitates ad Cadurcos Aruenósque dirigit, &c. Plura de S. Martini basilicâ, de cerua vadum ostendente, de Pharo ignea ex S. Hilarij basilica euolante, de S. Maxentio reclauso intra terminum Pictauensem, de Chloderico filio Sigiberti claudi, de Apollinare Sidonij filio, & Aruernis primísque Senatoribus cæsis, &c. vide apud Gregor. Tur. Isidorum æra 545. Procopium, Hincmarum, Freculfum, Roriconem, Fredegarium, Aimoinum, & Anonymos Chronicorum Scriptores. In Appendice Victoris Tunnonensis ad hunc annum hæc leguntur: His diebus pugna Gothorum & Francorum Boglodoreta (Vogladensis, quæ vox in aliis quoque libris in Moglotinsem aliásque formas transfusa est ab imperitis librariis.) *Alaricus Rex in prælio à Francis interfectus est. Regnum Tolosanum destructum. Gesalicus Alarico succedit. Neque enim vera arbitror quæ Gregor. scripsit: De hac pugna Amalaricus filius Alarici in Hispaniam fugit, regnúmque patris sagaciter occupauit. Quid verò si pro Gesalico minùs nostratibus cognito Amalaricum amanuenses substituerint? quam emendationem cùm Hispani cum Isidoro auctores omnes, tum quæ proximis annis enarranda sunt, adprimè confirmant. Sed nostras de his pluribúsque aliis coniecturas suspicionésque reprimit suffocátque instituta Historici Compendij breuitas. Verba tamen Isidori ex codice nostro MS. non verebor adscribere.* Anno 17. imperij Anastasij Gisalicus superioris Regis filius ex concubina creatus Narbone princeps efficitur regnans annis 4. sicut genere vilissimus ita infelicitate & ignauia summus. Dúmque eadem ciuitas à Gundebado Burgundionum Rege direpta fuisset Barcilonam se contulit, &c.

Anno Christi DVIII. *Clodouei* 27. Romanus Domesticorum Comes & Rusticus Comes Scholariorum cum centum armatis nauibus totidémque dromonibus Italiæ littora Tarentum vsque deuastant. Cabades Persarum Rex Zundabile castellum à dæmonibus custoditum Christianorum orationibus capit, vniuersósque thesauros ex eo aufert. *Clodoueus exactâ Burdegalæ hyeme, vere appetente, Tolosam petiit, sublatísque inde Alarici Regis thesauris, Encolismam muris sponte corruentibus & Gothis qui in præsidio erant exclusis obtinuit. Sícque compositis in Narbonensi prouincia (cuius partem mediterraneo mari proximam Pyrenæisque*

montibus cum Hiſpania ſibi retinuerunt Gothi, à quibus Gothiæ nomen accepit, cùm iam olim Septimania diceretur) & Aquitania vtraque rebus omnibus, Turonos reuerſus multa B. Martino Antiſtiti munera obtulit. Deinde acceptis ab Anaſtaſio Imperatore de Conſulatu (ſunt qui Patriciatum intelligi velint) codicillis, in eiuſdem B. Martini baſilicâ indutus eſt tunica Blattea & Chlamyde, imponens vertici diadema. Sícque conſcenſo equo aurum argentúmque in itinere illo, quod inter portam atrij & Eccleſiam ciuitatis eſt, præſentibus populis manu propria ſpargens, voluntate benigniſſima erogauit, & ab ea die tanquam Conſul & Auguſtus eſt vocitatus. Egreſſus autem à Turonis Pariſios venit, ibíque cathedram, hoc eſt primariam ſedem, Francici regni conſtituit, cùm antea vel Tornaci fuiſſet, vel Ambiani. Licinius tunc erat Turonenſium Epiſcopus, quem Gregorius ait in oriente, vt fama erat, fuiſſe, loca viſitaſſe ſanctorum, ipsámque adiiſſe Hieroſolymam, & loca Paſſionis ac Reſurrectionis Dominicæ ſæpe vidiſſe. Quæ verba imperiti quidàm Hiſtoriæ noſtræ, etiam nuperrimi ſcriptores, ad Clodoueum retulerunt, quo nihil ſcribi poterat ineptius. Theodoricus rebus feliciter in Aquitania geſtis ad patrem Pariſios venit, à quo Aruernos Cadurcóſque quodam quaſi iure præcipui obtinuit, & ad poſteros Auſtraſiorum Reges tranſmiſit: quod pauci hactenus aduerterunt. Theodericus Oſtrogothorum Rex Amalarici ex filia nepotis nomine Prouinciam ſibi Narbonenſem vindicare voluit, miſsóque cum ingenti exercitu Ibba ſeu Ebbane Duce Arelatum à Francis obſeſſum liberat, multáſque ciuitates Narbonenſis ſecundæ & Alpium Maritimarum in ditionem ſuam redegit. Sunt & qui repulſos ab obſidione Carcaſſonæ Francos, & à Gothis ad 30. & amplius Francorum millia cæſa referant. De quibus tacet Gregorius noſter. Vide Cyprianum in vita S. Cæſarij, Caſſiodorum, cuius hæc ſunt verba: contra Francos à D. N. deſtinatus exercitus: qui Gallias Francorum depræda-tione confuſas (Narbonenſes prouincias cis tránſque Rhodanum pro certo intelligit) victis hoſtibus ac fugatis ſuo adquiſiuit imperio, *Iornandem, Iſidorum, alios. Sunt quoque qui ad hunc aut ad præcedentem annum referant Concilium Aurelianenſe I. quod conſtat, teſte atque auctore rei antiquariæ peritiſſimo Sirmondo noſtro, poſt triennium ſumtaxat, Felice & Secundino Coſſ. celebratum fuiſſe. Neque ij rectiùs ad ſcopum collimarunt, quàm qui Epaonenſe anno ſequenti ante eiuſdem Sirmondi editionem illigabant. Interim graui correptus ægritudine Clodoueus Pariſiis liberatus eſt precibus Sancti Seuerini Abbatis monaſterij Sanctorum Martyrum Agaunenſium, qui paullò poſt in Caſtro Nantonis migrauit ad Dominum, vt docent Au-*

ctor vitæ eius apud Surium die 11. *Februarij & Aimoinus libro* 1. *capite* 24.

Anno Christi DIX. *Clodouei* 28. Opportuno siue Importuno solo Consule, *Gundobadus à qq. dicitur conspirantibus in eum Francis & Ostrogothis pulsus ex Gallis in Italia miserè periisse, cuius reliquias Sigismundus eius filius pietate insignis ad annos* 22. *obtinuerit, S. Alcimi Auiti prædicatione ac diligenti operâ fidem Catholicam abiurato Arij nefario dogmate palam professus. Verùm præcipitem hanc festinationem castigat Marius Auenticensis in Chronico qui Gundobadi mortem in annum Christi* 516. *differt, vt suo posteà dicemus loco. Idem Marius testis est hoc anno Mammonem Gothorum Ducem in Gallias irrupisse, earúmque partem fuisse depopulatum. Clodoueus, (quem quidam falsò sub huius anni exitum obiisse volunt, cùm tamen ex Gregor. constet quinto post Vocladense prælium anno fuisse superstitem) Sigebertum Francum Coloniæ Agrippinæ Regulum à filio Cloderico dolosè occidi procurat: mox ipse regnum eius inuadit. Idem facit alteri cuidam Chararico incertæ partis Franciæ Regulo, quæ fusiùs describunt Gregor. libri* 2. *capp.* 40. *&* 41. *Rorico, Fredeg. alíque, cum Aimoino Floriacensi, qui haud satis peritè ad hunc Sigebertum, quem Saxoniæ Regem appellat, ex Hibernia venisse asserit S. Furseum multis annorum curriculis Clodoueo nostro posteriorem. Sigebertus autem Gemblacensis Monachus in Chronico docet S. Gibrianum Scotum cum fratribus sororibúque suis in Galliam peregrinatum vitâ & morte sua Remensem urbem illustrasse, quæ aliis examinanda relinquo; vt ad alia me conferam.* Otto CP. incendio vtramque porticum à Foro Constantini vsque ad Perdiccæ statuam ignis in puluerem redegit. Iuliani portus ibidemundis per rotatiles machinas priùs exhaustis, cœnóque effosso purgatus est. Seuerus cum 200. Monachis hæreticis CP. venit, turbásque aduersus Macedonium & Synodi Chalcedonensis assertores excitat. Venerunt quoque ex Palæstinâ Catholici Monachi: & Dorotheus Alex. Monachus, quòd volumen, inscriptum, Tragœdia, siue Prophetia præsentis status publicasset, in Oasim relegatus est. Deuterius Arianorum Ep. apud CP. cum hac formulâ baptizaret: Baptizetur N. in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto, aqua ex fonte euanuit. Plura Theodorus Lector & Theophanes.

Anno Christi DX. *Clodouei* 29. Vitalianus Comes Patricioli filius Catholicæ fidei subuersionem, Chalcedonensis Synodi damnationem, remotiones orthodoxorũ Episcoporum, suc-

ceſſionéſque hæreticorum cognoſcens, collectâ virorum fortium manu validâ Anaſtaſio Imp. rebellat, & ſeq. anno Hypatium Imp. nepotem Romanæ militiæ Magiſtrum capit, & in cuſtodiam ferreæ caueæ trudit. Simulachrum æneum CP. in Foro ſtrategij ſuper fornicem reſidens, & Cornucopiæ Fortunæ retinens, incendio combuſtum amiſit brachium, quod ſtatuarij continuò ſolidarunt. Appius Patricius damnatur exilio, & Conſtantius olim Magiſter militiæ ordinatur Laodiceæ Epiſcopus. In eadem vrbe Anaſtaſius per deſertores Monachos conductóſque homines cantare fecit in æde S. Michaëlis intra Palatium Triſagium hymnum cum additamento, ὁ σταυρωθεὶς δι' ἡμᾶς. Sequenti verò Dominicâ, cùm idem in maiori Eccleſia tentaſſent, orta populi ſeditio eſt. *Clodoueus Ragnacharium Camaraci commorantem, cuius effrænem luxuriam ſugillant Hiſtorici, affinem ſuum regno & vita ſpoliauit. Gregor. Fred. Roric. Aim. ſimiléſque conſule, qui mentionem pariter iniiciunt Ragnemiri, ſeu Riomiri, Cenomanicæ ciuitatis Reguli Ragnacharij fratris iuſſu eiuſdem Clodouei Regis interfecti. Hoc viuebat tempore ſanctus Marianus Biturícus, quem cùm Tetradius Antiſtes Biturigum Preſbyteri vellet honore inſignire, ferunt conſtanter abnuiſſe. De eo Vetus Breuiarium, Greg. cap. 81. de Gloria Confeſſorum, &c. Arelatum iterum obſediſſe memorantur Franci, quos Tholum ſeu Tholmi Theodorici Regis Italiæ Dux repulerit.* Geſalicus Alarici ex concubina filius cùm per triennium tyrannidem occupaſſet, Goericum Barcinone in palatio occidit, & mox ab Ibba ſiue Ebbane Theoderici duce fugatus ex Hiſpaniis Africam petiit, auxilium à Vandalis imploraturus, quod non obtinuit: atque ab hoc vel ſequenti potius anno regnum Theoderici in Hiſpaniæ & Narbonenſi Gallia cœpit, quod ad obitum vſque per Præfectos ſuos annis 15. ſub tutelæ nomine adminiſtrauit, vt ex Conciliis Hiſpanicis, S. Iſidoro, aliíſque conſtat. De Boëthio duo hîc falſa dicit Miræus. I. quod à Sidonio laudatus ſit. II. quod anno 526. interfectus.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DXI. Geſalicus non impetrato quod ſperauerat Vandalorum auxilio, de Africa rediens, verba ſunt Iſidori, ob metum Theodorici Aquitaniam petiit, ibíque anno vno deliteſcens in Hiſpaniam reuertitur, atque ab Ebbane Theoderici Regis duce 11. à Barci-

nona vrbe miliario commisso prœlio in fugam vertitur, captúsque trans flumen Galliarum *Druentiam* interiit: sícque priùs honorem, postea vitam amisit. Appendix Victoris biennio tardiùs collocat, sibíque ipsa contradicit. *Concilium Aurelianense I. hoc anno celebratum est euocatione Clodouei Francorum Regis ex omnibus ditionis suæ prouinciis die Dominica mensis Iulij decima, Felice V. C. Consule, cuius extant Canones 31. cum subscriptionibus 32. Episcoporum, & epistola ad Clodoueum, quem meritissimo iure vocant Dominum suum Catholicæ Ecclesiæ filium glorioſissimum Regem. Characterem verò apud æquos quoslibet iudices certissimum exhibet subscriptio Cypriani Burdegalensis, quæ in aliis editionibus deerat: in quibus aut ordine alphabetico subscripti leguntur Episcopi, aut iis omnibus præest Tetradius noster Bituricensis. Certam nunc demum sedem huic Concilio defiget Felicis Consulatus, inquit Sirmondus testis omni exceptione maior, quem in subscriptionibus præferunt multi (notetur hoc verbum) codices antiqui. Quam ob rem, qui alia omnia cogitant, ij mihi repertis frugibus ad glandes ac siliquas reuerti velle videntur. Nec sanè video cur maiorem fidem mereatur Sirmondus in stabiliendo anno hactenus vitioso Concilij Epaonensis, ex subscriptione S. Auiti Consulem Agapitum præferente, quàm in figendo Aurelianensi I. ex subscriptione Cypriani Felicem Consulem in codicibus plurimis optimæ notæ repræsentante. Sub finem verò eiusdem anni die 27. Nouembris Dominica Lutetiæ Parisiorum decessit idem primus Christianissimus Francorum Rex Clodoueus post Vocladense bellum anno quinto. Fueruntque omnes dies regni eius triginta anni: ætas tota quadraginta quinque anni, sepultúsque est in basilica SS. Apostolorum, quam cum Chrotilde Regina ipse construxerat, & nunc à S. Genouefa nomen habet. A transitu S. Martini vsque ad transitum Clodouei Regis, qui fuit annus non XI. sed VI. episcopatus Licinij Turonici sacerdotis, supputantur anni 112. Chrotildis autem Regina, pergit Greg. Turonensis, post mortem viri sui Turonos venit: ibíque ad basilicam S. Martini deseruiens, cum summa pudicitia atque benignitate comorata est omnibus diebus vitæ suæ, rarò Parisios visitans. Clodouei quatuor filij Theodoricus, Chlodomeres, Childebertus atque* CLOTHARIVS *regnum eius accipiunt, & inter se æquâ lance diuidunt. 1. Austrasiæ siue Metense. 2. Aurelianense quod postea Burgundicum appellatum est. 3. Parisiense siue Francicum. 4. Natu minimus omniumque tandem hæres Sueſſionense. Habebat iam tunc Theodoricus filium nomine Theodebertum, elegantem atque vtilem. Cúmque magna virtute pollerent, & eis de exercitu robur copiosum ineſſet (post multos annos adeó-*

Clotharius.

que poſt ipſum Theodorici Oſtrogothorum Regis obitum contigiſſe arbitror) Amalaricus filius Alarici Rex Hiſpaniæ ſororem eorum in matrimonium poſtulat quod illi clementer indulgent, & eam ipſi in regionem Hiſpaniæ cum magnorum ornamentorum mole tranſmittunt. Verum de his plura repete poſt Gregorium ex Roricone, Fredegario, Orderico Vitale, Aimoino lib. 1. cap. 25. vbi Epitaphium legitur à S. vt volunt, Remigio Remenſi Epiſcopo conſcriptum, Hincmaro, Sigeberto, Chronicis Moſſiacenſi, Bezuenſi, alíſque plurimis, vt de Procopio & Agathia nihil dicam, qui eorum Principum ætate floruerunt, & aduerſus Francici nominis obtrectatores ſuo deinceps ordine producentur in arenam pro veritate nauiter certaturi. Verùm Oriens nos ad ſe iam vocat. Macedonius C P. Epiſcopus Euchaita deputatus eſt in exilium, quòd Tomum Sanctorum Patrum apud Chalcedonem ſubſcriptione roboratum Imperatori dare diſtuliſſet, atque in eius locum ſuffectus Timotheus. Ingens deinde populi ſeditio aduerſus Imp. qui per Marinum & Platonem hymno Trinitatis quaternitatem Deipaſſianorum addi iuſſerat: die 6. Nouembris in forum Conſtantini defluunt, diu noctúque hymnum Trinitatis pſallunt, Areobindam ſibi Imp. fieri clamitant, Imagines ſtatuáſque Anaſtaſij in terram deiiciunt, Marinum Platonémque feris ſubiici poſtulant, &c. Hæc & plura Marcellinus ſub Indictione V. cuius maximam partem obtinuerunt Paulus & Muſcianus Conſules, qui etiam addit iuſſu Imp. apud Sidonem in Phœnicia pſeudoſynodum 80. fere Epiſcoporum aduerſus Chalcedonenſe Concilium fuiſſe congregatam. Videndus etiam Victor ſub Conſulatu Probi, qui refert à Venetis Praſiniſque combuſtam ciuitatem ἀπὸ τῆς Χαγχῆς vſque ad Forum Conſtantini ſupra latitudinem plateæ columnarum 94. S. Sabbas æt. an. 73. legationem ad Imp. ſuſcepit, eúmque Eliæ Hieroſolymorum Epiſcopo offenſum placauit.

Anno Chriſti DXII. *Clotarij ac fratrum currente primo* Flauianus Patr. Antiochenus & Ioannes Paltenſium oppidi Epiſcopus, quòd Sidoniam pſeudoſynodum refellebant, in caſtellum, quod Petra dicitur, exules miſsi ſunt; vbi Flauianus in Domino quieuit, Ioannes autem à Iuſtino, cùm ad Imperium peruenit, reuocatus eſt. Alamundarus Saracenorum Rex à defenſoribus Synodi Chalcedonenſis baptizatus Theopaſchitas Epiſcopos à Seuero Antiocheno pſeudoepiſcopo miſſos ſuperans,

ſuperans, Deum immortalem oſtendit, vt docent Victor Tononenſis, & Theodorus Lector. Vnde conſtat ad hunc annum reuocandum eſſe, quod Marcellinus dicit, Seuerum Eutychetis perfidiæ cultorem, volente Anaſtaſio Cæſare, ſedem Flauiani Antiſtitis ex monacho factum Epiſcopum occupaſſe. Euagrius libro 3. capite 33. menſe Dio, qui Nouembri noſtro reſpondet, Indictione 6. & anno Χρηματισμοῦ τῆς Ἀντιοχείας 561. inchoatis, Seuerum aſſerit Antiochenam Cathedram occupaſſe. Gens Erulorum in terras atque ciuitates Romanorum iuſſu Anaſtaſij Imperatoris introducta eſt. Symmachus Papa ad Orthodoxos Illyrici Dardaniæ Thraciarum encyclicam dedit epiſtolam. *Dani cum Rege ſuo Chochilaico cuectu nauali Gallias ingreſſi, pagúmque vnum de regno Theoderici depopulati, ab eius filio Theodeberto, quem pater cum valido exercitu ac magno armorum apparatu direxerat, ſuperati ſunt, interfecto eorum Rege, omníſque rapina incolis reſtituta eſt: quod ab aliis in annum 516. differtur, me non admodum repugnante, cùm nullum temporis characterem certum exhibeat Gregorius Turonenſis. Exeunte porrò hoc anno obiiſſe videtur Tetradius Biturigum Archiepiſcopus, quem modò glorioſæ memoriæ, modò benedictum appellat Gregorius Turonenſis, cùm libro 3. maioris operis cap. 16. tum cap. 14. libri 2. de Gloria Martyrum, vt mirari ſubeat, cur à maioribus noſtris in Sanctorum album non fuerit relatus.*

Anno Chriſti DXIII. *Clotarij ac fratrum* 2. Dorotheus Ancyræ Epiſcopus orthodoxus finem viuendi, quem ſibimet miſſo contra ſe ab Anaſtaſio Imperat. Magiſteriano prædixerat, in dicto tempore fecit. Helias Hieroſolymorum Epiſcopus Synodi Chalcedonenſis defenſor nolens Seuerum Antiochenum Epiſcopum Apoſtolicæ Fidei inimicum in communionem ſuſcipere, in exilium truditur, eíque ſubrogatur Ioannes Crucis cuſtos, qui & cum Seuero communicauit, & Synodum Chalcedonenſem execratus eſt. Verùm eundem poſtea ſancti Sabbæ opera Catholicam fidem publicè profeſſum fuiſſe narrat Cyrillus in vitâ illius ſanctiſſimi Abbatis. Vide Theophanem ac Victorem, qui tamen iſta citiùs locat ſub Importuno Coſ. *Symmachus Papa, Conſule Probo, vt docet ſubſcriptio, epiſtolam ſcripſit, quâ Cæſarij Arelatenſis Epiſcopi conſultationibus reſpondit: itémque alteram ad Epiſcopos Galliæ, quâ diuiſionem inter Arelatenſem & Viennenſem*

Prouincias à S. Leone Papa constitutam confirmauit. Syagrius 18. Biturigum fuit Antistes de solo nobis nomine cognitus, cui non 19. vt alij, sed 9. tantùm annos addicimus. Gundebaudi filius Sigismundus apud Genauensem vrbem villâ Quadruuio iussu patris sublimatus est in regno, habens vxorem filiam Theodorici Italiæ Regis, vnde habebat filium, nomine Sigericum, inquit Auctor Chronici Bezuensis. Sigebertus verò meminit sancti Arnulfi, quem & S. Remigij in baptismo filium, & post multos in prædicando Christum agones in sylua Parisiorum Aquilina martyrizatum asserit.

Anno Christi DXIV. Magno Aurelio Cassiodoro Senatore solo Cos. *Clotarij ac fratrum* 3. Vitalianus Scytha cum plusquam 60. armatis equitum peditúmque millibus, in locum, qui Septimus dicitur, aduenit, ibíque castra metatus est, & aduſque portam Auream accessit, pro orthodoxorum fide & Macedonio expulso venisse prædicans. Sed Anastasij periuriis per Theodorum illusus octauo die, quàm vrbem accesserat, remeauit: & Odyssum Mœsiæ ciuitatem astu ingressus, Cyrillum cultro Getico iugulauit, hostémque se Anastasij palam apertéque exhibuit. Plura Marcellinus, Victor biennio totò præuertens, Theophanes, Anastasius, Theodorus Lector, &c. Symmachus Romanus Pontifex obiit die 19. Iulij, *cùm post acceptum ab Ægidio Abbate (quem Græcum illum sanctitate præstantem ad Rhodani ostia mortuum quidam volunt) & Messiano notario scriptum libellum, superioris mensis die vndecimo ad S. Cæsarium de priuilegiis Arelatensis Ecclesiæ rescripsisset.* Sedit annos 15. menses 7. & dies 27. Successit Hormisdas natione Campanus die 26. eiusdem Iulij mensis ad annos 9. dies 10. Sícque sublato schismate pax optata Ecclesiæ rediit. *Huius Pontificis Hormisdæ meritò suspecta doctis habetur ad Clodoueum Epistola, quam refert, qui quadringentis abhinc viuebat annis, Hincmarus in vita Sancti Remigij, aut sanè pro Hormisda substituendus erit Symmachus. Ineptus verò supra modum Sigebertus, qui Hormisdæ primordia anno 508. consignat.* Aimoinus libro 1. cap. 24. hoc dumtaxat habet: Romanam Ecclesiam post Symmachum Hormisda suscepit regendam: cuius temporibus (Symmachive, an Hormisdæ?) *Clodoueus direxit ad B. Petri limina hortatu sancti Præsulis Remigij Regiæ dignitatis auream coronam gemmis pretiosissimis insignitam. Eam regnum fuisse dictam volunt. Symmachi certè: cùm Clodoueus anno Christi 511. mortuus sit, vt aduersus Sigebertum eiúsque sequaces, Ba-*

ronium, Caluiſium, ſimileſque recentiores, qui priorum veſtigia lambere ſolent, docuimus; cùm ante triennium in Chronico hocce Hiſtorico, tum in Technico, vbi citatos reperies Bucherium, Sirmundum, Petauium, Ducheſnium, Valeſium. quantos, Deus immortalis! qualéſque viros, quàm Francicarum antiquitatum omníſque eruditionis ſupra inuidiam omnem cumulatè peritos. quibus hîc iungi poterunt Miræus in Chronico Belgico, Chiffletius in Anaſtaſi, noſtríque Bollandus & Henſchenius in Ianuario, niſi hîc in Traiectenſi Diatribâ Tribúſque ſuis Dagobertis à probatâ ſibi doctíſque viris ſententia deſciſcere maluiſſet.

Anno Chriſti DXV. *Clotarij & fratrum eius* 4. Vitalianus multis ſtipatus militibus Syſthenenſe prædium haud procul Regiâ vrbe (Soſthenem alij vocant) ingreſſus nonaginta (nongenta) auri pondo pro pretio Hypatij tunc accipit, iam mille centum auri libris ſibi à ſuis in Sozopoli oblatis. Inde factus Magiſter militum per Thraciam, Hypatium, quem captiuum catenatúmque apud Acres caſtellum tenebat, reuerſus ſuo remiſit auunculo. Hæc Marc. Addit Theophanes Secundianum, qui Anaſtaſij ſororem duxerat, multis lacrymis Hypatium filium impetraſſe, & Hormiſdam Theoderici Regis impulſu in Orientem deſtinaſſe Ennodium Ticinenſem Epiſcopum cum aliis ad turbas illas ſedandas. Euagrius lib. 3. cap. 43. docet Vitalianum nauali prœlio à Marino Duce ſuperatum: eámque victoriam Zonaras tribuit ſpeculis ex ære à Probo inſigni Mathematico fabricatis. Ariadne Auguſta 60. annis in palatio exactis vitâ deceſſit, eáque tempeſtate Hunni Armeniâ tranſmiſsâ totam Cappadociam deuaſtantes vſque Lycaoniam perrexerunt. Macedonius Ep. C P. mortuus Gangris ad S. Callinici Martyris ſepulcrum conditus eſt. Obiit quoque eius in eadem cathedrâ præceſſor Euphemius apud Ancyram Galatiæ. Theodoricus Oſtrogothorum Rex filiam ſuam Amalaſuintam Eutharico Cilligæ Gotho copulauit. *Moritur hoc anno poſt Clodouei obitum quarto, Epiſcopatus ſui 25. S. Enphraſius 12. Aruernorum Epiſcopus & Aprunculi Diuionenſis ſiue Lingon. ſucceſſor. Cuius locum obtinuit Alchimâ & Placidinâ vxore ſororéque adnitentibus Apollinaris Sidonij filius, oblatis multis Theoderico Auſtraſiorum Regi muneribus, ſed eo poſt quatuor menſes viuis erepto, ſuffectus eſt ab eodem Rege S. Quintianus, qui ob Francici amoris zelum ab vrbe ſua Ruthenenſi eiectus à Gothis apud Aruernos morabatur, vt pluribus narrat Gregor. Turon. lib. 2. cap. 36. & libri 3. cap. 2. Monaſterium Agaunen-*

se Florentio & Anthemio Coss. constructum fuisse à Sigismundo Rege docet in Chronico Marius Auenticensis. Ad hunc quoque annum reuocari fortè poterit Synodus incerti loci, in quâ Episcopus quidam Arianus acerrimus disputator coram Sancto Remigio diuinitus obmutescens ad Fidem Catholicam conuersus est, vt docent Hincmarus & Flodoardus.

Anno Christi DXVI. *Clotarij I. & fratrum eius* 5. Anastasius Imp. solitis periuriis Romano Pontifici illudit: Vitaliano in ordinem redacto substituit Ruffinum: nec fidem datam de indicendo legitimo Concilio seruat. Helias Hierosol. Ep. in villa, quæ Haila dicitur, exul moritur. De Laurentio Lychnidensi, aliisque Catholicis Illyrici Episcopis Anastasij iussu C P. vocatis plura Marcellinus, quem consule. Post Ioannem Nicæotam creatus est Alexandrinus Patriarcha Dioscorus Iunior Timothei Æluri consobrinus, qui ad sedandas turbas C P. veniens à populo fugatus est tanquam hæreticus. Ioannes Alcissi siue Alcisonis Nicopolitani successor, quòd celebrata Synodo literas ad Romanum Pontificem dedisset, eiúsque communionem fuisset amplexus, à Dorotheo Thessalonicensi Antistite aliisque vexari cœpit. Archimandritæ & Monachi Palæstinæ Anastasio scribunt pro statu Chalcedonensis Synodi & aduersus impietatem Seueri Antiocheni Patriarchæ. *Miræus more solito Petauium exscribens malè hoc anno asserit Clodouei filios Chrotildis matris hortatu Sigismundo Burgundionum Regi eiúsque fratri Gondemaro bellum indixisse: tum Clodemirum fugato Gondemaro Sigismundum vinctum abduxisse, atque in vrbe Aurelianensi cum vxore & liberis custodiri iussisse. Rectiùs ex Marij Chronico, Petro solo huius anni Consule, Regem Gundobadum (quem Gundobagaudum appellat) obiisse & leuatum fuisse filium eius Sigismundum Regem annotasset.* De Concilio Tarraconensi eodem Petro Consule anno sexto Theodorici in Hispania regnantis, in Italia verò 24. æra 554. celebrato, vide Gasparum Loaisam similésque Hispanicæ Historiæ illustratores. De Thalmud Babylonico consule Genebrardi Chronicon.

Anno Christi DXVII. *Clotarij I. & fratrum eius* 6. Equites Getæ Macedonias duas Thessaliámque Thermopylas vsque veterémque Epirum deprædantur. Mille tunc librarum auri denarios per Paulum Ioanni Præfecto Illyrici misit Imp. pro redimendis captiuis, sed deficiente pretio, multi pro muris clausarum vibium trucidati. Ennodius Ticinensis Præsul ite-

rum cum Peregrino Miſenate Epiſcopo mittitur ad Anaſtaſium, ſed fruſtra, niſi quòd per Monachos qq. Hormiſdæ epiſtolas & Catholicæ profeſſionis formulam diſperſerunt vbique, Seuero interim Antiocheno Patriarcha & Petro Apamienſi Epiſcopo grauem in Syria perſecutionem in orthodoxos exercentibus Sanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſc. librum de Fide ad Petrum hoc ſcribebat tempore: *quò datæ reperiuntur mutuæ S. Auiti Viennenſis Archiep. ad Hormiſdam & Hormiſdæ ad Auitum Epiſtolæ. Sigiſmundum hoc quoque anno à Clodemiro Aurelianenſium Rege, nec quicquam deterrente S. Auito Miciacenſi apud Columnam vicum cum vxore & liberis in puteum iactatum tradit Miræus, nec animaduertit, vt cætera taceam, Concilium Epaonenſe non potuiſſe in tanta Burgundici regni clade & omnium perturbatione cogi: quod tamen certo certiùs hoc anno celebratum eſt die 15. Septembris ſiue 17. Kalendas menſis octaui, Agapito V. C. Conſule. Eius extant Canones 40. cum ſubſcriptionibus Auiti, Viuentioli, Silueſtri, Apollinaris, Claudij, Gregorij & aliorum, & epiſtola ipſius S. Auiti Tractoria generali ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis, vt ad Synodum veniant Epaonenſem octauo Iduum Septembrium die. Quo verò loco ſita fuerit Epaonenſis illa Parochia à multis nominatímque à Chiffletio qui per omnes Muſas deierare auſus eſt, tam ſtudiosè quàm infeliciter hactenus quæſita, Viennenſem inter ac Lugdunenſem Prouincias veluti media, quæ modò vicus eſt Sabaudiæ ad ſiniſtram Rhodani ripam Ienna dictus, docuimus obiter extremâ Tabellâ quartâ Geographiæ Regiæ, & in Auctario ad Conciliorum Galliæ Synopſim Hiſtoricam. Quam opinionem noſtram coniecturis R. P. Ioannis Columbi firmatam Henſchenio noſtro pag. 30. Diatribæ Traiectenſis video placuiſſe. Eodem quoque, vt eruditis viris videtur, anno, aut fortè ſequenti habitum eſt, præſide Viuentiolo, Lugdunenſe I. Concilium aduerſus Stephanum qui oblitus humanas diuináſque leges cognatæ ſuæ auſu nefario ſe ſociauerat. Extant Canones ſex cum ſubſcriptionibus vndecim Epiſcoporum.* In Hiſpania quoque coactum eſt Agapeto Conſule an. 7. Theoderici, æra 557. Gerundenſe Concilium, Præſide Ioanne Tarraconenſi Metropolitano, cui Hormiſdas Papa vices ſuas commiſerat.

Anno Chriſti DXVIII. *Clotarij ac fratrum* 7. In Dardania 24. caſtella terræ motu vno momento collapſa. Scupus metropolis funditus corruit, ſed abſque ciuium ſuorum hoſtem fugientium clade. In Sarnunto caſtello regionis Caniſæ terra ruptis venis inſtar fornacis exæſtuans feruentem ignem

euomuit, montes sciſſi, iisque plura, de quibus Marcellinus Comes, qui addit Anastasium Imper. Orientis subita morte præuentum maiorem octogenario periisse, cùm regnasset annos 27. & Iustinum à Senatu electum Imp. continuò ordinatum esse. Atque hîc desinebat prima Marcellini editio, vt ipse in Præfatione monuit. Victor hæc habet: Anastasius Imp. intra palatium suum tonitruorum terrore fugatus & coruscationis iaculo percussus, in cubiculo quo abstrusus fuerat (Ωατὴν dictum volunt) moritur, & cum ignominia absque consuetis exequiis ad tumulum ducitur anno vitæ suæ 88. Chronicon Alex. testatur Anastasio apparuisse virum candidis indutum vestibus, qui è codice 14. annos deleuerit, eúmque paullò pòst decubuisse, tonitruóque ingenti facto & fulmine sequente percussum animam exhalasse, cùm annum ageret 90. cum mensibus quinque. IVSTINVM verò Thracem, siue, vt Victor, Illyrianum, Comitem Excubitorum & βανδαείτων, die 9. Iulij siue Panemi mensis Indictione XI. Magno Consule anno secundùm Antiochenos 566. labente, à Palatinis militibus & populo Imp. creatum. Ibidem etiam mentio fit somnij Amantio oblati, & Procli Asiani Philosophi ac somniorum coniectoris. Videndi quoque Euagrius atque Theophanes cum fragmentis Chronicorum post Ammianum à V. C. Henrico Valesio editis. Iustinus, cuius ex sorore nepos Iustinianus Candidati militia functus dicitur, Lupicinam coniugem suam, quam Constantinopolitani Euphemiam postea vocauerunt, coronari fecit. Victor idem, sed biennio citiùs, narrat Timotheum C P. Episcopum Synodi Chalcedonensis obtrectatorem die 5. mensis Aprilis occubuisse, & Ioanni Cappadoci Syncello proprio atque Presbytero Episcopatum tradidisse. Is verò Ioannes post obitum Anastasij Synodum collegit C P. in qua, vt docent Acta Concilij C P. sub Menna, ex quibus id etiam discimus diem 15. Iulij fuisse Dominicum, Concilium Chalcedonense in Tabulas sacras relatum, cum nominibus S. Leonis Papæ, Euphemij & Macedonij Epp. C P. atque anathema Seuero dictum. Iustinus quoque Imp. Concilium Chalcedonense edicto firmauit, Seuerum in Ægyptum fugere compulit (Euagrius lib. 4. cap. 4. mensem Septembrem anni Antiocheni 567. comparat in anno primo Iustini) substituto in eius locum Antiochiæ Paulo, Xenaiam

Hierapoli & Petrum Apamea eiecit, Appionem Patricium aliósque Catholicos in integrum restituit. Elias Hierosolymitanus Episc. exul mortem Anastasij diuinitus sibi reuelatam cognouit, & decimo pòst die obiit: quod etiam Flauiano Antiocheno similiter exuli contigisse docent Cyrillus in vitâ S. Sabbæ, & Auctor Prati Spiritualis cap. 35 Interim Romæ quoque celebrata Synodus, in qua præside Hormisda decretum est Ioanni Patr. CP. communionem nisi damnato Acacio esse negandam.

Anno Christi DXIX. *Clotarij ac fratrum* 8. Quo Cassiodori terminatur Chronicon, cum Iustino Augusto Consulatum gessit Eutharicus Cillica Theodosij gener (qui mendosè apud Victorem dicitur Heraclius, & Euterius apud Marium) eúmque magnificentissimè edidit, cùm Romæ, tum Rauennæ. Amantius Palatij CP. Præpositus, Andreas, Misaël & Ardabur Cubicularij Manichæorum fautores, & Iustini Augusti proditores interfecti sunt cum Theocrito Spadone Amantij Satellite, quem clam ad regnandum præparauerat. Hæc Marcellinus, qui etiam refert Vitalianum Scytham reuocatum CP. 7. pòst die Magistrum militiæ ordinatum. Vide & de cæde Amantij Victorem & Chron. Alex. vbi & eadem habentur quæ Euagrius recitat de erogata in Prætorianos & populum Theocriti nomine pecunia per ipsummet Iustinum, &c. S. Germanus Capuanus Episcopus cum aliis legatus ab Hormisda missus ad Iustinum Imp. dedit operam, vt hæretici Nestorius, Eutyches, Dioscorus, Timotheus Ælurus, Petrus Mogus, Acaciúsque damnarentur: nomina verò Zenonis & Anastasij Impp. Flauitæ, Euphemij, Macedonij, & Timothei Epp. CP. eraderentur è sacris diptychis. Agnoëtarum Corruptícolarum, & Incorruptibilium siue Phantastarum hæreses in Ægypto pullulare incipiunt, de quibus videndi Liberatus, Leontius, alij. S Fulgentius Ruspensis Episcopus scribit de Incarnatione Verbi & Gratia ac Libero arbitrio, occasione Monachorum Scytharum, qui à Legatis CP. reiecti Romam ad Hormisdam venerant. Quâ in vrbe exarsit inter Christianos & Iudæos graue dissidium, cuius occasione abalienatus est ab Orthodoxis Theodoricus Italiæ Rex, vt leges in Fragmentis ex codice Collegij nostri MS. editis post Ammianum. *Licinio Turonensi ep. mortuo die* 13. *Februarij, cùm annum ageret in*

Episcopatu 13. *succedunt Theodorus & Proculus, volente B. Chrotilde Regina, qui iam olim in Burgundia fuerant ordinati episcopi, & Ecclesiam illam simul rexerunt annis duobus, vt docet Gregorius Turonensis extremo lib.* 10. *alium enim ordinem tenuit Historiæ lib.* 3. *cap.* 2. *&* 17. Hoc fermè tempore Hermenfredus Thuringiæ Rex, qui Amalbergam neptem Theoderici Italiæ Regis duxerat, fratrem suum regníque collegam Bertarium patrem S. Radegundis interfecit: Badericum quoque alterum fratrem instinctu vxoris suæ regno spoliare constituit. qua de re anno seq. dicendum erit.

Anno Christi DXX. *Clotarij ac fratrum eius* 9. Vitalianus Consul septimo Consulatus sui mense, quem cum Rustico, non Orientis, vt Miræus scripsit, sed Occidentis Consule gessit, sexdecim confossus vulneribus in palatij loco, quem Delphicum dicunt, cum Celeriano & Paullo satellitibus suis interemptus est, siue Iustini dolo, siue Iustiniani Patricij factione, siue à Constantinopolitanis id factum fuerit; quâ de re plura Euagrius, Theophanes, Marcellinus, Victor, alij. Ioannes, qui ante Iustinum fuerat ad imperium electus, Heracleæ in Thracia ordinatus est Episcopus, & Iustinianus nepos Imp. ex Candidato Magister militum ordinarius effectus. Veneta factio in Prasinos per ciuitates bacchabatur, cùm Ioanne Cappadoce mortuo creatus est C P. Patriarcha Epiphanius, ex Syncello. Hormisdas Papa ad Possessorem Africanum Episcopum rescribens *Fausti Reiensis Episcopi* libros de Gratia damnat, & Monachorum Scytharum, quorum princeps erat Ioannes Maxentius impudentissimus calumniator, nequitiam traducit. Apud eundem verò Hormisdam Dorotheus Archiep. Thessalonicensis excusare contendit, quòd anno superiore Ioannes Episcopus vnus ex Legatis Pontificiis populari seditione sauciatus ac tantum non fuerat occisus. Nestoriani quidam solenni ritu Theodoreti effigiem in vrbem Cyrum curru inuehunt, quod Iustinus Imp. in auctores seuerè vindicauit. Hermenfredus Thoringorum Rex, vocato in auxilium *Theodorico Rege Francorum maiore natu Clodouei filio*, Badericum fratrem vicit, occiditque, sed cùm victoriæ promisso præmio eundem per summam perfidiam frustrare voluisset, exarsit inde bellum luctuosissimum, de quo suo postmodum tempore, ex Gregorio, aliísque. *Hoc anno à transitu S. Martini* 120.

Kalendis

Kalendis Iulij obiit Engoliſmæ S. Eparchius Abbas natus annos 80. *vt docet Engoliſmenſis Monachus in vita Caroli Magni. In hoc tamen peccat, quòd cum Childeberto Iuſtinianum tunc imperaſſe affirmet, pro quo fuerat Iuſtinus ſubrogandus. Quòd ſi de Conſulatu non de Imperio Iuſtiniani ſcriptor ille accipiendus ſit, in ſeq. annum differendus erit Sancti Eparchij obitus.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DXXI. *Clotarij eiúſque fratrum* 10. Iuſtinianus Conſulatum ſuum cum Valerio famoſiſſimum hiſce liberalitatibus edidit: nam 288. millia ſolidorum in populum & in ſpectaculorum machinas diſtributa, 20. leones, 30. pardos, exceptis aliis feris, inquit Marcellinus Comes, in Amphitheatro ſimul exhibuit; numeroſos præterea phaleratóſque in Circo caballos iam donatis quoque impertiuit aurigis, vnâ dumtaxat, vltimáque mappâ inſanienti populo denegatâ. Dioſcoro mortuo factus eſt Timotheus Alexandrinus Patriarcha, vt docet Victor, apud quem pleráque turbata eſſe demonſtrant quæ mox ſubiicit de Seuero, &c. Certè ex actis S. Aretæ die 24. Octobris conſtat eiecto hoc Timotheo Aſterium Catholicum ordinatum fuiſſe. Paulo quoque mortuo Antiocheno Epiſc. ſucceſſit Euphraſius Hieroſolymitanus Preſbyter. *Poſt Theodorum & Proculum Diniſius Epiſcopalem Turonorum ſedem decem menſibus occupauit, habuítque iuſſu Chlodomeris Regis an. ſeq. ſucceſſorem Ommatium ad annos* 4. *& menſes* 5. *qui fuit de Senatoribus Aruernis valdè diues in prædiis*, &c. *Circa hæc tempora Monaſterium Miciacenſe petierunt SS. Lætus atque Dulcardus Bituricenſes ambo, quos S. Auito conſtat fuiſſe ætate æquales, vt ex vitis eorundem aliàs docebimus. S. quoque Euſicius æuo illo Cellam ad Carum fluuium in Biturigum Turonorúmque finibus incolebat inter ſpinarum condenſitatem, vt ait Gregor. Turon. cap.* 82. *de Gloria Confeſſorum, vnde manifeſti arguuntur erroris Claudius Robertus, aliíque, qui Euſicium non ſecus atque Lætum & Dulcardum ad Sulpitij Pij Bituricenſis Patriarchæ tempora demittunt. Errant ſimiliter, qui B. Leopardium S. Portiani Abbatis Aruerni fratrem haud procul ab Elaueris fluuij ripa martyrio coronatum eiſdem Sulpitij diſcipulum fuiſſe comminiſcuntur.*

Anno Chriſti DXXII. *Clotarij eiúſque fratrum* 11. Tzathius Xamnaxi Lazorum Regis filius mortuo patre ad Iuſtinum venit CP. ibíque ſacro baptiſmi fonte luſtratus duxit Valeria-

nam Asinij Patricij & Consularis filiam, & à Iustino Regiis insignibus ac muneribus decoratus est. Vide Chron. Alex. & Theophanem, qui etiam conquestum ea de re memorant Cabadem Persarum Regem, & ab eo aduersus Romanos impulsum Ziligbin Hunnorum Regem tum subinde occisum. Dunaam Homeritarum in Arabia Princeps captâ vrbe Nagrâ S. Aretam die 24. Octobris, aliósque plures Christianos interemit. *Vt Dinisio apud Turonos successit Ommatius, sic apud Biturigas Syagrium excepit Humatus decimus nonus Antistes per annos 4. cuius anno vel primo vel, vt quidam, secundo contigisse memorant Miraculum insigne B. Mariæ de Furno calido, siue Fiscali, cùm puer Iudæus à patre Iudæo arte Vitriario in fornacem ardentem coniectus, ope Deiparæ Virginis saluus incolumisque euasit. Sigisricus seu Segericus filius Sigismundi Regis iussu patris sui iniustè occisus est, inquit Marius in Chronico. Plura Gregor. Turon. lib. 3. cap. 5. I. Gundobadi successorem Sigismundum monasterium Agaunense solerti cura cum domibus Basilicisque ædificasse. II. Perdita priori coniuge filia Theoderici Italiæ Regis, de qua filium habebat Sigericum, aliam duxisse vxorem. III. Nouercæ huius instinctu Sigericum occidisse. (Rege interfecto regnum in Italiam dilatare disponit, scilicet vt regnum quod auus eius Theodericus tenet, & iste possideat, &c. sic enim legendum arbitror, non vt vulgò omnes, tenuit, cùm certum sit superstitem fuisse Theodericum Italiæ Regem vsque ad annum 526.) IV. Sigismundum mox pœnitentem ad Sanctos Agaunenses abiisse & psallentium ibi assiduum instituisse. V. Lugdunum regressum esse diuina vltione eum persequente. VI. Huius filiam Theodericum Austrasiæ siue Metensium Regem accepisse vxorem.*

Anno Christi DXXIII. *Clotarij & fratrum eius* 12. Iustinus Imper. priore vxore mortuâ Theodoram duxit & coronauit. Idem non secus ac Cabades Persarum Rex Manichæos pœnis subiiciunt: pleríque grassatores ob sua scelera deprehensi C P. ferro, igni, suspendióque expensi sunt, gratum bonis ciuibus spectaculum exhibentes. S. Hormisdas Romanus Pontifex obiit die 6. Augusti, cùm sedisset annos 9. & dies decem. Successit post dies septem S. Ioannes huius nominis I. Etruscus die 13. eiusdem mensis obiit quoque Kalendis Februarij S. Brigida Scota (quam quidam recentior Historicus ineptè cum Succiçâ confundit) annos 70. nata, exactis ab obitu S. Patricij Scotorum Apostoli annis 30. cuius corpus Kildaciæ sepultum ad Dunensem postea Ecclesiam translatum fuisse per-

hibetur. Thraſamundus Vandalorum Rex poſt regnum annorum 27. & menſium aliquot Carthagine moritur, cuius vxor Amalafrida fugiens ad Barbaros Capſæ iuxta Eremum capitur, & in priuata cuſtodia moritur. Hildericus iam ſenior Hunerici & Eudociæ Valentiniano III. genitæ filius ſacramento à deceſſore ſuo obſtrictus, ne Catholicis in regno ſuo aut Eccleſias aperiret, aut priuilegia reſtitueret; priuſquàm regnare inciperet, ne ſacramenti terminos præteriret, præcepit & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire & Eccleſias aperire, & Bonifacium ad poſtulationem totius vrbis Carthaginenſem Epiſcopum conſecrari permiſit. Hæc ex Victore, cui in pleriſque conſentiunt Procopius lib. 1. Vandalicorum, Ferrandus Diaconus in vita S. Fulgentij, Iſidorus, &c. *Sirmundus ad hunc annum refert epiſtolam S. Remigy Remenſis Epiſcopi ad tres Epiſcopos Heraclium Leonem & Theodoſium, de Claudio quodam Preſbytero, in cuius cauſa ſpretum ſe ab illis conqueritur: Quod propitia diuinitate ſit dictum, ait, quinquaginta & tribus annis Epiſcopali ſedi præſideo: & in fine: Annorum numero me eſſe ſcribitis Iubilæum, irridentes potius quàm pro dilectione gaudentes. Subiungit alteram ad Falconem Tungrenſem Epiſcopum ſcriptam, quâ arguit illum, quòd in Moſomagenſi Eccleſia iuriſdictionem ſibi aduerſus Remenſis Eccleſiæ iura vſurparet in ipſis Sacerdotalis ſui officij tirociniis. Verum primordia Falconis anno dumtaxat 529. & poſt triennium mortem conſignat Ægidius Bucherius in Chronico Leodienſium Præſulum: Henſchenius verò, qui mortem Remigij anno 530. addicit in Traiectenſi ſua Diatriba Falconis IX. Traiectenſis Epiſcopi initium collocat anno 495. & ſequenti præſentem de Moſomenſi Eccleſia contentionem. Vtrum veritate ſubnixum ſit aliis eruditioribus, aut mihi alio in opere diſcutiendum relinquo. Hoc vnum verè poſſum affirmare S. Remigium non fuiſſe ſuperſtitem vſque ad annum ſalutis 536. vt docent ſubſcriptiones Concilij Aruernenſis. Sigiſmundus Maximo Conſule Indictione prima à Burgundionibus Francis traditus eſt, & in Franciam in habitu Monachali perductus, ibique cum vxore & filiis in puteum eſt proiectus. Hæc Marius: plura ex Gregorio ſubiicio. I. Chlodomerem cum fratribus ſuis Childeberto & Clotario hortatu Chrotildis Reginæ matris ſuæ Burgundiam petiiſſe, contra Sigiſmundum & fratrem eius Godomarum direxiſſe, deuictóque eorum exercitu Godomarum terga vertiſſe. II. Sigiſmundum dum ad ſaltus Agaunos fugere niteretur, à Clodomere captum cum vxore & filiis, captiuum abductum, & in finibus vrbis Aurelianenſis in cuſtodia aſſerua-*

tum. III. Post eorum Regum discessum Godomarum resumptis viribus Burgundiones collegisse regnúmque recepisse. IV. Clodomerem contra eum iterum ire disponentem, necquicquam deterrente S. Auito Abbate Miciacensi magno tunc temporis Sacerdote, S. Sigismundum (cuius festus dies quotannis recurrit Kal. Maij) cum vxore liberísque interfectum apud Columnam Aurelianensis vrbis vicum in puteum iactari præcepisse. V. Vocato in suppetias Theoderico, qui soceri sui iniuriam vindicare nolens (sic enim legendum arbitror, non verò, volens, nisi fortè indignatum velis perfidis illis Burgundionibus, qui Regem suum vltrò Francis prodiderunt, vt ex Mario docuimus) ire promisit, vtrumque pariter apud Viserontiam locum vrbis Viennensis coniunctum cum Godomaro conflixisse. VI. Godomarum cum exercitu terga vertisse. VII. Chlodomerem victos insequentem & à suis non modico spatio elongatum in medium inimicorum irruisse, ab iisque occisum amputato capite, quod cùm Franci conto defixum & in sublime eleuatum vidissent, reparatis viribus Godomarum fugasse, Burgundiones oppressisse, patriámque in suam redegisse potestatem. VIII. Godomarum iterum regnum recepisse. IX. Clotharium vxorem fratris sui Clodomeris, Guntheucam nomine, sibi in matrimonium sociasse. X. Chrotildem Reginam exactis diebus luctus, filios Clodomeris secum recepisse ac tenuisse, quorum vnus Theodoualdus, alter Guntharius, tertius Chlodoualdus vocabatur. Hæc ille, quorum pleráque ad annum seq. pertinent.

Anno Christi DXXIV. *Clotarij & fratrum eius* 13. Inopia olei, inquit Marcellinus, magnam penuriam in populum importauit Anazarbum Ciliciæ secundæ metropolim terræ motu subuersam Iustinus instaurat, & Iustinopolim vocat. Edessa Osroënæ metropolis, Scirto flumine vastatur iuxta oraculum: Σκιρτὸς ποταμὸς σκιρτήσῃ καὶ σκιρτήματα πολίταις. Ciliſſa mulier hoc tempore visa, quæ procerissimum quemque cubito vno superabat. Boëthius Patricius hoc anno, teste Mario, iussu Theodorici Ostrogothorum Regis in territorio Mediolanensi occiditur. Ticini id factum esse, cùm in carcere tres de Consolatione Philosophiæ libros metro prosáque contextos scripsisset, omnes docent, ac Fragm. Chronic. designat agrum Caluentianum vbi in custodia habebatur, addítque: qui accepta chorda in fronte diutissimè tortus, itaut oculi eius creparent, cum fuste occiditur. Filij eius Symmachus atque Boëthius biennio ante Consulatum gesserant. An Helpis eius vxor dicta sit examinabimus alio in opere. *Idem Marius tradit Go-*

domarum fratrem Sigismundi Regem Burgundionum ordinatum contra Chlodomerem Viseronciâ præliatum esse, ibique Chlodomerem interfectum: quæ pluribus ex Gregorio mox exposuimus. Concilium Arelatense IV. Sirmondo, Binio, aliisque III. in dedicatione Basilicæ B. Mariæ celebratum est 6. die Iunij, Opilione VC. Consule huius anni cum Iustino Augusto. Extant eius Canones 4. cum subscriptionibus S. Cæsarij Arelatensis qui præfuit & aliorum Episcoporum. Sirmondus Baronium monuit ab anno 453. cui malè hoc Concilium in antiquis editionibus alligabatur Opilione & Vincomalo Coss. ad hanc propriam sedem reuocandum esse; non secus atque Carpentoratense, Arausicanum II. & Vasense II. quibus & Cæsarius præfuit tempore Liberij V. C. qui Præfecturam per eos annos pro Theodorico Italiæ Rege ac deinceps pro Athalarico egit Arelate & in vicinis Prouinciæ locis, quæ Italiæ Regibus hoc tempore parebant.

Anno Christi DXXV. *Clotarij eiúsque fratrum* 14. Ioannes Papa Theodorico Rege pro Arianorum suorum (quorum Ecclesias Catholico ritu consecrari iusserat Iustinus) cæremoniis reparandis laborante, Romana vrbe digressus miro honore Constantinopoli susceptus est, dexter dexterum Ecclesiæ insedit solium, diémque Domini nostri Resurrectionis plena voce Romanis vocibus celebrauit, inquit Marcellinus. De patratis à Ioanne Papâ miraculis in itinere illo, aliísque ad idem spectantibus consule S. Gregorium lib. 3. Dialogorum, Theophanem, Anastasium, Miscellam. Priscianus Cæsarienſis Grammaticus insignis versabatur hoc tempore Constantinopoli, de quo nos aliàs plura ex Cassiodoro, cæterísque. Mense Octobri inchoatâ iam Indictione IV. Antiochia terræ motibus & igne diuinitus immisso afflictari cœpit per sex septémve menses, donec anno sequenti die Maij 29. feria sexta in ipso meridie pæne tota euersa est, & ignibus consumpta, vt narrant Euagrius, Theophanes, Cedrenus, Nicephorus, alij. Symmachus Patricius caput Romani Senatus, cuius Boëthius filiam habuit vxorem, Rauennæ iussu Theodorici Regis necatus est. Vide Marium, S. Gregorij Dialogos, Fragm. Chronicorum post Ammianum, alióque.

Anno Christi DXXVI. *Clotarij & fratrum eius* 15. Reuersus ex Oriente S. Ioannes Papa truditur Rauennæ in carcerem, vbi sanctè obiit die Maij 27. & Romæ sepultus est die 18. Iunij, postquam sedisset annos 2. menses 9. & dies 14. Sublectus

est S. Felix III. quem Baronius & quidam alij recentiores IV. dicunt, vel die 12. vel 24. mensis Iulij ad annos circiter quinque. De Antiochiæ euersione die 29. Maij huius anni præter iam dicta, vide Marcellinum, qui addit Euphrasium ciuitatis Episcopum obrutum fuisse obelisco Circi inuerso & humi defosso. Huic successit Ephræmius, qui erat Orienti Præfectus. Theodoricus Amalus Ostrogothorum & Italiæ Rex oblato in cœnâ ingentis piscis capite morbo ac furore correptus infeliciter periit Rauennæ 98. die à morte Ioannis Papæ, Kal. Septembris, Olybrio solo Cos. anno regni Italici 33. ac dimidio, Hispanici verò tutorio nomine administrati 16. Plura dabunt Procopius, Marius, S. Gregorius, Aimoinus, Sigebertus, & iam sæpe citatum fragmentum, ex quo discès Indictione 4. labente diem 26. Augusti Olybrio Consule fuisse feriam quartam. Athalaricus Amalasunthæ & Eutharici filius auo in regno Italiæ successit annos octo natus sub matris tutela: Amalaricus verò Alarici & Theodegothæ filius Wesigothos in Hispania & Septimania solus regere cœpit. Nam Prouincia cis Rhodanum Ostrogothis paruit. Dionysius Exiguus Scytha, Romanus Abbas, florebat hoc tempore, de cuius Cyclo, Ærâ, Epistolis, Versionibus, cæterisque scriptis alius occurret differendi locus. *Cœpit hoc anno post Humati mortem Honoratus vicesimus Biturigum Antistes ad annos omnino vndecim, quem nostrates omnes Historici dispescunt in duos, eiusdem nominis, atque ex vitiosis Diptychis, priori quidem annos 11. posteriori verò annos 14. assignant contra omnem Historiæ fidem. Verùm insignis hîc præ cæteris apparet Claudij Roberti aberratio, qui cùm Honoratum I. subscripsisse Concilio Aruernensi anno 536. dixisset, & Arcadio, quem Concilio Aurelianensi III. anno 54. subscripsisse docet, annos Sedis 29. asseruisset, illico sui immemor Honoratum II. contendit scriptorem fuisse Canonum Concilij Aruernensis anno 541. & post annos 14. decessisse Desiderato, qui anno 552. Concilio Aurelianensi V. interfuerit: quæ non mediocrem arguunt in hiisce tractandis hominis alioquin in plerisque eruditi negligentiam. Prosper nescio quis ex Manichæo conuersus huius anni die 19. Nouembris errores pristinos detestatus est. Extant eius anathematismi 21. pag. 209. Tom. I. Conciliorum Galliæ.*

Anno Christi DXXVII. *Clotarij eiúsque fratrum* 16. Constantinopoleos, siue Vrbis Regiæ conditæ, vt tradit Marcellinus 197. Iustinus Imperator Iustinianum ex sorore suo ne-

potem iamdudum à se Nobilissimum designatum, participem quoque regni sui successorémque creauit Kalendis Aprilis annos natum 45. Ipse verò ex vlcere pedis sagittâ in prœlio sauciati quarto pòst mense decessit Kalendis Augusti sub horam diei tertiam anno vitæ 77. Imperij verò 9. & diebus 22. Chronicon Alex. post Euagrium dat tantùm imperio Iustini annos 8. m. 9. & dies tres vel quinque (numerant enim vsque ad Kal. Aprilis dumtaxat, quo die Iustinianum Augustum creauit) & annum designat æræ Antiochenæ 575. Victor docet Iustinianum ab inuito auunculo suo ad Senatorum supplicationem Cæsarem factum, eíque annos præscribit 39. cum mensibus septem. Theodoram coniugem, quæ Eutychianam clam fouebat hæresim, coronari fecit Iustinianus, suáque omnia bona in Ecclesiam contulisse dicitur. Multas quoque leges in fauorem Fidei Catholicæ & Clericorum sanxit. Patricius Armenus Comes Orientis à Iustiniano factus eius iussu Palmyram instaurauit, Duce ibi ad custodiam limitum collocato. Athalaricus Italiæ Rex pacem à Iustiniano impetrauit, & pro Romanâ Ecclesiâ sanctionem edidit, vt ex Variis Cassiodori discimus. *Post Ommatium Leo ex Abbate Basilicæ S. Martini ordinatus Turonensis Episcopus sedit sex menses dumtaxat, & successorem habuit Francilionem ciuem Pictauum ex Senatoribus ad annos duos & menses sex. Concilium Carpentoratense die 6. Nouembris Mauortio V. C. Consule celebratum est præside S. Cæsario, cuius vnicus dumtaxat supersit canon cum Epistola ad Agræcium Episcopum Antipolitanum. Errant verò, qui huic concilio subscriptum Prosperum arbitrantur fuisse Aurelianensem Episcopum.* Collectum similiter fuit in Hispania apud Montanum Episcopum, sed mense Maio, Concilium Toletanum II. æra 565. anno Amalarici Regis Wesigothorum primo nondum absoluto, quem in quintum transformarunt imperiti librarij.

Anno Christi DXXVIII. *Clotarij eiúsque fratrum* 17. Iustinianus huius anni solus Consul tantam vim pecuniæ Kalendis Ianuarij sparsit in populum, quantam nullus vmquam Imperator in Consulatu sparserat. In auxilium Tzathij missus exercitus sub Ducibus Belisario Ceryco & Irenæo ob eorum discordiam profligatus est, sed iis exauthoratis Petrus Notarius Lazorum adiunctis copiis magnum Persarum numerum concidit. Hæc ex Chron. Alex. quod addit à Iustiniano per-

acta I. Suburbium Sycas instauratum, iure ciuitatis donatum, Iustinianopolis nomine dictum, & ponte iunctum CP. II. absolutum publicum balneum III. in medio Palatij Hilli cisternam magnam. Ex Marcellino verò constat solium, porticum, aliáque ad Circum spectantia redintegrata. Gethes Erulorum Rex ipso Theophaniorum die CP. baptizatus fuisse dicitur. Antiochiam iterum terræ motus concussit Indictione VIII. iam inchoatâ die 29 Nouembris feria quarta, quæque ex priori calamitate superfuerant pessumdedit. Vnicum huic malo remedium fuit postibus hæc inscripta sententia: Χριστὸς μεθ' ἡμῶν, σῶπε. *Petauius noster certo consilio ductus hoc & superiore anno repetiit, quæ de Clodomiri vtraque aduersus Burgundiones expeditione & de S. Sigismundi in puteum proiecti ipsiúsque Clodomeri in confertum hostium globum temerè irruentis cædibus ex Sigeberto vulgatisque Annalibus narrauerat in Chronico ad annos 516. & 517. Hoc etiam sibi licitum nullo iudicio existimauit Miræus in Chronico suo Belgico, nec Lectores admonuit fieri non potuisse, vt bis iidem Sigismundus & Clodomirus intra 12. annos eodémque penitus modo morerentur. Felix Papa de Laicis ad Sacerdotium ante probationem non promouendis dedit epistolam die 3. Februarij Post Consulatum Mauortij V. C. ad S. Cæsarium Arelatensem Ep. cuius libros aduersus Faustum Reiensem Ep. idem Pontifex probauit, vt dicitur in Appendice ad librum Gennadij Massilienses de Viris Illustribus.*

Anno Christi DXXIX. *Clotarij eiúsque fratrum* 18. Kalendis ipsis Ianuariis obiisse dicitur S. Fulgentius Ruspensis Episcopus, cuius vitam Ferrandus eius discipulus Diaconus Carthaginensis scripsit. Sunt tamen qui sancti illius viri obitum differant in annum 533. parum firmo, vt arbitror, nixi argumento. Qui verò Ferrandum illum ex Africa in Hispaniam transportant, & Carthagine primùm, tum etiam Toleti Archiepiscopum fuisse, ex suppositiis Iberorum quorumdam mercibus comminiscuntur, ij mihi à recto Chronologiæ tramite penitus aberrare videntur: neque verò hic proprius est refutandæ illius opinationis locus. Stephanus Hispaniarum Præfectus efficitur qui tertio Præfecturæ suæ anno in ciuitate Gerundensi in concilio discinctus est. Codex Iustinianæus hoc anno absolutus est, & publicâ auctoritate probatus ἀπὸ τῆς πρὸ ιϛ' καλανδῶν Ἀπριλλίων (alij Maij præferunt) τῆς ἐνεστώσης ζ' ἰνδικτιῶνος, non inchoante, vt vertit Raderus, sed labente

bente seu præsente Indict. VII. Iustinianus Theopolim vocari iubet instauratam à se Antiochiam, & inchoata iam Indictione VIII. vetuit, vt gentiles aut hæretici magistratum gererent. Alamundarus Saracenorum Rex Syriam populatus à Romanis Exarchis coërcetur. De Bello Persico videndi Procopius, Theophanes, Marcellinus, qui Parthos pro Persis vsurpat, & in eo bello pæne per quinquennium occupatum tradit Romanum exercitum, donec ab Oriente Africam peteret contra Vandalos fortiter dimicaturus. S. Benedictus relicto Sublaco Cassinum montem petiisse perhibetur. *Hoc circiter tempore quanquam post expeditionem Burgundicam καθ' ὕστερον πρότερον* Greg. Tur. *illa subiiciat, Clotarius à Childeberto inuitatus suos è Clodomere fratre nepotes Theodealdum decennem & Guntharium septennem nefariè sua ipse manu trucidauit Parisius. Tertius Clodoaldus fuga elapsus Clericus postea factus est, colituruque Nouigenti ad Sequanam, qui vicus ab eo nomen deinceps mutuatus est. Vide l. 3. c. 18. cum Fredegario, Aimoino, &c. Hincmarus in vita S. Remigij asserit à Clodoaldo villam Ruilliacum in pago Biturico S. Dionysio delegatam: quod an verum sit necne, iudicent alij: certè eius ætate nondum erat S. Dionysij in agro Parisiaco insignis illa Abbatia, ad quam spectat Prioratus Ruilliacensis. Francilio Turon. Arch. an. 3. Episcopatus sui, cùm Dominici Natalis nox alma populis effulsisset, & priusquam ad vigilias descenderet, iussisset sibi poculum ministrari, illo hausto mox spiritum fudit, vnde veneno necatum fuisse non dubitat Gregor. lib. 3. cap. 17. Idem de eo agit extremo lib. 10. In dedicatione Basilicæ à Liberio Patricio & illustrissimo Præfecto Prætorij Galliarum (ad quem Athalaricus Italiæ Rex post mortem aui sui Theoderici scripsit epistolam, quæ est 6. lib. 7. apud Cassiodorum) constructæ celebratum est Decio Iuniore V. C. Consule die 3 Iulij Concilium Arausicanum II. in quo coram Præside S. Cæsario Arelatensi Antistite, & 13 Episcopis, contra Pelagium eiúsque reliquias ex doctrina SS. Patrum de Gratia & Libero arbitrio lecta & subscripta sunt Capitula 25. quæ ad Cæsarium eiúsque collegas ab Apostolica sede fuerant transmissa ab antiquis Patribus de Sanctarum scripturarum voluminibus collecta. Subscripsit cum septem Illustribus viris idem Præfectus Petrus Marcellinus Felix Liberius. Quantum verò falsi sint, quotquot ex Historicis & Theologis, quos Scholasticos dicimus, Concilium Arausicanum II. retulerunt, vel ad SS. Leonis & Prosperi tempora, vel ad annum 463. sub Hilaro Papa, profectò intelligent, qui Notas Sirmondi ad Concilia Galliæ non oscitanter legerint. Eodem quoque Consule, Præside, ac Præfecto collectum fuit die 5. Nouembris Concilium Vasense seu*

Vasionense II. cuius extant Canones quinque cum subscriptionibus.

Anno Christi DXXX. *Clotarij eiusque fratrum* 19. Illyricianæ vtriusque militiæ ductor Mundo Getas Illyricum, & Bulgares Thraciam vastantes cecidit, fugauítque. Perozes Persa ad Daras victus est à Belisario, & à Sittâ Mermeroes. Narses cum fratre & matre ad Romanos deficit. S. Sabbas ad Imp. venit CP. multáque pro orthodoxis obtinuit. Samaritanis tumultuantibus occurrit Irenæus Pentadras, eósque compescuit. Plura dabunt Chron. Alex. Theoph. Procopius, &c. Hildericus Vandalorum Rex aduersus Mauros infeliciter pugnat & propter desidiam à suis contemnitur. S. Felix III. aliis IV. dictus Rom. Pont. obiit die 12 Octobris, cùm sedisset an. 4. mensibus 2. & diebus 18. Post tres dies creatus est Bonifacius II. in contentione cum Dioscoro, de qua vide Anastasium Bibliothecarium in Vitis Pontificum, sedítque annis duobus totidémque diebus: *qui scripta ad S. Cæsarium epistolâ die 25. Ianuarij, non Lampadio & Oreste Coss.* (alioquin ista omnia sibi pugnant seséque collidunt) *sed anni sequentis initio, Post Consulatum Lampadij & Orestis, decreta Arausicanæ Synodi II. confirmauit: aut dies 8. Kal. Ianuariarum loco Februariarum reponendus erit. Eam edidit ex codice S. Petri Fossatensis Sirmondus pag. 223. Iniuriosus ciuis Turonicus de inferioribus quidem populi, ingenuus tamen, successor fuit Francilionis, tenuítque ab huius anni initio cathedram Turonensem annis ferme 17. Thoringi à Francorum Regibus Theoderico & Clotario ingenti strage affecti sunt, eorúmque Rex Hermenifredus paullò post à Theoderico euocatus ad Tulpiacum de crepidine muri deiectus in præceps occiditur. Clotarius Radegundem Bertarij Regis filiam nondum tamen nubilem secum abducit. Hermenifredi coniux cum liberis ad Theodatum fratrem suum Ostrogothorum principem, qui post Athalaricum deinde in Italia regnauit, fugam arripuit. Plura repetesis ex Procopio lib. 1. de bello Gothico, Greg. Tur. l. 3. cap. 7. & 8 Fortunato lib. 1. vitæ S. Radegundis, & alibi, Fred. Aim. &c. Childebertus, dum in Thoringica expeditione Theodoricus frater versaretur, falsúsque de eius obitu rumor fuisset allatus, Aruernam Lemanem proditione Arcadij Aruerni Senatoris inuadit. Idem Greg. cap. 9. Aimoinus Aruernicæ expeditioni Thoringicam vitiosè subiecit: Fredegarius verò in Miscellâ non bene Theoderici profectionem ad debellandos Thoringos præmisit neci Clodomiri. Chrotildis Clodouei filia cùm ab Amalarico coniuge Arianæ sectæ addictissimo ignominiosè haberetur, & aliquando ab eo grauiùs cæsa, infectum cruore suo sudarium ad fratrem Childebertum transmisis-*

set, ille rei indignitate submotus Hispanias cum exercitu petere constituit. Aimoinus mox citatus refert literas illas Childeberto fuisse redditas, cùm vrbem Aruernam Theoderico fratri ereptam obtineret. Procopius verò illam Amalarici coniugem Theodeberti sororem vocat & cum patruo nepotem confundit. Hoc tempore S. Eusicius Cellæ, vt supra iam monuimus, in pago Biturico ad Charum fluuium Deo soli vacans Childeberto Regi victoriam de Gothis vaticinatus est, teste Gregorio Turonensi. Eodem quoque tempore superstes adhuc in viuis erat S. Auentinus qui B. Fidolum data pecunia à militibus redemit; emendatione quippe indiget MS. eius sancti vita, cuius fragmentum edidit Tom. I. Collectionis suæ Andreas Duchesnius pag. 552. Contigit quorundam insolentia Aruernos atque Bituricos odium Regis Theodorici qui tunc cum fratre (lege filio) Theodeberto, simúlque auia Brunichilde (hæc omnino falsa & expungenda) regnum Francorum strenuè gubernabat. Quid enim cum Cameliano & Auentino, hoc famulo, illo S. Lupi Tricassini Præsulis successore Theodoricus Burgundiæ Rex, vt cætera omittam. Sed de his satis.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DXXXI. Post Consulatum Lampadij & Orestis, *Clotarij & fratrum eius 20. Childebertus vbi Theoderici fratris de Thoringis victoriam audiuit, eúmque sanum redire ex tam longinqua difficilique expeditione accepit relictis Aruernis cum exercitu copioso in Gothiam Hispaniámque aduersus Amalaricum profectus est Vvesigothorum Regem, qui prælio superatus à Francis cùm ad Christianorum Ecclesiam Narbone confugium pararet, medio in foro iugulatus est à suis, vel vt alij tradunt, Barcinone à quodam Franco interemptus est. Greg. Tur. lib. 3. cap. 10. vrbem non designat à cuius portâ exclusus priusquam limina sancta Ecclesiæ Christianorum contingeret, ab vno quopiam emissa manu lancea sauciatus mortali ictu spiritum reddidit. Childebertus cum magnis thesauris ingentique præda reuertitur, abducta secum sorore sua, quæ in via inopinato casu mortua & Parisios allata iuxta patrem suum sepulta est. Successit Amalarico Theodis siue Theudas, cui sanctus Isidorus assignat annos 16. cum quinque mensibus. Theodericus Austrasiorum Rex è Thoringia quam tributo subiecit, victor reuersus, cum fratribus Clotario & Childeberto in Burgundiam ire despexit, cum exercitu suo pollicitationibus opimæ prædæ illecto in Aruernos venit, totámque eorum regionem vastauit, protriúitque. Arcadius Sidonij Apollinaris ex filio nepos sceleris illius auctor prà ignauia Biturigas vrbem petiit, quæ tunc temporis erat in regno Childeberti Regis incertum an à morte Clodouei Regis, an ab ipsa dumtaxat*

post Clodomiri mortem facta inter fratres diuisione: quod postremum verosimilius apparet. Placidina verò mater eius & Alcima soror patris eius comprehensæ rebus ablatis apud Cadurcum vrbem exilio condemnatæ sunt. Gregorius addit. I. Quintianum tum fuisse Aruernorum Episcopum. II. Sacrilegos qui res ad Basilicam S. Iuliani pertinentes diripuerant à dæmonibus correptos. III. Proculum Presbyterum ad altare Ecclesiæ in Louolautro castro occisum. IV. Obsessos in Meroliacensi castro ne captiui abducerentur data redemptione liberatos. V. Theodoricum relicto Sigiualdo cognato suo ex Aruerno discessisse, &c. Vide lib. 3. capp. 12. 13. 16. & alibi passim, cùm de S. Portiano Abbate aliisque. Idem verò recitat Clotarium Childebertúmque Theodorici fratres in Burgundiam direxisse Augustodunúmque obsidentes cunctam fugato Godemaro Burgundiam occupasse. Codex Iustinianus orbi promulgatus est, inquit Marcellinus in Chronico. De Hilderico Vandalorum Rege à Gilimere regno priuato postquam annis septem præfuisset, consule Victorem, Procopium, Isidorum, &c. S. Sabbas die 5. Decembris obiit annos natus 92. Azarethes Persarum Dux Belisarium militum suorum insolentia ad ineundum certamen coactum vincit, sed non incruenta victoria. Belisarius reuocatur, substituto in eius locum Sittâ. Romæ duplex hoc vel potius sequenti anno Synodus. In priore Bonifacius Papa successorem sibi Vigilium designauit: in posteriore Chirographum illud rescidit. De Toletano II. Concilio iam supra dictum à nobis.

Anno Christi DXXXII. *Clotarij & fratrum eius* 21. Iterum post Consulatum Lampadij & Orestis, Hypatius, Pompeius & Probus Anastasij Imp. nepotes Idibus Ianuariis seditionem mouent, per quinque dies continuos Vrbem regiam rapinis ferro & igne depopulantur. Quinto die Hypatius & Pompeius ante fores palatij capti & necati sunt, innumeris passim in Circo populis trucidatis, & tyrannorum sociis continuò proscriptis. Ecclesia tunc incensa mox cœpit à Iustiniano renouari. Hæc Marcellinus de illa seditione, cuius tessera fuit Νίκα. Plura dabunt Procopius, Chron. Alex. Theophanes, qui à Marcellino dissident quod Ianuarij 18. Dominico die Hypatium velint à populo Imp. acclamatum, & postridie iussu Iustiniani interfectum. Paucis eadem perstrinxit Marius, docétque pæne 30. hominum millia in Circo fuisse necata. In eadem vrbe eiusdem Iustiniani voluntate Collatio habita est

inter Catholicos & Seuerianos, cuius Acta edidit Baronius in Annalibus ad hunc annum à numero 31. in editione Colonienſi. Origeniſtæ Monachi dira in Palæſtina viciníſque locis moliuntur. Choſroës in Perſarum regnum Cabade mortuo ſuccedit, qui Martyropolim necquicquam obſederat. Dionyſij Exigui Cyclus annorum 95. ab hoc anno incipit, vt ipſe declarat epiſtola ad Petronium, cuius hæc verba plurimum obſeruanda libens adſcribo: S. Cyrillus Alexandrinæ vrbis Archiepiſcopus Cyclum ſuum 95. annorum ab anno Diocletiani 154. cœpit, & vltimum in 257. terminauit. Nos à 248. (qui præſens eſt annus) eiuſdem tyranni potiùs, quàm Principis, inchoantes, noluimus circulis noſtris memoriam impij & perſecutoris innectere: Sed magis elegimus ab Incarnatione D. N. IESV CHRISTI annorum tempora prænotare: quatenus exordium ſpei noſtræ notius nobis exiſteret, & cauſa reparationis humanæ: item Paſſio Saluatoris noſtri euidentiùs eluceret, &c. Bonifacius II. Papa die 17. Octobris receſſit è vita, poſt ſedem duorum annorum totidémque dierum. Succeſſit Ioannes II. cognomento Mercurius, poſtquam ſedes vacaſſet dies ſex, eodem menſe creatus.

Anno Chriſti D XXXIII. *Clotarij & fratrum eius* 22. Pax tandem cum Perſis, quos Medos & Parthos vocat Marcellinus Comes, per Rufinum patricium pérque Hermogenem Magiſtrum officiorum à Iuſtiniano legatos depacta eſt, & munera vtrimque miſſa ad firmandam percuſſi fœderis ſponſionem. Ingens terræ motus CP. accidit die 12. Nouembris, inchoata iam Indictione 12. quo durante populus in Foro Conſtantini pernoctauit, & mane facto impias voces in Synodum Chalcedonenſem iactauit, vt docet auctor Chronici Alex. in quo etiam leges decretum C P. eiuſdem menſis die 20. ſcriptum, & à Iuſtiniano miſſum Romam, Hieroſolymam, Antiochiam, Alexandriam, Theſſalonicam & Epheſum. Idem Iuſtinianus Imp. Digeſtum ſiue Pandectarum libros 50. promulgauit die 30. Decembris. *Labente anno Childeberti fratrúmque eius à morte Clodouei patris 22. necdum inchoato 23. ex præceptione glorioſiſſimorum Regum, vt habet præfatio, celebratum eſt die 23. Iunij Aurelianenſe II. Concilium, cui præfuit Honoratus Bituricenſis Metropolitanus. Extant eius Canones 21. cum ſubſcriptionibus. Vveſgothi multa peruaſerant ex iis quæ Clodoueus acquiſierat, ideóque Theodoricus*

Theodebertum filium, cui Vvisigardem Vaconis Longobardorum Regis filiam desponsauerat, Clotarius verò Guntharium seniorem filium suum ad hæc requirenda transmittunt. Guntharius vsque ad Ruthenos accedens regressus est re infecta: Theodebertus autem vsque ad Biterrensem ciuitatem abiens Deas castrum obtinuit, & in Capraria Deuteriam reperit, quam suo copulauit strato. Sigiualdus iussu Theodorici occiditur, cuius filius Giualdus fugit Arelatem primùm, tum in Latium secessit. Theodoricus non post multos dies obiit sub finem huius anni, vel sequentis initium 23. regni sui Metensis anno. Cúmque Childebertus & Clotarius patrui regnum Theodeberto auferre voluissent, ille à Leudibus suis muneribus placatis in regno stabilitus, Deuteriam, quam in Aruerna ciuitate reliquerat, accersiuit. Regnum cum iustitia rexit, Sacerdotes veneratus est, Ecclesias muneratus est, pauperes eleuauit, ac magnum se, & in omni bonitate præcipuum reddidit. Inchoata iam Indictione 12. qua labente Cassiodorus ab Athalarico Præfectus Prætorio creatus est, vt docet epistola 24. libri 9 & Iustiniano septimum iam in imperio agente annum, Belisarius in Africam venit cum classe quingentarum nauium & dromonum 90. ac fugato captóque Gilimere, mensibus Octobri, Nouembri, atque Decembri eam subiugauit, vt pluribus disces ex Procopio qui missus à Belisario in Siciliam permissu Amalasunthæ cibaria emit, Theophane, aliísque. Sícque verum fuit vetus apud Afros iactatum oraculum ὡς τὸ γ, δώξῃ τὸ β, id est Genserico Bonifacium, καὶ πάλιν τὸ β, δώξῃ τὸ γ, id est Belisarius Gilimerem. Victor ait visitatione Læti Episcopi ab Hunerico interfecti Iustinianum copias contra Vandalos misisse.

Anno Christi DXXXIV. *Clotarij & fratris eius* 23. Carthago excidionis suæ anno 96. deuictis Vandalis recepta est, & Gilimere cum vxoribus thesauríque capto & CP. ad Iustinianum misso, quarto eius & Paulini Consulatu, vindicata. Marius 92. dumtaxat annos numerat. Plura Procopius & Victor, qui Hildericum Regem cum quibusdam generis eius affinibus à Tyranno occisum notat in ipso Belisarij in Africam ingressu, antequam congressio fieret. Verùm non satis exactè Africam captam memorat 97. Vandalorum ingressionis anno: quam constat Occidentis imperio subductam in septem Prouincias à victoribus fuisse distributam. De triumphi nomine post annos 300. renouato aliísque ad hanc victoriam spectantibus consule mox laudatum Procopium ocula-

tum teſtem. Iuſtinianæus Codex adiunctis Conſtitutionibus renouatus, antiquato priore, iuſſus eſt auctoritatem obtinere die 29. Maij, ex Chronico Alexandrino. *Theodorico Clodouei Francorum Regis natu maximo filio defuncto, filius eius Theodebertus regnum Auſtraſiorum ſuſcepit, tenuítque annis 14. Vide Caſſiodorum ep. 1. lib. 2. Greg. Fredeg. &c. nam Aimoinus cum Chron. Moiſſiacenſi & Geſtis Francorum Theodeberto perperam aſſignant annos 23. aut 24. Contumelioſus Reiensis Epiſcopus ob admiſſi criminis notam ab Epiſcopatu deiectus ad Sedem Apoſtolicam appellauit. Extant ſuper eâ re tres Ioannis II. Papæ epiſtolæ & vna ſucceſſoris eius Agapiti.* Athalaricus Rex Oſtrogothorum Theoderici Amali ſucceſſor & nepos anno ætatis 18. moritur. Theodahadus Amalafrida Theodorici ſorore genitus, ſuccedit operâ Amalaſunthæ Reginæ Theodorici & Audefledis Clodouei ſororis filiæ, quam creatricem ſuam de regno pulſam in inſula laci Bulſenenſis occidit: cuius mortem Imperator Iuſtinianus, vt doluit, ſic vltus eſt, inquit Marcellinus Comes, qui Orientale dumtaxat ſequutus imperium, vt in Præfatione monuit, Chronicon ſuum à Conſulatu Auſonij & Olybrij ad hunc vſque 4. Iuſtiniani cum Paulino iuniore Conſulatum pertexuit per annos 156. neque plura iis edidit Antonius Sconhonius qui primus vulgauit. Cætera ab Onuphrio in lucem emiſſa Appendicis nomine citabuntur à nobis, quamquam in pleriſque turbatæ ſint, ſaltem ſub finem, vbi de Regibus Francorum agit, annorum periochæ. *Cæterum Amalaſunthæ parum æquus fuiſſe videtur Gregorius Turonenſis, qui cap. 31. lib. 3. narrata eius in ſuccenſo vehementer balneo morte, ſubdit Childebertum & Clotarium conſobrinos eius necnon & Theodebertum ad Theodatum direxiſſe legationem exprobrantes de morte eius. Illum quinquaginta eis millia aureorum tranſmiſiſſe, quæ Childebertus, vt erat ſemper contra Clotarium fratrem inuidus, atque verſutus, cum Theodeberto nepote ſuo diuiſerit, excluſo Clotario, qui ſuper theſauros Clodomeris aggreſſus, multum illis ampliùs, quàm hi fraudauerant, abſtulit. Iidem verò tres Francorum Reges, ſi quæ Mario Auenticenſi fides, ſub huius anni Conſule Paullino iuniore Ind. XII. Burgundiam obtinuerunt, & fugato Godomaro Rege regnum eius diuiſerunt. Deuteria filiam ſuam iam adultam ex ponte Virdunenſis vrbis præcipitauit in fluuium Moſam, vbi ſpiritum reddidit. Hac tandem relicta conſilio Francorum Vviſigardem ſponſam ſuam duxit Theodebertus, eáque poſt breue tempus defuncta aliam accepit.*

Anno Christi DXXXV. *Clotarij & fratris eius* 24. Beliſarius huius anni Conſul ad expeditionem Italicam à Iuſtiniano Imp. electus, paratâ claſſe in Siciliam nauigat, captíſque ſine mora Syracuſis & Catanâ omnem peruadit; tum audita militum in Africa rebellione, eò cum paucis tendit, Salomoni qui præerat ſubuenit, exercitum partim blandiendo, partim vlciſcendo ad officium reuocat, fugatóque tyranno remenſus mare in Siciliam rediit. Ioannes II. dictus Mercurius, Romanus Pontifex obiit, ſepultúſque eſt die 26. Iunij; ſunt qui Februarium menſem aut diem 27. Maij præſcribant, cùm ſediſſet annis 2. & menſibus 8. Poſt ſex dies ineunte Iulio ſuffectus eſt Agapitus ad decem menſes: quem Theodatus Oſtrogothorum Rex in legationem ad Iuſtinianum C P. direxit. Antequam autem eò peruenirent Regiæ illius vrbis Epiſcopus Epiphanius obiit, cuius epiſcopatum contra canones Anthimus relicta Trapezuntina Eccleſia inuaſit, inquit Appendix Marcellini. Victor quoque, ſed non ſuo loco, Anthemium Ep. Trapezuntenſem Eutychianum, factione Theodoræ Auguſtæ, C P. Eccleſiam peruaſiſſe aſſerit. Ex eodem quoque diſces Reparatum Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopatum poſt Bonifacium, & Ioanne mortuo Petrum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præſulatum ſuſcepiſſe. Dein Timotheo Alexandrino Patriarcha, qui Dioſcoro minori ſucceſſerat, mortuo, duos ordinatos vno die Epiſcopos Synodi Chalcedonenſis hoſtes, Theodoſium, à quo dicti Theodoſiani, qui Seuerum, & Gaianum, à quo Gaianitæ qui Iulianum ſequebantur: Theodoſianos rurſum in Agnoitas & Tritheitas fuiſſe diuiſos. *Hoc circiter anno exarſiſſe arbitror bellum illud ciuile inter Francorum Reges Childebertum, cui adhæſerat Theodebertus nepos, & Clotarium, quod precibus Beatæ Chrotildis tandem ſopitum eſt. Vide Greg. lib. 3. cap. 28. Aimoinus ait tum Clotarium conſtitiſſe in loco quodam Aureliani pagi qui Combros dicebatur. At Geſta Francorum cap. 25. docent Clotarium, cùm reſiſtere non poſſet in ſiluam fugiſſe in Auriliano, alij codices habent Arelauno, feciſſe combros, id eſt concides, totam ſpem ſuam in Dei pietate confidentem, &c. Ad eos iam reconciliatos Iuſtinianus Imperator legatos de ſocietate belli aduerſus Oſtrogothos miſit: quam vt auerteret Theodadus eam Galliæ partem, quam Oſtrogothi poſt Alarici mortem tenuerant, hoc eſt Arelatem & aliquot Prouinciæ vrbes Rhodanum inter Alpéſque poſitas ipſis ceſſit: quod Vitiges Rex Theodadi ſucceſſor ratum*

poſtea

postea habuit, deductis inde suorum præsidiis. Clotarius ex voto, vt par est credere, hoc anno regni sui 24. Rotomagi construxit Ecclesiam in honorem sancti Petri, quæ modò à S. Audoëno ibidem tumulato nomen habet. Vide Tomo I. Duchesnianæ Collectionis pag. 638. vel apud Surium in vita sancti Audoëni. Concilium Aruernense I. celebratum est Theodeberti Regis consensu die 8. Nouembris post Consulatum Paullini iunioris V. C. licet enim Consulem habuerit Oriens Belisarium, in Occidente tamen, quia nullus est renunciatus, sic annum designare solebant. Præfuit Honoratus Bituricensis Archiepiscopus. Extant eius canones 16. cum Synodica ad eundem Theodebertum Regem.

Anno Christi DXXXVI. *Clotarij & fratris eius* 25. Agapetus Papa deposito C P. Anthimo, cuius patronam Theodoram communione priuauit, eiectísque latitantibus hæreticis, ac Mennâ Orthodoxo Episc. substituto, qui ad annos 16. cum dimidio sedem illam obtinuit, vel in ipsa Regia vrbe, vel cùm rediret in Italiam, obiit 10. 17. aut 22. Aprilis, si quæ Anastasio fides. Siluerius Hormisdæ quondam Papæ filius Theodadi opera & assensu creatus est Pontifex die circiter 20. Iunij mensis. Ebremud Theodati gener relicto exercitu Regio in Bruttiis in Siciliam conuolauit ad Belisarium, qui in Campaniam transiens Neapolim vastauit. Gothorum exercitus Theodadum Regem suspectum habens Vitigem in regnum adsciuit, qui Romam ingressus post Siluerij Papæ creationem, misit Rauennam aliquos è suis, qui Theodatum occiderunt in loco qui dicitur Quintus iuxta fluuium Santernum. Ipse verò subsecutus per Tusciam direptis opibus, quas Theodatus in Insula atque Vrbe veteri congregauerat, Rauennam venit, & Matheſuentham Theodorici Regis neptem sibi sociam in regno plus vi quàm amore copulauit. *Deinde inita cum Francis amicitia, non solùm promissas à Theodato Prouinciæ ciuitates Massiliam, Antipolim, similésque concessit, sed etiam Alamannos illos remisit, qui post Tulpiacensem Clodouei Magni victoriam ad Theodericum Regem in Italiam confugerant.* Germanus Salomoni successor datus dissidentem placauit exercitum, rémque feliciter in Africa administrauit. Alamundarus cum 15. Saracenorum millibus, deficientibus ob nimiam siccitatem pascuis, è Perside limites Euphratesiæ ingressus à Batzâ duce partim blanditiis partim distractione pacifica repressus est. Ex Victore quoque addi potest Iustinianum libros de Incarnatione Dominicâ scripsisse, &

Illyricianos Episcopos ad subscribendum coëgisse. Verùm id ad sequentes, vt reor, differendum est annos. Belisarius Campaniæ Latióque vrbes sibi subiicit, Romamque ingressus die 10. Demembris muros eius instaurat, & ad tolerandam obsidionem omni ratione communit. Plura Procopius in libris de bello Gothico, quod per singulos annos copiosè exequitur, nos pauca strictim ex eo pro more nostro delibabimus. cùm priùs lectores monuerimus pag. 188. versu 33. Augustanæ editionis & cap. 19. lib. 4. Euagrij legendum esse non ἐνδίκατον sed δικατὸν ἔτος Ἰουστινιανοῦ βασιλέως τὸν αὐτοκράτορα ἀρχὴν ἔχοντος.

Anno Christi DXXXVII. *Clotarij & Childeberti* 26. Ioannes quidam Cottistis dictus in Oriente arripiens tyrannidem apud Daras extinctus est. In Africa Germanus rebelles milites cum Stotza tyranno inter Maurorum deserta bellando effugat. Ecclesia maior Constantinopoli ab Imperatore Iustiniano singulariter in mundo constructa dedicatur die 27. Decembris, vel potius 17 ex Theophane qui prima Encænia vocat. Idem Kal. Septembris præcepit, vt in cunctis monumentis publicis nomen Imperatoris, Consulum & Indictionis apponeretur. Vitiges tyrannus exercitu aggregato Romam obsidet: cui tunc fauentem Papam Siluerium (ita Auctor Appendicis ad Marcellinum, nam alij facinus illud Theodoræ Augustæ impulsu perpetratum volunt) Belisarius ab Episcopatu submouit, & loco eius Vigilium Diaconum ordinauit. Depositum tradunt die 26. Maij, posteradie electum Vigilium, sed 14. dumtaxat Iunij die Dominica consecratum. De Vigilio multa Liberatus cap. 22. quæ à veritate creduntur prorsus aliena. Belisarius diu Romæ obsessus inedia vigiliisque laborans auxilium ab Imperatore petiit. Cui directi sunt Martinus & Valerianus Magistri militiæ, nec sic tamen Vitiges obsidionem reliquit, quæ cùm durasset integrum annum & menses insuper nouem, circa ἑσπὰς ἑαεινὰς soluta est anno proximè sequenti, non 539. vt legitur in Annalibus Ecclesiasticis Card. Baronij. *Honorato Biturigum Metropolita mortuo successit Arcadius, reipsa quidem 21. sed ne ab aliis nostratibus Historicis, qui duos Honoratos commenti sunt, discedere cogar 22. non ad annos 29. vt ex MSS. Catalogus Diptychísque mendosissimis Claudius Robertus, sed ad summum quinque ab hocce anno ad 541. aut sequentem. S. Vedastum Atrebatensem Episcopum die 6. Februarij hoc anno mortuum do-*

cent Bucherius & Miræus. Differt tamen Henſchenius in annum vſque 540. ciúſque corpus anno poſt obitum 128. Chriſti 667. Kalendis Octobris tranſlatum fuiſſe aſſerit à SS. Epiſcopis Autberto Cameracenſi & Audomaro Teruanenſi tunc cæco. Plura de his Februarius ſuggeret à Bollando eodémque Henſchenio ærumnabili labore ſtudióque diligentiſſimo exaſciatus & iampridem à multis exoptatus.

Anno Chriſti DXXXVIII. *Clotarij & Childeberti* 27. Mediolanenſis ciuitas quæ ad Romanos defecerat, Oraiâ Duce Vitigis tyranni nepote à Gothis & Burgundionibus effracta eſt, ibíque Senatores & Sacerdotes cum reliquis populis etiam in ſacroſanctis locis interfecti ſunt, ita vt ſanguine eorum ipſa altaria cruentata ſint, inquit Marius. Procopius ait vrbem ſolo æquatam, ad 300. hominum millia trucidata, & fœminas Burgundionibus datas. Multa quoque de fame ingenti narrat, quæ præcipuè Piceno incubuit. Vitiges aduentu Ioannis Magiſtri militum, aliorúmque Ducum, qui ad Portum Romanum caſtra locauerant, laboranti Romæ ſubuenturi, trium menſium cum Beliſario pacta confirmat, ſuóſque legatos ad Imperatorem tranſmittit. In quâ pace Beliſarius in Campaniam rediit annonæ copiam Romæ illaturus, reuerſúſque de Campania contrarium ſibi de medio abſtulit Conſtantinum Patricium. Ioannes verò, quæ in Portu poſuerat, caſtra deſerens, Samnitum regionem ingreſſus eſt, Aternóque oppido expugnato Tremonem Gothorum Ducem cum ſuis proſternit: Orthonam quoque inuadit, Picenum depræda-tur, & Ariminum occupat. Quo audito Vitiges ab obſidione Vrbis, in quâ adhuc poſt turbatam pacem conſiſtebat, per Clodiæ aggerem & annonariam Tuſciam, tranſit Apenninum, & in Rubiconis fluminis ripâ caſtra metatus Ariminum obſidet. Vnde proturbatus à Narſete de C P. & à Beliſario de Roma venientibus, fugit Rauennam. Cúmque Narſes Arimini ſubſtitiſſet, Beliſarius Romam accedens ad hiemandum, deditione Vrbinum, Vrbem veterem, & inſulam laci Bulſinenſis ſuſcepit. *Die Nonarum Tertij menſis, hoc eſt 7. Maij, Indictione prima currente anno 27. Childeberti Francorum Regis, anno quarto poſt Conſulatum Paullini iunioris celebratum eſt Concilium Aurelianenſe III. præſide Lupo Lugdunenſi Epiſcopo, cui inter alios plures ſubſcripſit Arcadius Bituricenſis Præſul. Extant eius Canones* 33. *Apud Sirmondum ibidem leges Epiſcoporum Galliæ duas epiſtolas: prima eſt*

Leonis Senonenſis ad Childebertum Francorum Regem, quâ deprecatur, ne Meleduni in diœceſis ſuæ parochia, vbi numquam fuit, nouus fiat Epiſcopatus: altera Troiani Santonenſis ad Eumerium Epiſcopum Nannetenſem de puero, qui, an baptizatus eſſet, neſciebat. Vigilius Papa eodem anno die 6. Martij ſcripſit ad S. Cæſarium Arelatenſem Ep.

Anno Chriſti DXXXIX. *Clotarij & Childeberti fratrum* 28. Narſete CP. reuerſo Beliſarius obſedit Auximum & Feſulam. Germanus de Africa à Iuſtiniano reuocatur, Salomone rurſus in eandem miſſo. Calluc Magiſter militum cum Gepidis primùm feliciter dimicans, ſecundò infeliciter ruit. *Theodebertus Francorum Rex Italiæ fines ingreſſus, Liguriam, totámque deuaſtauit Æmiliam: Genuenſe oppidum in littore Tyrrheni maris ſitum euertit: dein exercitu ſuo locorum infirmitate grauato in Gallias reuerti coactus fuit. Hæc Marius, Appendix Marcellini, Gregor. Tur. lib. 3. cap. 32. vbi multa de Buccellino Regis illius duce ſubiicit, Procopius quoque Cæſarienſis, qui Theodeberti cum centum millibus armatorum in Italiam irruptionem ad extremum Vitigidis annum refert, cùm is Rauennæ à Beliſario arcta obſidione premeretur. Aimoinus verò libri II. cap. 21. docet Childeberto & Clotario Hiſpaniæ partes aggredientibus Theodebertum eorum nepotem in Italiam cum maximo ſuorum equitatu contendiſſe, eámque ab Alpibus vſque ad maritimorum confinia locorum peruagatum tributariam effeciſſe. Childebertus itaque cum Clotario fratre Hiſpaniam hoc anno ingreſſus fuiſſe videtur, & à Cæſaraugustæ obſidione, quam acriter vrgebat, acceptâ S. Vincentij Stolâ victor cum magnis ſpoliis Pariſios reuerſus, vbi nobiliſſimum Templum in honorem eiuſdem ſancti Martyris ad muros Regiæ ciuitatis exſtruxit, quod modò à S. Germano Pariſienſi Antiſtite nomen habet. Conſule eundem Greg. cap. 29. cæteróſque noſtratis Hiſtoriæ principes.*

Anno Chriſti DXL. *Clotarij & Childeberti* 29. S. Siluerius Romanus Pontifex multis vexationibus exagitatus obiit die 20. Iunij, vel in Palmaria inſula ex Liberato, vel in Pontia ex Anaſtaſio. Vigilius eius ſucceſſor accepta ab Imp. Iuſtiniano & Mennâ Ep. CP. profeſſione Fidei ad eos reſcripſit, & acta Agapiti confirmauit. Perſæ Antiochiam vniuerſámque Syriam depopulati ſunt, contra quos Germanus arma arripiens Iuſtinum filium eundémque huius anni Conſulem in ipſis faſcibus ſecum duxit. Salomon in Africâ feliciter dimicans rebelles proturbauit. Paulo Antiocheno Ep. ſuperſtite ſubrogatum fuiſſe Euphraſium tradit Victor, addítque Theodo-

sium & Gaianum Alexandrinos pseudoepiscopos damnatos exilio, & Theodosium quidem C P. Sugas (lege Sycas vel Sucas) relegatum totum pæne palatium & maximam Regiæ vrbis partem sua perfidia maculasse, & monasteriis oratoriisque constructis vixisse vsque ad primum Iustini iunioris consulatum. Belisarius Rauennam tandem admissus Regem Vitigem, Reginam, cunctásque opes, Gothósque nobiliores secum abduxisse Constantinopolim & Imperatori præsentasse dicitur, euocante se Marcello Comite. Gothi verò trans Padum residentes Oraiâ & Heldebado ductantibus, Regem sibi statuerunt Heldebadum, contra quem debellaturus Bessa Patricius Placentiam à Rauenna conscendit, Constantino Rauennam de Dalmatiis, vt præesset exercitui, ab Imperatore directo. *De Agyrico & Desiderato Virdunensibus Episcopis circa hac tempora vide Greg. Turon. lib. 3. capp. 34. & 35. & de Patroclo Bituricensi, qui ab Arcadio Archiep. adscitus in numerum Clericorum, postea secessit in eremum cap. 10. libri quinti, & caput 25. de Vita Patrum.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DXLI. ab Vrbe condita MCCXCIV. *Clotarij & Childeberti fratrum* 30. Basilius V. C. vltimus ex priuatis hominibus Consulatum gessit, sub quo editæ reperiuntur nouellæ 109. 137. & 146. ad Areobindum Præfectum prætorio, quam Baronius malè retulit ad annum 552. Germano aduersus Persas subrogatur Belisarius. Gothi Heldebado à Vilâ Gepidâ exeunte 6. anno Belli Gothici occiso, Eraricum sibi ordinant Regem. Salomon in Africa interficitur: Successit Sergius loco eius Dux belli moderatórque prouinciæ. Apud Victorem leges Paulum creatum fuisse Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum, cuius successor fuit Zoilus, & Strozam in Africæ desertis regnum cum tyrannide adsumpsisse. Verùm hoc vltimum ad superiorem aliquem annum pertinet: ad hunc verò quod postea recitat, Strozam Salomoni Magistro militiæ ac Patricio Africæ occurrisse, & congressione facta superasse. Gothi Erarico quoque Rege suo interfecto Baduilam, cognomento Totilam, Heldebadi nepotem seu consobrinum in regnum mancipant, qui Pado transito ad Fauentiam Æmiliæ vrbem Romanum superat exercitum, Cæsenam, Vrbicum, Montem Feretri, & Petrampertusam occupat, & huc illúcque discurrens Italiam deuastare in-

cipit. *Kalendis Augusti feliciter migrauit ad Christum sanctus Arcadius Bituricensis Archiepiscopus, sepultúsque est in basilica S. Symphoriani, quæ modò à S. Vrsino nomen habet. Is morti proximus misit ad Concilium Aurelianense IV. Probianum Presbyterum. (Arcadium recensere cum aliis omisit Miræus, quòd nesciret cuius ciuitatis esset Episcopus.) Ei suffectus fuit S. Desideratus Biturigum Pontifex 23. vsque ad 8. Maij diem ann. 550. per annos præterpropter nouem. Hoc itaque anno & Consule, Indictione IV. currente, hoc est ante mensem Septembrem, celebratum fuit Aurelianense IV. Concilium præside Leontio Burdegalensi Archiepiscopo, cuius extant Canones 38. cum subscriptionibus.*

Anno Christi DXLII. *Clotarij & Childeberti fratrum* 31. Totila Ostrogothorum Rex in Tusciâ annonaria ad Mucellos per duces suos Romanum superat exercitum, ex quo prœlio Bessa patricius vulneratus euasit. Ipse verò vastatâ Campania, vrbésque muratas euertens per suos Tiburim obsedit. In ea verò per Campaniam excursione contigisse arbitror, quæ de Totila eiúsque Spathario habet S. Greg. Papa lib. 2. Dialogorum. *De morte sancti Benedicti die 21. Martij feria 7. Maioris Hebdomadæ prīdie Paschæ, & primo in Gallias aduentu S. Mauri crucem omnibus Chronologis fixit hactenus Faustus Abbas in vita eiusdem S. Mauri primi Glannofolienſis ad Ligerim in Andegauensi prouinciâ Abbatis. Hanc ego litem in Compendij nostri angustius componere non suscipio à doctis tantopere vexatam, quorum alij ad annum 539. alij ad hunc ce annum, alij ad sequentem, alij denique ad posteriora quoque tempora referendam putant sanctissimi illius Patriarchæ mortem. Vide Sigonium, Baronium, Petauium, Bucherium, Bollandum, alios.* Theophanes aliíque ex eo scriptores die 2. Febr. hoc anno primùm asserunt celebrari cœptum Festum Purificatæ Virginis, quod Græcis Υπαπάντη Occursus dicitur. *Hoc quoque anno, si quæ fides Appendici Victoris Tunnonensis, Francorum Reges V. (lege II.) per Pampalonam Hispanias ingressi Cæsaraugustam venerunt, omnémque Tarraconensem prouinciam depopulatione triuerunt.* Ipse verò Victor multa de Vigilio Papa eiúsque epistola ad Theodosium Alexand. Anthimum CP. & Seuerum Antiochenum, quæ ad annum 537. pertinere videntur.

Anno Christi DXLIII. *Clotarij & Childeberti* 32. Mortalitas magna Italiam vastauit, Oriente iam & Illyrico peræque attritis. Procopius in Ægypto ortam esse dicit, tantáque strage in miseros homines inualuisse, vt in ipsa Regia CP. vrbe

ad decem hominum millia singulis diebus morerentur. In Oriente Persis adhuc conflictum cum Romanis eorúmque duce Belisario tenentibus, Sergius in Africâ à rebellionibus cum Stotzâ & Mauris inquietatus est. Totila obsidet Firmum & Asculum, inuasámque Neapolim desolat & Tibur. Procopium adi pluribus ista pertractantem, nobis sufficiat indicasse Lectoribus. Indictione VII. iam inchoata ingens terræ motus contigit die 6. Septembris feria prima, quo Cyzicus concidit. *Vigilius Papa die 18. Octobris scripsit ad Auxanium Arelatensem Episcopum S. Cæsarij successorem, quem die 27. Augusti obiisse constat, anno vt volunt 541. S. Chrotildis Regina plena dierum bonísque operibus prædita apud vrbem Turonicam obiit tempore Iniurioſi Episcopi, quæ Parisios deportata cum magnis psallentium choris sepulta est in sacrario basilicæ S. Petri ad latus Clodouei Regis à filiis suis Childeberto atque Clotario Regibus. Nam basilicam illam ipsa construxerat, in qua & Genouefa beatissima est sepulta, inquit Greg. Tur. lib. 4. cap. 1. Sigebertus in Chronico toto decennio tardiùs mortem illam distulit in annum vsque 554. longè post Iniurioſi tempora, quem Greg. cap. sequenti, & post eum Aimoinus, aliique referunt viriliter restitisse Clotario Regi iubenti, vt omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum fisco dissoluerent. Multi in hunc annum differunt Childeberti & Clotarij expeditionem Hispanicam quam nos anno 539. consignauimus.*

Anno Christi DXLIV. *Clotarij & Childeberti* 33. Totilas Firmum & Asculum sub iuramento ingressus, dimissis militibus crudelitatem suam in ciues exercuit. Idem Romam à longè obsedit, in qua præerat Ioannes Magister militiæ. Altero Ioanne, qui ex Consule ordinario factus fuerat Patricius atque Præfectus prætorio, in exilium acto: domus eius data est Belisario, quem ex Oriente reuersum Imperator in Italiam ad comprimendos Gothos duce Totilâ ferocientes remisit. De cane cuiusdam Andreæ fabri vide Cedrenum. Victor narrat Iustinianum Acephalorum subreptionibus instigatum CP. euocasse Vigilium Papam, vt tria capitula condemnet: sed triennio quàm par est citiùs. *Ioannes Vasæus, aliique Hispaniæ Historici in hunc annum coniiciunt martyrium sancti Lauriani Hispalensis Episcopi apud Vastinum vicum Bituricensis prouinciæ. Sed apud illos auctores, & in sancti illius vita pro Totila Theudas aut Agila, & pro Eusebio Arelatensi substituendus videtur Aurelianensis Episcopus. Verùm ea districtiori aliàs subiicientur examini.*

Anno Christi DXLV. *Clotarij & Childeberti* 34. Belisarius in Italiam reuersus milites conducit, quibus Totilæ resistat præsidia Romanorum expugnanti, Pisaurum communit, vt habeat vnde equos alat, Bessam mittit Romam, Ioannem verò qui Vrbi præerat, ad Imperatorem ablegat. Interim Totila vastato Piceno ad Auximum vicit: indéque discurrens per Tusciam Spoletum destruit, Asisium, Clusiúmque occupat, & Perusiam obsidet. In Africa Ioannes irruens super tyrannum Stotzam, interemit eum, & ipse ab eius armigero occiditur, vt habet Marcellino subiecta Appendix. Plura Victor dabit curiosis Lectoribus, quæ omitto. *Vigilius Papa Auxanium Arelatensem Episcopum Sedis Apostolicæ per Gallias Vicarium constituit, vt patet ex multis eius epistolis. Sigebertus in Chronico mortem S. Remigij Remensis Archiepiscopi in hunc annum differt, manifestissimo errore, cùm constet successorem eius Flauium ante decem annos subscripsisse Aruernensi Concilio.*

Anno Christi DXLVI. *Clotarij & Childeberti fratrum* 35. In Oriente cum Persis quinquennale fœdus initur per Constantianum Magistrum militiæ, & exercitus CP. reuertitur. De Africa Sergius euocatur, & Areobindas nepte Imperatoris accepta ibi iudex dirigitur. *Vigilius Papa Aureliano Arelatensi Ep. Auxanij successori delegauit vices suas in Galliis*, idémque ab Imperatore euocatus Roma egreditur, & in Siciliam venit. Totila occupata Lucania & Brutiis Neapolim subuertit, Romam obsidet, eámque dolo Isaurorum ingreditur die 17. Decembris, euersísque muris, ac pluribus ædificiis igne combustis, spoliatos bonis suis Romanos in Campaniam captiuos abduxit. Post deuastationem hanc Roma per 40. & ampliùs dies ita desolata fuisse dicitur, vt nemo ibi hominum nisi bestiæ morarentur. Ferrandus Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus clarus habetur, inquit Victor eiusdem ætatis ac patriæ scriptor; quo duce & auspice euertas licet confictam à quibusdam Ferrandi in Hispania Metropoliticam dignitatem. Eo anno Iustiniani 20. CP. introducta est Abarum Legatio, in qua vrbe dissidium ingens de Paschate extitit, de quo ex Theophane, Nicephoro Patr. CP. Cedreno, Miscellæ auctore apud quem loco euersionis diei S. Paschæ legenda est peruersio τροφῆ, aliísque plura suo loco dicenda sunt. Paucis nos in Chronico Technico. In Hispania duplex celebratum

est

est hoc anno Theudis seu Theodorici 15. Concilium Ilerdense mense Augusto, & Valentinum die 4. Decembris æra 584. quæ vt alibi monuimus malè iungitur cum anno Iustiniani 16. in Chronico S. Isidori hactenus vulgato.

Anno Christi DXLVII. *Clotarij & Childeberti* 36. Neptis Imperatoris de Africa reuertitur vidua, occiso Ariobindâ à Gunthario tyranno, qui cum Stotzâ iuniore tractans eum interemerat. Sed Artabanes vtroque comprehenso Guntharium occidit, Stotzam vinctum transmittit ad Principem, à quo missus est paullò post in Africam Ioannes, & Artabanes cuocatus Præsentale accepit Magisterium. Hæc ex Appendice Marcellini, cui consonat Victor. Belisarius post aliquot dies à Gothicâ vastatione Romam veniens murorum partem instaurat, resumptísque viribus venienti Totilæ ad pugnam resistit. Vigilius Papa è Sicilia egressus C P. appulit die 25. Ianuarij, vbi feruebat controuersia de Tribus, vt vocant, Capitulis, in causa Theodori Mopsuestiæ olim Episcopi, Ibæ Edessæni Antistitis, & Theodoreti Cyri in Syria Episcopi, cui nouitati cùm plures initio resisterent Episcopi Clericíque, grauis in Ecclesiam persecutio incubuit. In eadem vrbe tempore Ludorum Circensium orta est seditio die Maij 11. sabbato Pentecostes: rectè, nam Pascha celebratum est die 24. Martij. *De Paschali Vesunæ Petricoriorum insculpto diximus in Chronico Technico. Iniurioso mortuo Baudinus Turonensium Episcopus factus est ex Domestico Clotarij Regis ad annos sex. Huius tempore Chanao Britonum in extrema Aremorica Comes fratres suos iugulauit, elapso Macliauo, qui Episcopus apud Venecticam vrbem ordinatus mortuo Chanaone apostatauit. Vide Gregor. Turon. tum cap. vltimo libri 10. tum capp. 3. & 4. libri quarti, vbi ait Britannos semper sub Francorum potestate fuisse post obitum Clodouei Regis, & Comites non Reges appellatos. Nec sibi contradicit, regnum enim pro ditione seu regione potentiori Principi obnoxia, vt sæpe alibi, accipit.*

Anno Christi DXLVIII. *Clotarij & Childeberti fratrum* 37. Audoino Langobardorum Regi Iustinianus dat Pannoniæ partem. Theudi Wesigothorum Rege in palatio à quodam, qui stultitiam simulabat, interfecto, postquam regnasset annos 16. & menses sex, anno vt docet S. Isidorus Iustiniani 22. Theodegisilus seu Theudisclus successit, cui post annum & sex menses Agila subrogatus est. Ioannes Magister militum in

Campania nõnullos à Gothorum vexatione liberat Senatores, ſuorúmque Bulgarum proditione nocturnum poſtea patitur Totilæ ſuperuentum. Vigilius Papa C P. vt diximus accitus ab Imp. Iudicatum edidit, in quo Tria quidem damnauit Capitula, ſed ea cautione, ne quicquam derogaretur Chalcedonenſi Concilio. Theodora Auguſta obiit menſe Iunio, cùm regnaſſet annos 21. cum tribus menſibus. Encænia verò SS. Apoſtolorum facta memorantur die 28. Iulij feria 3. qui characteriſmus præſentem annum denotat, non ſequentem Imp. 23. multominùs 552. ad quem retulit Baronius. *Currente anno à morte Clodouei 37. hoc eſt vel exeunte ſuperiori, vel ineunte præſente anno poſt Baſilij Conſulatum ſeptimo, Indictione vndecima, Theodebertus Theodorici filius Auſtraſiæ Rex vexatus febre obiit, exactis in regno non 24. ſed 14. dumtaxat annis, quot illi imputantur in Chronico Moiſſiacenſi. Succedit patri Theodebaldus filius ad annos ſeptem. Vide Gregor. Turon. lib. 3. capp. 23. & 37. qui obſeruat grauem & ſolito aſperiorem hiemem fuiſſe, ita vt torrentes concatenati gelu peruium populis iter tanquam reliqua humus præberent, aues quoque rigore affectæ manu caperentur: Francos poſt Theodeberti obitum, Parthenium, quòd tributa ſub Rege inflixiſſet, perſecutos eſſe, illúmque Treueros à duobus Epiſcopis deductum furente populo, in arca inuentum, in quâ latebat, in ipſa Eccleſia occiſum eſſe. Eodem anno, ait Marius Auenticenſis, Lanthacarius Dux Francorum in bello Romano transfoſſus obiit. Fuerit ergo hic planè diuerſus ab alio Duce Leuthari dicto, de quo poſtea.* Hic verò velim Lector gradum ſiſtat, noſtræque Chronologiæ conſenſum miretur: ad quem aſpirare nequeunt, qui Clodouei mortem in anno Chriſti 509. collocant, cùm ab eo ad præſentem, (quo ipſi Theodebertum in Diatribis ſuis obiiſſe diſertè ſcribunt, eiúſque patrem Theodoricum aut anno 533. aut ſequentis initio) non 37. dumtaxat numerentur anni, ſed 39. Audiant itaque Gregorium extremo lib. 3. *A tranſitu Clodouei vſque in tranſitum Theodeberti computantur anni 37. Mortuo Theodeberto 14. regni ſui anno regnauit Theodoualdus filius eius pro eo, & in calce libri quarti: à tranſitu Clodouei Regis vſque ad tranſitum Theodeberti anni 37. à tranſitu Theodeberti vſque ad exitum Sigeberti anni 29. Tum cap. 23. lib. 3. Theodericum non poſt 23. annos, ſed 23. regni ſui anno obiiſſe aduertant.* Quæ duo oſtendunt quàm parum tutum ſit à receptis opinionibus recedere; *Occaſione Theodeberti eiúſque filij Theodeualdi multa de Francis eorúmque origine, politia, ac*

moribus disseruit Agathias Scholasticus huius temporis scriptor quæ hîc opus esset uberius explicare, aut saltem eò Lectorem curiosum amandare, vt præsertim annotet aurea illa verba: ΠΑΙΔΕΣ ΕΚ ΠΑΤΡΩΝ ΤΗΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΝ ΔΙΑΔΕΧΟΜΕΝΟΙ, *Filij patribus in regnum succedentes.* ΕΧΑΛΕΙ ΑΥΤΟΝ ΕΙΣ ΤΗΝ ΗΓΕΜΟΝΙΑΝ Ο ΠΑΤΡΙΟΣ ΝΟΜΟΣ. *Theodebaldum Theodeberti filium* PATRIA LEX *ad regnum vocabat: quæ Chiffletium, Riuium, similésque Salicæ Legis Consuetudinísve apud veteres recentiorésque Francos usurpatæ aduersarios ἀυτοκατακρίτους ad desperationem, & si sapiunt ad palinodiam recantandam adigunt.*

Anno Christi DXLIX. *Clotarij & Childeberti* 38. Quinto induciarum desinente Persæ magnis collectis viribus Romanorum fines irrumpunt: vnde reuocatus ex Italiâ Belisarius aduersus eos in Orientem missus est. Præsidiarij Romæ ducem suum Coronem occidunt, & ab Imp. impunitatem impetrant. Auctores coniurationis in eundem Imp. detecti extremo supplicio affecti sunt. Totila iterum Romam capit, munimentísque firmat, ne iterum à Romanis recipiatur. Euphemio Antiocheno Episcopo succedit Donninus, teste Victore, qui ad annum seq P. C. Basilij IX. hæc habet vno duobúsve annis tardiùs: Theodora Augusta Chalcedonensis Synodi inimica canceris plaga corpore toto perfusa vitam prodigiosè finiuit. *Aurelianense V. Concilium præside Sacerdote Lugdunensi Metropolitano celebratum fuit Indictione* 13. *iam à mense Septembri inchoata, currente verò Childeberti Regis ab obitu patris* 38. *die* 28. *Octobris, cui subscriptus reperitur inter cæteros Desideratus Ecclesiæ Bituricæ Episcopus. Extant eius canones* 24. *Eodem anno vel fortè sub initium sequentis habitum est Aruernense II. Theodebaldi Regis iussu, cuius habentur canones* 16. *iisdem verbis eodémque propemodum ordine quo editi sunt in prædicto Aurelianensi. Illi subscripsit idem Desideratus noster, de cuius domo fuit Augustus ille à S. Martino sanatus, postea S. Symphoriani Abbas, de quo plura Gregorius cap.* 80. *libri de Gloria Confessorum. Qui* Clodoueum *obiisse volunt anno* 509. *Aurelianense V. coguntur affigere anno* 547. *cui Indictio conuenit XI. non XIII. de quâ tamen, (vt ait Sirmondus noster, Scriptorum pene omnium, si fas ita dicere, sed fas, accuratissimus) omnes MSS. editíque codices consentiunt: ne de vnico Pithœi MS. codice, vt in Aurelianensi IV. causari velle videantur.*

Anno Christi DL. *Clotarij & Childeberti* 39. Pascha die 24.

Aprilis celebratum est secundùm Alexandrinam methodum & Canones Nicænos : quidam tamen Latini die Aprilis 17. peregerunt. De Victore Capuano, qui contra Victorium Aquitanum scripsit, vide Bedam lib. de Ratione temporum cap. 49. Iugulato Theudiselo Wesigothi Agilam in Regem eligunt ærâ 588. Illyriciana Synodus in defensione trium Capitulorum Iustiniano scribit, inquit Victor, & Benenatum primæ Iustinianeæ Episcopum obtrectatorem eorumdem condemnat. *Vigilius Papa die 29. Aprilis C P. scripsit ad Aurelianum Arelatensem Episcopum nihil à se contra Concilia Generalia Romanorúmque Pontificum decreta admissum, eúmque hortatus est Childeberto Francorum Regi suggereret, vt Regem Gothorum scriptis literis moneat, ne quid in Romana Ecclesia turbari sinat. Desideratus Biturigum Antistes decedit è vita die 8. Maij Dominico, vt vetera testantur monumenta. vnde planissimè refutantur Chenutius, Robertus, alíique, qui in annos vel 554. vel 557. mortem illius reiiciunt. Quòd si quis velit eâ nocte defunctum eum esse, quæ Dominicam excipiens feriæ secundæ dederit initium, is anno sequenti sanctum Præsulis illius obitum illigare poterit, & Probiani seu Probatiani ad annos 8. Biturigum XXIV. Archiepiscopi arcessere primordia. Hoc verò circiter anno Theodebaldi Regis iussu Kalendis Iunij celebrata creditur Tullensis Synodus, propter molestias, quas Nicetius Treuirorum Antistes à Francis quibusdam à se propter incestus nuptias excommunicatis patiebatur, vt discimus ex Mappiny Remensis excusatoria epistola, quæ sola modò extat.* De Facundo Hermianensi & de Africanis Episcopis qui Vigilium damnarunt, & pro tribus Capitulis acriter decertarunt plura Victor.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DLI. *Clotarij & Childeberti* 40. Mauri in Africa per Ioannem Patricium domiti sunt. Germanus Iustiniani ex sorore nepos, qui Theodorici Ostrogothorum Regis neptem in vxorem duxerat, egressus C P. vt aduersus Gothos bellum in Italia gereret, in Græcia hiemare coactus, missus est à Iustiniano Imp. aduersus Slauos, qui Macedoniam infestabant. Verùm eo paulò post defuncto in eius locum subrogatus est Ioannes. Classis Romana naufragio periit. Totilas vastata Sicilia in Italiam rediit. Slaui ad Hadrianopolim victores mox à Romano exercitu ingenti clade prostrati sunt. *Iustinianus Augustus Legatus ad Theodebaldum Austrasiæ Regem misit de bello aduersus Gothos in Italia coniunctis viribus*

ſuſcipiendo. Is verò iam ab anno 548. vt Francorum Reges ſibi arctiùs deuinciret, Prouinciæ poſſeſſionem à Theodato ac Vitige conceſſam decreto ſuo iis firmauerat: ex quo tempore aiunt Francos illos Principes ex Gallicanis metallis ſolidos aureos, non Romani Imperatoris effigie, vt reliquarum nationum Reges, ſed ſua ſignaſſe, vt tradit Procopius. Probianus Biturigum Antiſtes 24. ſingulis annis tributum pendebat ad luminaria Eccleſiæ B. Hilarij Pictauienſis, cuius interceſſione, dum adhuc puer eſſet, ab imminente mortis periculo fuerat liberatus, vt narrat Fortunatus lib. 2. de miraculis S. Hilarij, quod opus ſuperſtite adhuc Probiano ſe ſcribere teſtatur: ergo ante annum 559. Reparatus Carthaginenſis Ep. Firmus, aliique Epiſcopi euocantur CP. Apollinarius Zoilo tria Capitula damnare nolenti Alexandrinæ Eccleſiæ ſubrogatur Epiſcopus.

Anno Chriſti DLII. *Clotarij & Childeberti* 41. Iuſtiniani 26. Suania à Romanis defeciſſe videtur ad Perſas, quantum colligere licet ex Procopio & ex Menandri Protectoris excerptis. Miſſus in Hiſpaniam à Iuſtiniano Imp. Liberius Patricius, aliàs Præfectus Prætorio Galliarum, Athanagildo aduerſus Agilam rebellanti ſuppetias tulit. Hic verò poſt biennium à ſuis Emeritæ interfectus eſt. Narſes Eunuchus, Chartularius ac Cubicularius, ab eodem Imp. Princeps militiæ factus, & in Italiam miſſus commiſſa pugna Totilam vndecimum in regno annum agentem occidit in loco dicto Buſta Gallorum; ſunt qui dicant ex acie fugientem à ſuis fuiſſe peremptum, & gentem Gothicam auxiliantibus etiam Langobardis in Italia exterminauit. Succeſſit Totilæ Teia filius Fridigerni electus Ticini, Indictione prima iam inchoata, eóque à Narſete poſt annum ſimiliter necato Gothorum regnum in Italia deſiit. Vide Procopium, Mårium, Iornandem, alios. Armenorum æra ex annis Ægyptiorum vagis conflata à die 9. Iulij hoc anno incipit. Vigilius Papa Encyclicam ſcribit epiſtolam die 28. Ianuarij Dominica an. P.C. Baſilij V. C. XI. non X. De Monachis, qui ex India delatis bombycum ouis Græcos rationem conficiendi ſerici ſeu metaxæ primi docuerunt, multa congeſſimus in noſtris ad Theophanem Byzantium Annotationibus.

Anno Chriſti DLIII. *Clotarij & Childeberti* 42. Celebratum eſt CP. Concilium V. Generale in cauſa trium Capitulorum, cui licet nec per ſe nec per Legatos Vigilius Papa interfuerit,

immo repudiare initio visus sit, approbauit tamen ipsemet postea, eiúsque successores Pelagius, S. Gregorius, alíque. Hoc celebratum fuisse, ait Auctor Chronici Alexandrini, aduersus impia dogmata Origenis, Didymi, Euagrij perduellium Dei, & impij Theodori scripta Iudaïsmum instaurantia, & contra epistolam Ibæ ad Marem Persam, & contra Theodoreti volumen, quo 12. capita Cyrilli impugnat. Sequitur ibidem edictum siue publica doctrinæ Christianæ & Orthodoxæ fidei declaratio & promulgatio ab Imp. edita. Plura aduersus illam Synodum, & pro eius impugnatoribus Victor habet in Chronico, præsertim vbi de Rustico Romanæ Ecclesiæ diacono & Felice Hegumeno, qui scripto contradixerunt, in Thebaidam exilio relegatis, necnon de terræ motu C P. à fundamentis concutiente, &c. quem tamen Theophanes docet accidisse Indictione II. Augusti 15. media nocte ineunte Dominica Ἀναστάσιμος κυριακῆς, eiúsque memoriam quotannis C P. fuisse factam. At Characteres illi annum sequentem designant non præsentem. Addit Datium Mediolanensem Episcopum venisse C P. cúmque damnationi trium Capitulorum consensisset eo die percussum interiisse. *Baudino Turonorum Archiep. defuncto successit ad annos duos menses* 10. *& dies* 22. *Guntharius ex Abbate monasterij S. Venantij, post cuius obitum cessauit Episcopatus anno vno, de quo Greg. tum lib.* 4. *cap.* 4. *tum extremo lib.* 10. *Leutharis & Buccellinus Alamanni Duces sub auspiciis Theodebaldi Austrasiæ Regis cum Francorum & Alamannorum* 75. *millibus ingrediuntur Italiam, sumptáque aduersus Narsetem Gothorum victorem expeditione fines eius populando percurrunt. De iis Agathias libro* 2. *Gregor. Turon. lib.* 4. *cap.* 9. *vbi etiam meminit sambuci arboris, quæ paullo ante Regis Theodoualdi mortem vuas protulit, Aimoinus, alij.*

Anno Christi D L I V. *Clotarij & Childeberti* 43. interfecto Agilane Wesigothorum in Hispania Rege, Athanagildus regnum accepit ad annos 13. Greg. Tur. lib. 4. cap. 8. testis est eum contra Imperatoris exercitum multa bella egisse, & ciuitates quas dissidentibus inter se Gothis peruaserat ex parte abstulisse. Victor multa habet de Defensoribus trium Capitulorum, quæ Lector per ocium consulet. *Leutharis in Italia morbo interit cum suis. Exercitus quoque Buccellini Comitis cùm Italiam Siciliámque infestasset, & Romanos sæpe superasset, tandem pre-*

fluuio ventris attritus à Narſe pugna victus & profligatus eſt, ipſo duce occiſo. Nec multò pòſt, pergit Auctor Supplementi ad Chronicon Marcellini, ſocius eius Omnirugus Dux, aliis emendatiùs dicitur Hamingus ſiue Chamingus, cum reliquis Gothorum, quibus ſe iunxit, peremptus eſt. Marius in annum ſeq. differt Buccellini interitum & morti Theodualdi, Clotariíque de Saxonibus victoriæ ſubiicit. De Hamingo conſule Menandri Protectoris excerpta pag. 133. editionis Regiæ. Concilium Arelatenſe V. celebratum eſt die 29. Iunij currente Childeberti Regis 43. Indictione non III. ſed II. Præſide Sapaudo Arelatenſi Archiepiſcopo. Huius extant Canones ſeptem cum Epiſcoporum ſubſcriptionibus.

Anno Chriſti DLV. *Clotarij & Childeberti fratrum* 44. Vigilius Papa cum ſuperiore anno CP. egreſſus in Siciliam veniſſet, ex calculi doloribus obiiſſe creditur Syracuſis huius ineuntis Ianuarij die circiter 10. poſtquam ſediſſet à morte Siluerij annis 15. & menſibus ferè ſex, vel ab anno 537. quo primùm electus eſt, annis 18. cum dimidio. Neque tamen deſunt, vt monui in Chronico Technico, qui Vigilij obitum die Maij 18. anni ſuperioris contigiſſe affirment, & Pelagij I. ordinationem die 23. Auguſti, cùm tres menſes & dies quinque Epiſcopatus ceſſaſſet. Verùm ſatius duximus Pelagij electionem in diem Aprilis 16. huiuſce anni differre. In Appendice ad Marcellinum narratur cadauer Vigilij Romam perlatum apud S. Marcellum in via Salaria ſepultum fuiſſe, & ordinatum pro eo Pelagium Papam ſediſſe annis XI. (lege III.) menſibus X. qui à populo Romano factionis contra Vigilium incuſatus, celebratis vnà cum Narſe litaniis apud S. Petrum ambone aſcenſo, Euangelióque ſuper caput ſuum poſito, iuramento ſe crimine purgauit. *Theodoualdus Auſtraſiorum Rex, Theodeberti filius, Theoderici nepos, hoc quoque ineunte anno, vel ſub finem ſuperioris, obiit, regnúmque eius Clotarius Rex accepit, Vvldotradam defuncti Regis vxorem ſibi copulans, quam mox Epiſcoporum interuentu abiecit. Greg. Tur. lib. 4. cap. 9. docet anno ſeptimo regni ſui fuiſſe defunctum: Aimoinus poſt ſtrenuè adminiſtratum per octo annorum curricula regnum: Marius P. C. Baſilij anno XIII. Indictione III. Agathias lib. 2. Hiſtoriæ annum 28. Iuſtiniani Imp. deſignat, ſcribens Theodebaldo Rege mortuo inter Childebertum & Clotharium ortam de ſucceſſione contentionem, ſed hunc potiorem fuiſſe, quòd quatuor filios mares haberet, ille ſolas filias. Verba eius, quia* SALICAM LEGEM *meridiana luce clarioribus radiis depinguntur, nefas eſt omittere:* Cùm Chil-

debertum & Chlotarium genere proximos LEX PATRIA ὁ νόμος ad hæreditatem iuuenis (Theodebaldi) vocaret, grauis ſtatim inter eos contentio eſt orta. Childebertus iam ſenex erat, neque vlla ei proles maſcula quæ ſuccederet; ſed filias tantùm habens conſenuerat. Chlotarius verò filios habebat quatuor iuuenes, fortes atque animoſos. Quocirca non adeunda dixit fratri bona Theobaldi, quippe quòd breui etiam ipſum Childeberti regnum ad ſe & filios ſuos eſſet deuoluendum, &c. Pudeat lippientes μώσπας in conſpicuo hoc Lectoribus omnibus Sole oculos malè ſanos claudere. *Appendix quoque Marcellini, licet eius turbatas fuiſſe rationes iam ſæpè aliàs conqueſti ſimus, cùm ait Clotarium qui iam 44. annis regnabat, Theodebaldi regnum vxorémque accepiſſe, ad hunc aut certè ſuperiorem annum reſpexit, non 553. Idem Clotarius, cùm Chramnum filium ſuum Aruernos direxiſſet ad regnum Auſtraſiæ, vt iam aliquoties obſeruauimus, pertinentes, ipſe collecto exercitu in Germaniam profectus eſt, & Saxones, qui rebellauerant, iuxta Viſeram fluuium magnâ cæde domuit, Thoringíque, qui eis ſuppetias tulerant, pariter victis, regiones illorum peruaſas deuaſtauit. Gregor. Tur. lib. 4. cap. 10. Marius, aliique. Hoc circiter anno Childeberti Regis euocatione celebratum creditur Concilium Pariſienſe II. Sapaudo Arelatenſi Ep. Præſide in cauſa Saffaraci Pariſienſis Epiſcopi. Extat eius Decretum cum ſubſcriptionibus Epiſcoporum, in quibus reperitur Probianus Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ. Illud verò Sirmondus benè monuit ſequenti præponendum eſſe, cui ſubſcripſerunt S. Germanus Epiſcopus à Saffaraco tertius, & Caletricus Carnotenſis Antiſtes ſucceſſor S. Leobini, qui Saffaracum cum aliis damnarat.*

Anno Chriſti DLVI. *Clotarij & Childeberti fratrum* 45. Pacem cum Iuſtiniano pepigit Choſroës Perſarum Rex pertæſus belli, ea lege, vt vterque, quæ occupaſſet, poſſideret. *Chrammus, qui ſollicitante Childeberto patruo ſuo ad ipſum latebram dederat, collecto exercitu regiones patris ſui bello cum Saxonibus adhuc impliciti deuaſtauit, vt docent Appendix ad Marcellinum, & Marius cum Turonenſi lib. 4. cap. 16. Fredeg. Aimoino, aliíque. Ex quibus etiam diſces Saxones iterum Clotario rebellantes, cùm ab eo peterentur hoſtiliter, éique pro ſatisfactione dimidium rerum ſuarum offerrent, ídque exercitus Francorum refutans eo inuito pugnaſſet, magna ab eis cæde protritum fugæ præſidium petiiſſe. Cùm verò rediiſſet in Gallias extremo circiter anni tempore data præceptione conſenſit, vt electus à plebe Turonica Euphronius S. Gregorij Lingonenſis Epiſcopi nepos, ordinaretur Epiſcopus:*

quam

quam sedem tenuit annis 17. *Pelagius Romanus Pontifex ad Childebertum Francorum Regem scripsit die* 11. *Decembris, anno XV. post Consulatum Basilij, & ad Sapaudum Arelatensem Episcopum.*

Anno Christi DLVII. *Clotarij & Childeberti* 46. *Idem Papa Pelagius prædicto Sapaudo vices suas in Gallia delegauit, eique pallij vsum impertitus est die* 3. *Februarij: ad Childebertum verò Regem Fidei suæ confessionem misit, monuitque, vt diligenter caueret, ne qua in Galliis per hæreticos excitari dissidia permitteret. Chramnus varias regni paterni prouincias populatur, acceptáque in vxorem Viliacharij Ducis filiâ Parisios accedens, nouum cum Childeberto patruo fœdus init, iurans se patri esse certissimum inimicum, qui tunc fortiter aduersus Saxones decertabat, quos vt fama ferebat, per Childebertum commotos, exeuntéque de regione suâ in Franciam venisse narrat Gregorius, & vsque ad Nutiam ciuitatem prædas egisse. Ipse verò Childebertus sparso de nece Clotharij fratris sui falso rumore, cum exercitu in Campaniam Remensem accessit, & vsque Remos ciuitatem properans cuncta prædis atque incendio deuastauit. Circa hunc annum pro variis diuersarum Ecclesiarum vtilitatibus coactum est Parisiense III. Concilium, præside Probiano Ecclesiæ Bituricæ Metropolitano, cuius extant canones* 10. *cum subscriptionibus.* Theophanes narrat C P. terræ motum contigisse tum die 16. Aprilis feria 2. tum die Octobris 19. feria 6. Iustiniani labente anno 31. Ἀφ' ἑσπέρου σαββάτου. Videndus quoque qui præsens adesse potuit Agathias, vbi inter cætera testatur Imperatorem in Natalitio festo coronam deposuisse, egenísque, quæ in spectaculis impendi solerent, distribuisse. Bridus Rex Pictorum in Britannia efficitur, vt legitur in Appendice ad Chronicon Marcellini.

Anno Christi DLVIII. *Clotarij & Childeberti* 47. Pestis C P. sæuissimè depopulata, vt pluribus exponit Euagrius: qua occasione Iustinianus in præposteræ libidinis reos seueriſſimè edixit. *S. Germanus Parisiensis Episcopus, cùm Bituricas venisset, repertum reuelatione diuinâ in vineis S. Vrsini primi Biturigum Antistitis corpus solemni pompâ, comitante Probiano Archiepiscopo, omníque clero ac populo, transferri curauit in S. Symphoriani basilicam, cui S. Augustus præerat Abbas. Rem omnem fusiùs edisserit Greg. Turonensis c.* 80. *Libri de Gloria Confessorum. Exeunte hoc anno die* 23. *mensis Decembris diutissima febre diuexatus obiit Childebertus Francorum Rex, & ad basilicam S. Vincentij, quam ipse construxerat, est sepultus. Clotharius verò frater regnum eius ac thesauros adeptus, factus est Galliarum Mo-*

narcha potentissimus. Vide Gregorium Turonensem lib. 4. cap. 20. Marius Auenticensis coniicit in P. C. Basilij 17. Indictione VI. Alij tamen in seq. annum aut 560. conferunt, hoc ducti argumento quod interpolator Aimoini, quisquis ille fuerit, lib. 2. cap. 20. referat diploma de Immunitate Basilicæ S. Vincentij, quæ hodie S. Germani Pratensis dicitur, editum anno 48. regni Childeberti, qui cùm de facto inierit à fine Nouembris huius anni nihil causæ videtur, cur à Marij auctoritate tam certâ támque euidenti recedamus. Legendus quoque super eâ re Agathias lib. 2. Fredegarius, Auctor Gestorum, &c. Caluisius Childericum pro Childeberto nonnumquam habet & Conobaldum, quem Aquitaniæ Regem nominat, tradit in Sacello D. Martini viuum crematum, Chramnum in Angliam fugisse, aliáque eiusdemmodi portenta in iis, quæ ad Historiam Francicam spectant, passim Lectoribus obiicit, quæ factâ cum nostris Annalibus collatione quiuis facilè profligabit.

Anno Christi DLIX. *Clotarij Regis Francorum* 48. Pelagius Papa I. die 2. vel 5. Martij obiit, post sedem annorum trium, mensium 10. & dierum 18. Successit Ioannes III. Catellinus cognominatus, à die 27. Iulij ad annos 13. *Probianus Biturigum Archiepiscopus, cùm Romam ad visenda Apostolorum limina se contulisset, ibi mortuus est, sepultúsque apud S. Laurentium, vt nostrates testantur Historici, Anonymus, aliíque. Reliquo anno vacasse sedes videtur. Chramnus post patrui Childeberti obitum reconciliatus patri, sed breui ad ingenium reuersus, iterum infidelis extitit ac periurus, cúmque se cerneret non posse euadere, Britanniam Aremoricam petiit, ibíque cum vxore ac filiabus apud Conoobrum seu Conabum Britannorum Comitem delituit. Vvillicarius verò socer eius, cuius filiam Caltem nominat Aimoinus lib. 2. cap 30. non immeritò sibi timens à Clotario Rege, tutelam Basilicæ S. Martini Turonensis expetiit. Subdit Gregorius tunc sanctam illam Basilicam succensam fuisse, ciuitatémque Turonicam ante annum iam fuisse consumptam & vniuersas in ea constructas ecclesias desertas relictas fuisse. Dein ordinante Clotario eandem basilicam stanno coopertam fuisse, & in illâ, quâ priùs fuerat, elegantia reparatam.* Hunni Zaberga duce Istro transmisso Græciam populati sunt, acceptáque ab Imp. magna auri copia, cùm in sedes reuerterentur suas, ab aliis Barbaris præda exuti, & maximam partem trucidati sunt. Hîc verò desinit Agathias, cuius Historiam excepit Menander Protector, de quo Suidas, & nos alio in opere.

Anno Christi DLX. *Clotarij Regis* 49. Quo cœpit secunda

Victorij Aquitani Periodus seu Cyclus annorum 532. & serenâ nocte inter splendidas stellas obscurata est Luna XVI. vt vix conspici posset, ait Marius Ind. VIII. Post Consulatum Basilij XIV. tum subdit. *Chramnum molientem regnum patris inuadere, aduersus ipsum cum Britannis mouere ausum, multa loca grauiter deuastasse. Ad illius verò insaniam reprimendam Clotarium Regem cum exercitu properasse, & interfecto Comite Britonum Conoobro, Chramnum viuum cepisse, eóque cum vxore & filiabus (sic enim legendum, non filus) incenso, vniuersæ regioni excidium intulisse. Historiam illam omnem vberius pertractauit Gregor. Turon. citato loco, quique eius vestigia premunt Frcd. Aim. alij. Appendix Marcellini biennio anteuertit, in eóque præterea peccat, quòd illo etiam tempore Turonis basilicam S. Martini rebellibus ad eam fugientibus igne crematam fuisse asserat. Peccauit quoque & in hoc incendio, & in ædificatione basilicæ S. Vincentij in suburbano Parisiensi, & in anno mortis Childeberti, aliísque pluribus Miræus: qui etiam hoc circiter anno Cassiodorum ex Consule Romano Monachum Benedictinum in Calabria prope Rhegium obiisse contendit in monasterio à se ibidem condito sepultum. Verùm non est huius loci de Cassiodori ætate plenius agere. S. Felix ordinatus est Biturigum 25. Archiepiscopus ad annos 14. cuius consecrationi interfuit S. Germanus Parisiensis Præsul, quo prædicante Sigericus quidam Iudæus atque ipsa quoque eius vxor ad fidem conuersi sunt, teste Venantio Fortunato Vitæ S. Germani cap. 64. apud Surium die 28. Maij. Idem quoque scriptor, & oculatus testis affirmat cap. 41. vetulam cæcam ab eodem sancto Antistite sanatam fuisse, cùm haud procul Bituricensi vrbe de vico Nouigento ad Vicumnouum peruenisset.* CP. ingens seditio tumultúsque accidit die 9. Septembris feria 5. direptis tabernis, pluribúsque occisis, quod Iustinianum plerique mortuum credidissent. Bulgares Thraciam inuadunt vsque ad Sucas prope CP. sed Belisarij patricij, vt ait Victor, armis debellati Danubium transierunt.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DLXI. *Clotarij* 50. Corpus S. Antonij Eremitæ repertum cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Basilica S. Ioannis Baptistæ collocatur. Incendium CP. die 12. Octobris feria 4. die verò 5. Nouembris coniuratio in Imp. detecta: rei capite mulctati: Belisarius falsò insimulatus. *Clotarius Francorum Monarcha mortuum huius anni die 8. Iunij, S. Medardum Nouiomensem & Torna-*

censem Episcopum cum summo honore in suburbano Suessionensi sepelit, & basilicam super eum fabricare cæpit, quam postea Sigebertus filius eius expleuit atque composuit. Innuit autem Gregorius Turonensis mortem illam contigisse postquam Chil ebertus iam obiisset, & de Chramno pater vindictam sumpsisset, vt intelligas falsum fuisse Sigebertum Gemblacensem, aliósque, qui ex eius fide aliquot annis anteuertunt. Grauiùs verò allucinati sunt, qui Gildardum S. Medardi fratrem Rotomagensem Archiepiscopum ad hunc vsque annum superstitem fuisse volunt, eodémque cum Medardo die ad superos transiuisse. Idem Clotarius hoc anno cum muneribus limina B. Martini expetiit, & ad sepulcrum eius Turonis prostratus de admissis toto vitæ tempore sceleribus veniam petiit à Deo cum grandi gemitu orans, vt Beatus Confessor pro suis culpis Domini misericordiam exoraret, & ea quæ inrationabiliter commiserat, verba sunt Gregorij, suo obtentu dilueret: vnde patet quæ fuerit primorum Franciæ Regum de Sanctorum intercessione sententia. Exin regressus, dum in Cotiâ siluâ venationem exerceret, à febre corripitur, ducitúrque Compendium villam Regiam, in qua cùm grauiter vexaretur à febre, aiebat, Vua, quid putatis? qualis est ille Rex cæleſtis qui sic tam magnos Reges interficit. *In eóque tædio positus spiritum exhalauit anno vel 50. tantùm currente vel 51. iam inchoato ab exeunte Nouembri: certè, post vnum decurrentis anni diem quo Chramnus filius eius fuerat interfectus. Quæ singularis est Greg. Turonensis obseruatio. Marius in Chronico, Chlothacharium, sic enim scribere amat, Regem docet mortuum fuisse P. C. Basilij anno 20. qui Indictioni IX. maximam partem respondet vsque ad Septembrem, quo numerari cœpit X. Clotarium quatuor filij eius cum magno honore Suessionas deferunt, & in basilica S. Medardi tantumnon inchoata sepeliunt: tum represso Chilperico, qui post patris funus, sublatis è Brannaco villa, vbi seruabantur, thesauris, Parisios sedem Childeberti Regis inuaserat, factáque subinde diuisione legitima, dedit sors Chariberto regnum Childeberti, sedémque habere Parisios: Guntranno verò regnum Chlodomeris, ac tenere Sedem Aurelianensem: Chilperico regnum Clotarij patris eius, cathedrámque Suessionas habere: Sigeberto denique regnum Theodorici siue Austrasiorum sedémque habere Remensem.* Concilium Bracarense I. Kal. Maij æra 599. anno 3. Ariamiri seu Theodemiri Sueuorum Regis.

Anno Christi DLXII. *Chilperici eiúsque fratrum primo*, Iustiniani Imp. labente adhuc 35. Post Consulatum Basilij XXI. Indictione X. Olympiadis 335. non 3. sed primo currente completi sunt anni 532. Cycli à Passione Domini eiúsque sancta

Resurrectione inchoati apud Græcos, quantum ex Chronico Alexandrino colligere possumus, cœpítque secunda Periodus Cycli Paschalis annorum similiter 532. à 21. die Martij præsentis Indictionis, quâ die Æquinoctium agitur. Statuit porrò Auctor ille Anonymus D. N. IESV CHRISTI Passionem anno Tiberij 19. siue 4. Olympiadis 202. inde ad annum quintum duorum Philipporum Decio & Gratiano Coss. numerat annos 218. Dein ad annum 8. Constantini, vbi prima Indictio posita est in Consulatu Volusiani & Aniani annos 65. tum ab anno nono Constantini ad Indictionem 10. anni 35. Iustiniani qui post Consulatum Basilij XXI. putabatur, annos 249. qui simul collecti faciunt annos 532. Quod verò minus appositè Olympiadum annos illigarit docebimus, si Dominus dederit, suo tempore copiosiùs. Cassiodorus in Viuariensi monasterio valdè senex scripsisse perhibetur hoc anno de Paschali Computo libellum, cuius extant pagellæ aliquot hoc initio: si nosse vis quotus annus est ab Incarnatione D.N.I.C. &c. si vis scire quota est Indictio, vt puta, Vicies semel post consulatum Basilij Iunioris: sume annos ab Incarnatione D N.I.C. id est, quingentos sexaginta duos: his semper adiice tria; fiunt 565. hæc partire per 15. remanent 10. decima est Indictio. Si verò nihil remanserit, quintadecima est Indictio. & sic in cæteris, quæ sequuntur, semper ad hunc annum respicit. *Hoc verò anno* CHILPERICVS, *Charibertus, Sigebertus, atque Guntramnus Francorum Reges sorte adeptas Gallici regni Tetrarchias inuisunt,* Chilpericus. *muniunt, ornant, atque à Leudibus suis sacramenta exigunt, munera recipiunt,* &c. *Ex his Guntramnus Agrœculâ remoto Celsum Patricium creauit, quem Ecclesias spoliasse ait Gregorius, filiúmque reliquisse, qui absque liberis decedens Ecclesiæ facultates, quas pater abstulerat, reliquerit. Circa eadem tempora miraculum illud accidit ad altare Diui Stephani Protomartyris in Ecclesia Bituricensi, quod pluribus exposuit idem Greg. Turon. lib. 1. de Gloria Martyrum cap. 33.*

Anno Christi DLXIII. *Chilperici & fratrum eius* 2. Romani cum Persis fœdus iniere interuentu Petri Magistri ad eos ab Imperatore Iustiniano legati, vt pluribus narrat Menander Protector, Reparatus Carthaginensis Episcopus apud Euchaitam moritur die 7 Ianuarij, ex Victore, qui ad eundem refert gentis Abarorum legationem ad Iustinianum. *Hunni, vt docet Greg. lib. 4. cap. 23. Gallias appetunt post mortem Clotarij Regis, con-*

tra quos Sigebertus Rex exercitum duxit, vicit, fugauítque : deinde cum eorum Rege amicitiam per Legatos iniit. Interim Chilpericus Sigeberti frater Remos peruasit, aliáſque ciuitates, quæ ad eum pertinebant, abſtulit. Synodus Santonenſis à Leontio Burdegalenſi Metropolitano habita eſt, in quá Heraclius Preſbyter creatus eſt Santonenſis Epiſcopus, remoto Emerico, qui Clotarij Regis imperio contra Canones fuerat ordinatus. Greg. cap. 26. ſcribit factum illud diſplicuiſſe Chariberto Regi, qui amotum Epiſcopum reſtituit, miſſiſque quibuſdam de camerariis ſuis, à Leontio mille aureos exegit, & ab alijs Epiſcopis pro cuiuſque facultatibus paternam eſt vltus iniuriam. S. Nicetius Treuirenſis Antiſtes epiſtolam ſcripſit ad Iuſtinianum Imp. cùm iam in Incorruptibilium hæreſim prolapſus fuiſſet : extat à Frehero, Sirmondo ac Ducheſneo edita. Mons validus Tauretunenſis in territorio Vallenſi ait Marius Ind. XI. P C. Baſilij XXII. ita ſubitò ruit, vt caſtrum, cui vicinus erat, & vicos cum omnibus ibidem habitantibus oppreſſerit : & lacum in longitudine 60. millium & latitudine 20. millium ita totum mouit, vt egreſſus vtráque ripa vicos antiquiſſimos cum hominibus & pecoribus vaſtauerit : pontem quoque Genauacum & molendina per vim deiecerit, & in ipſa Genaua vrbe multos homines interfecerit. Greg. Turonenſis eadem quibuſdam additis recitat lib. 4. cap. 31. vbi per Ianobam ciuitatem, Genauenſis intelligi debet, procul à Turnonio, quod ineptè quidam Tauredunum caſtrum interpretati ſunt. Idem Greg. lib. 1. de Miraculis S. Martini cap. 32. hæc de ſeipſo habet, quibus manifeſtè ſtabilitur noſtra Chronologia de S. Martini, Clodouei & Clotarij obitu : Anno, inquit, centeſimo ſexageſimo tertio poſt aſſumptionem ſancti ac prædicabilis viri Beati Martini Antiſtitis (obiit ergo anno 400.) regente Eccleſiam Turonicam ſancto Euphronio Epiſcopo anno ſeptimo, ſecundo anno Sigeberti glorioſiſſimi Regis (Clotarius igitur pater eius ſub finem anni 561. è vita diceſſit) irrui in valetudinem : obſederat me mors cum ardore, &c. Denique hoc Iuſtiniani Imp. anno, menſe Apellæo, die 23. Decembris, in Græco enim κγ' ſcribendum eſt, non κδ', ἡμέρᾳ κυριακῇ, id eſt die Dominica, ſiue feria prima, Indictione XII. iam inchoata, Feſtum Dedicationis Magnæ Eccleſiæ C P. celebratum eſt.

Anno Chriſti DLXIV. *Chilperici & fratrum eius* 3. Macarius, Euſtochio qui eius ſedem occupauerat eiecto, Hieroſolymitanus reformatur Epiſcopus, teſte Victore, qui ſequenti anno ex Ægypto cum aliis Epiſcopis C P. imperiali præcepto euocatus, cùm pertinaciùs Imperatori atque Eutychio Pa-

triarchæ resisterent, per monasteria eiusdem Regiæ vrbis relegati sunt. *Sigebertus victor reuersus in Gallias ab expeditione Hunnicâ in Chilpericum fratrem mouet, Suessionem occupat, Theodobertum eiusdem ex Audouera filium capit, annum totum in Ponticone villâ Regiâ detinet, dein pace facta cum muneribus reddit. Greg. lib. 4. cap. 23. seqq. verò de vxoribus liberísque, Guntranni & Chariberti loquitur.* Extat in Bibliotheca Christianissimi Regis Francorum ac Nauarræorum Ludouici XIV. descriptum in ligni cortice siue membrana vetus apochæ siue plenariæ securitatis instrumentum, mutilum quidem pluribúsque lacunis deformatum, cuius meminerunt Cuiacius, Lipsius, Rutgersius, Salmasius, alij: Edidit verò Gabriel Naudæus Romæ ann. 1641. in 4°. sed quantum arbitror; & res ipsa mox docebit, ab interpunctione malè collocatâ fœdè vitiatum: sic autem se habet: Recitatum est imperante Domino Iustiniano P. P. Augusto, an. 38. Rauennæ, Post Consulatum Basilij anno vigesimo, tertio Iduum Iuliarum, Indictione duodecima, legendum quippe est absque distinctionis nota, vigesimo tertio, & addendum, die Iduum Iuliarum vel quid aliud, nam 38. Iustiniani annus mense Iulio labente congruit cum Indictione XII. & postconsulatu Basilij XXIII. Error quoque cubat in Cuiacij obseruationum lib. 9. cap. 26. vbi numero vnitas deest.

Anno Christi DLXV. *Chilperici & fratrum eius* 4. Indictione XIII. die Martij 13. in vrbe CP. mortuus est Belisarius, die verò 12. Aprilis Eutychius Patriarcha depositus, cui suffectus est anno dumtaxat sequenti die 23. Ianuarij sabbato Ioannes, vt docent Eustathius in vita Eutychij, & Victor in Chronico, qui etiam addit CP. Prasinos ciuile bellum mouisse, multísque occisis repressos fuisse à Iuliano Præfecto. Errat verò Miscellæ auctor, qui ab Eutychio scribit coronatum fuisse Iustinum II. *Sigebertus, cùm videret à fratribus indignas regio thalamo vxores assumi, Brunichildem Athanagildi Gothorum in Hispaniâ Regis filiam in coniugem accepit. Chilpericus verò, licet iam plures haberet vxores, Galsuintam illius sororem expetiit. Vide Greg. Turon. lib. 4. capp. 27. & 28. & initio lib. 6. apud Venantium Fortunatum Epithalamium in nuptiis Sigeberti & Brunechildis. Agaunenses Monachi Episcopum suum Agricolam cum clero, & ciuibus qui cum eo erant, occidere nitentes, domum Ecclesiæ effregerunt, plurimósque vulnerarunt, teste Mario, qui etiam obseruat eodem anno transisse Magnacharium*

Ducem Francorum. Nicetius Treuirensis Episcopus hoc ferè tempore scripsit Clodosuindæ Langobardorum Reginæ, vt hortationibus suis Alboinum Regem maritum suum ad fidem Catholicam adducat: atque inter cætera meminit mirabilium, quæ singulis diebus fiebant ad sepulcra SS. Martini, Germani Antisiodorensis, Hilarij, Lupi, Remigij, atque Medardi. Epistolam reperies in Freheri, Sirmondi & Duchesnij Collectionibus.

Anno Christi DLXVI. *Chilperici & fratrum eius* 5. Appendix Marcellini desinit P. C. Basilij XXV. Indictione XIV. labente vsque ad initium Septembris. Sindeuuala Erulus tyrannidem assumpsit, inquit Marius, & à Narseo Patricio interfectus est. *Abares post factam in Thuringiam irruptionem, aduersus Romanorum Imperatorem fœdus percutiunt cum Sigeberto Francorum Rege. Plura in eam rem Menander Protector in Excerptis Legationum, Greg. Turon. lib. 4. cap. 29. vbi Magicis instructos artibus Auares siue Hunnos fuisse, eorúmque Regem, qui Chaganus solenni nomine dicebatur, multa munera Sigeberto mississe dicitur. Sanctus Germanus Parisiensis Episcopus priuilegium immunitatis concedit monasterio S. Vincentij prope Parisios anno quinto Chariberti Regis Francorum die 21. Augusti. Vide Aimoinum à D. Iacobo Brullio editum: nam in Duchesniano frustra diploma illud quæsiueris, vt & cætera additamenta multis pòst annis Aimoini Historiæ assuta. Sigebertus Gemblacensis in Chronico S. Sansonem Dolensem vt vocat Archiepiscopum, S. Maclouij consanguineum, & successorem Sansonis Maglorium, qui de transmarina Britannia ad cismarinam transierant, claruisse sanctitate & doctrina asserit: anno verò seq. adiungit floruisse tum in Franciâ Basolum Abbatem & Sindulfum Presbyterum reclusum.* Quæ, vt aliàs iam monui, diligentiori reseruantur examini, quemadmodum & alia, quæ ad Sanctos Columbam, ac Columbanum Hibernos, Gildam vtrumque, Badonicum scilicet atque Albanicum, similésque pietate atque eruditione præstantes viros attinet. Marius signum in cælo per dies 70. apparuisse monet, tantámque hieme illa fuisse copiam niuis, vt quinque, aut eò ampliùs mensibus terra videri non potuerit. Iustinianus Imperator mortem obiit die 14. Nouembris Indictione XV. iam à Septembri mense inchoata (nec aliter intelligendus est prædictus Marius dum more solito cum postconsulatu Basilij XXV. coniungit Indictionem dumtaxat XIV.) cùm imperasset annos, non 38. tantùm (vt pleríque eruditi viri, ac præter eos

quos

quos iam citaui in alio opere, Petauius, Miræus, Bucherius, aliíque) sed 39. cum mensibus 7. & diebus 23. si à Kalendis Aprilis anni 537. quo die Augustus renunciatus est, numerare velis, non autem ab obitu ipsius Iustini. Quam sententiam nostram firmant præter Marium duo αὐτόπται, qui tunc C P. præsentes intererant, Victor Tunnonensis de quo Isidorus cap. 25. de Viris Illustribus, eiúsque continuator Ioannes Biclariensis, quos laudaui in Chronico Technico. Verba Chronici Alexandrini perpende 1. Ind. 14. Iustiniani an. 39. Iustino iuniore iterùm Consule solo. Hoc an. 14. Nouembris Indict. 15. Iustinianus vitâ fungitur. Succedit Iustinus, iunior seu II. dictus, ex Vigilantia sorore Iustiniani patre Dulcissimo natus: cuius coniux Sophia Theodoræ Augustæ neptis asseritur, inquit Victor, qui hîc Chronicon suum terminat: quam etiam metam attigit Appendix Marcellini, vt iam obseruauimus, licèt ab octo annis solis temporum characterismis contenta, rerum euentus taceat. Iustiniani formam habitúmque corporis paucis describit Chron. Alex. Plura dabunt Procopius præsertim ἐκ αἰκδόσεως, Agathias, Euagrius, Theophanes, &c. Corippus Afer Poëta non ignobilis à Iustino carmen suum inchoat. Exciderunt verò Menandri Protectoris & Theophanis Byzantij rerum per ea tempora gestarum fideles Historiæ, quarum aliqua fragmenta Photij & Constantini Porphyrogennetæ nobis seruauit in censendis excerpendísque Veterum scriptis diligens industria.

Anno Christi DLXVII. *Chilperici & fratrum eius 6.* Post Consulatum Iustini iunioris Aug. primo, vt Chronicon Alex. habet, vel anno 1. Consulatus Iustini Iunioris Augusti Ind. XV. vt legitur apud Marium, qui ad hunc Consulem numerat ex Eusebiana putatione an. 5768. Imperator Symbolum C L. Patrum in Chalcedonensi receptum in omni Ecclesia Catholica à populo concinendum intromisit, priusquam Dominica dicatur oratio, inquit Ioannes Biclarensis: addítque Armenos & Iberes, dum à Cosroâ Persarum Rege ad cultum idolorum compellerentur, Romanis se tradidisse, quæ res Romanos inter ac Persas pacis fœdera rupit. Legatio Ioannis filij Domentioli exponitur fusiùs à Menandro Protectore pag. 148. & Theophane Byzantio pag. 21. edit. Regiæ. *Lugdunum, Biturix, Aruernum, Cauallonum, Diuionum, plurimáque alia Galliarum oppida*

lue inguinaria infecta sunt multique de viuis sublati, de quibus consule Greg. Tur. l. 4. c. 31. aliisque. Hoc anno, non præcedenti, anno Guntramni Regis 6. Ind. 15. præsidibus Philippo Viennensi & Nicetio Lugdunensi celebratum est Lugdunense II. Concilium, cuius extant Canones sex. Sirmondus & ex eo Miræus, aliique, censent in eadem Lugdunensi Synodo Salonium Ebredunensem & Sagittarium Vapingensem Episcopos ob diuersa scelera damnatos, Episcopatúsque honore priuatos fuisse. Verum cùm multa mihi persuadent in posteriori aliqua Synodo Lugdunensi id factum fuisse, cui præfuerit Beatus Patriarcha Nicetius iussu Guntramni Regis, tum id imprimis, quòd damnati non videantur ante repressam ab Eunio Mummolo Langobardorum in Gallias irruptionem, de qua dicturi sumus paullo pòst. Consule Greg. Tur. lib. 5. cap. 20. vbi & plura de Victore habet Tricastinorum Episcopo. Eodem quoque anno Chariberti Regis sexto, præside Euphronio Turonorum Archiepiscopo celebratum fuit die 17. Nouembris Turonense Concilium II. cuius extant canones 27. atque Epistolæ duæ: altera ad plebem, altera ad S. Radegundem, siue decretum Episcoporum quod susceptâ, quæ ibidem extat, beatæ illius Reginæ epistolâ, siue oblato supplici pro institutæ Pictauis sub regula S. Cæsariæ congregationis tutelâ ac stabilitate libello, conscripserunt. Errat verò Chenutius, dum audacter pronuntiat nostrum Bituricensem Patriarcham Felicem præfuisse huicce Concilio, cùm nequidem illi subscripserit, sed Nanneticus Episcopus Felix, quem vulgò docent patria Bituricensem fuisse, atque Aquitanorum Optimatum consanguineum. Non inficior tamen occasione Canonis tertij Turonensis illius Concilij fieri potuisse à Felice nostro Antistite turritam illam hierothecam, quam festiuo celebrauit carmine Fortunatus lib. 3. cap. 25.

Anno Christi DLXVIII. *Chilperici & fratrum eius* 7. Post Consulatum Iustini II. Narses ex Præposito & Patricio, inquit Marius, sub Indictione I. post tot prostratos tyrannos Baduilam siue Totilam, Teiam, Buccelenum, & Sindeualem Erolum, post Mediolanum, aliásque ciuitates reparatas, de Italia euocatur. Ætherius & Addeus Patricij, veneno per Medicos inferre Iustino Imp. mortem conati, capitali sententia CP. puniti sunt die 3. Octobris. Vide Eustathium in vita S. Eutychij & Ioannem Biclarienſem qui præterea adiicit, Iustinum filium Germani Patricij consobrinum Imperatoris factione Sophiæ Augustæ fuisse Alexandriæ occisum. De iisdem consule Euagrium lib. 6. capp. 2. & 3. atque ex eo Nicephorum lib. 17. cap. 34. Athanagildo Wesigothorum Rege in His-

pania mortuo, postquam annis 14. regnasset, Liuba siue Leuuanes hoc vel præcedenti anno in locum eius prouectus est. *Hic verò Fronimium Biturice urbis incolam magnificè recepit, inquit Gregorius Turonensis lib. 9. cap. 24. atque in urbe Agathensi Episcopum ordinari præcepit.* Hoc quoque anno Langobardi Alboino duce *qui Chlotosindam regis Clotarij filiam habebat uxorem*, siue à Narse, vt plerique volunt, euocati, siue sponte incitati, relictis propriis sedibus egressi sunt mense Aprili, inquit Paulus Diaconus lib. 2. cap. 7. de rebus gestis Langobardorum, per Indictionem primam vno die post sanctum Pascha, cuius festiuitas eo anno iuxta calculi rationem ipsis Kalendis Aprilibus fuit, cùm iam à Domini Incarnatione anni 568. essent euoluti (rectè ab Incarnatione, nam à Natiuitate siue Circumcisione Christi labebatur dumtaxat 568. & finierat 567.) Videnda quoque Miscella in calce lib. 16. & S. Gregorius Papa tum ep. 34. lib. 4. ad Constantinum Ind. 13. post Iunium, vbi asserit ab annis 27. Langobardos venisse, tum ep. 43. lib. 11. ad Phocam, aliisque locis. Sunt qui ingressos illos velint in Italiam, adeóque in ipsam Liguriam die 3. Septembris, alij in seq. annum differunt inchoata iam Indictione tertia. Anno Nabonassari labente 1316. & Seleucidarum 881. quam æram Chronologi Arabes mendosè inchoari putant ab insigni Alexandri Macedonis aduersus Darium victoria, cœpit æra Elephantis sic dicta, quod ingenti mole præditus elephas primum tunc Arabibus visus fuisse perhibeatur in exercitu Regis Æthiopum.

Anno Christi DLXIX. *Chilperici & fratrum eius* 8. Post Consulatum Iustini III. Indict. II. Alboenus Rex Langobardorum cum omni exercitu, verba sunt Marij in Chronico, relinquens atque incendens Pannoniam, cum mulieribus omnique suo populo, vt fera, Italiam occupauit: ibíque alij morbo, alij fame, nonnulli gladio interempti sunt. *Cúmque in finitima Galliarum loca ingredi præ umpsissent, & ingentem stragem de Burgundionibus quibus præerat Amatus Patricius Celsi successor fecissent, paullo post ab Eunio Mummolo Patricio prope Ebredunum in Alpibus Maritimis deuicti sunt, & multitudo captiuorum gentis illius venundata. Irruptiones illas, Francorúmque victoriam narrat copiosiùs Turonensis noster Gregorius lib. 4 capp. 36 & 37. vbi ait fuisse in hoc prælio Salonium & Sagittarium fratres atque Episcopos, qui non cruce cælesti muniti, sed galea ac lorica sæculari armati, multos manibus propriis*

interfeciſſe referuntur. Leouigildus à Liuba fratre in conſortium regni aſcitus Hiſpanias regere incipit, fratre Gothiam ſibi, ſiue Septimaniam, dumtaxat ex omni regno reſeruante. Plura Iſidorus tum in Chronico vulgari, tum in ampliori à nobis ex MS. edito, Ioannes Biclarenſis Abbas & Greg. Turon. lib. 4. cap. 32. qui refert Leouigildum defunctâ priore coniuge, ex quâ duos filios habebat Hermenigildum & Recaredum, quorum vnus Sigiberti, alter Chilperici filiam deſponſauit, Goiſuintam relictam Athanagildi, Brunechildis Reginæ matrem, in vxorem accepiſſe. Idem Biclarenſis Abbas docet I. Garamantes pacem cum Romanis per Legatos & Fidei Catholicæ ſocietatem petiiſſe atque impetraſſe. II. Theodorum Præfectum Africæ à Mauris interfectum. III. Mauritarum gentem his temporibus fidem recepiſſe.

Anno Chriſti DLXX. *Chilperici & fratrum eius* 9. Leouigildus anno regni ſui ſecundo loca Baſtaniæ & Malacitanæ vrbis vaſtat & victor ſolio redit. In prouincia Galliciæ Miro poſt Theodemirum Sueuorum Rex efficitur. Theoctiſtus Magiſter militum prouinciæ Africanæ à Mauris bello ſuperatus interiit. Iuſtinus Imperator per Tiberium Excubitorum Comitem in Thracia bellum genti barbarorum ingerit, & victor CP. redit. In eandem vrbem venit Legatio Turcorum hoc quarto labente Iuſtini anno. De Zemarcho ad eoſdem miſſo vide Menandrum & Theophanem Byzantium, noſtráſque ad hunc poſtremum Animaduerſiones. *Charibertus Francorum Rex ob illegitima coniugia à ſancto Germano Pariſienſi Antiſtite ſacris interdictus, anno regni ſui nono obiit, & apud Blauiam oppidum in littore Santonico ſepultus eſt in baſilica ſancti Romani martyris. Regnum eius ſorte diuiſum in fratres fuit. Qui Blauiæ Charibertum obiiſſe volunt, perpendant velim quæ Greg. Turon. refert de Euphronio deceſſore ſuo cap. 19. de Gloria Confeſſorum. Hoc porrò anno obiiſſe Celſum Patricium teſtis eſt Marius, & morbum validum cum profluuio ventris & variolâ Italiam Galliámque valdè afflixiſſe. Quæ de Saxonibus, qui cum Langobardis in Italiam venerant & iterum proruperant in Gallias, per regnum Sigeberti Regis in patriam ſuam reuerſis: quid de tribus Langobardorum Ducibus Amone, Zabane ac Rhodano ab eodem Mummolo interfectis referat Greg. Turon. conſulet per otium Lector. Poſt eiuſdem Chariberti mortem atrox identidem exarſit Ciuile bellum Chilpericum inter ac Sigebertum Francorum Reges, nunc hanc nunc illam in partem*

inclinante Guntranno, vt post Gregorium per plura capita exposuit Aimoinus lib. 3. Neque enim in singulos annos commodè omnia illa digeri queunt. Mahometes siue Machammedus hoc anno natus creditur die 5. Maij feria 2.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DLXXI. *Chilperici ac fratrum eius* 10. Indictione 4. Iustinus Imperator Armeniam & Iberiam repulsis Persis Romanas fecit prouincias, & bellum Persarum per suos duces peregit. Amabilis Magister militiæ Africanæ à Mauris occiditur. Leouigildus Wesigothorum Rex Asinodam vrbem proditione occupat. Donatus Abbas Monasterij Seruitani mirabilium operator clarus habetur. *Italiam Galliámque infanda infirmitas deuastat, quam glandulam siue pustulam vocat Marius. Childebertus Sigeberti ac Brunechildis filius hoc non superiori anno nascitur. Docet hoc Greg. Turon. lib. 5. cap. 1. collato cum cap. 4. lib. 8. vbi Guntramnus hæc de Childeberto prædicat à nostris Scriptoribus non satis accuratè perpensa: In die sancto Paschæ stante fratre meo Sigiberto in Ecclesia procedente Diacono cum sancto Euangeliorum libro, nuncius Regi aduenit, vnáque vox fuit pronuntiantis Lectionem Euangelicam ac nuncij dicentis, Filius natus est tibi: vnde factum est, vt omnis populus in vtraque annuntiatione proclamaret pariter: Gloria Deo omnipotenti. Sed baptismum in die sancto Pentecostes accepit, & Rex nihilominus in die sancto Dominicæ Natiuitatis est eleuatus, vnde si oratio nostra prosequitur, poterit hic Domino annuente regnare. Ad hunc porrò annum differt Sigibertus Gemblacensis obitum S. Vedasti Atrebatensis Episcopi, quem viri pereruditi censent contigisse anno circiter 540. & in sequentem annum coniicit S. Amandi ortum, qui fuit postea Episcopus Traiectensis, quem alij natum contendunt anno 594. Tu ex iis Lector perpendas velim, quam subiesta sit in plerisque etiam ad Belgicam Historiam spectantibus Sigebertini Chronici fides, quæ olim sancta apud plurimos & inuiolabilis habebatur.* Sub finem eiusdem anni arbitror Gepidarum regnum finem accepisse, quibus à Langobardis prælio superatis Cunicmundus Rex campo occubuit, & thesauri eius Iustino Imp. ad integrum perducti sunt C P. inquit Ioannes Biclarensis.

Anno Christi DLXXII. *Chilperici & fratrum eius* 11. Alboinus Rex Langobardorum ab Helmige aliísque, consentiente vxore sua Rosemunda, Veronæ interfectus est. Is verò Helmegis cum Reginâ, quam in matrimonium sociauerat, & omni

thesauro ac parte exercitus Rauennam petiit, ac Reip. Romanæ se tradidit, inquit Marius anno 6 post Consulatum Iustini Indictione V. cui suffragari videtur Ioannes Biclarienſis; Alboinus Lang. Rex factione coniugis suæ à suis nocte interficitur, thesauri verò eius cum ipsa Reginâ in Reip. Romanæ ditionem obueniunt, & Langobardi sine Rege & thesauro remansere. Alij tamen vulgò, quibus in Chronico Technico subscripsimus, in Gregorij Turonensis & Pauli Diaconi sententiam abeunt, vt dicemus post biennium. Leouigildus Rex Wesigothorum Cordubam nocte occupat, multásque vrbes & castella in Gothorum dominium reuocat. Miro Sueuorum Rex bellum contra Aragones mouet. Domnus Elenensis Episcopus clarus habetur. Ioannes Papa huius nominis III. Catullinus dictus obiit die 13. Iulij, postquam sedisset annis 12. mens. 11. & diebus 16. eóque mortuo per annum ferè vacauit Romana sedes, hoc est decem menses cum tribus diebus. Concilium Bracarense II. sub Mirone, siue Theodemiro, Sueuorum Rege Kalendis vel Maij vel Iunij Æra 610. cui S. Martinus ex Abbate Dumiensi Archiepiscopus Bracarensis præfuit. Postea actum est & aliud Luci Concilium Gaspari Loaisæ, aliísque Conciliorum Collectoribus non sat bene notum, ad quod spectare videntur verba hæc, quæ habentur pag. 195. Conciliorum Hispaniæ. Ego Theodemirus Rex cognomento etiam Mirus, Galleciæ totius prouinciæ Rex, &c. prius peractam Bracarensem Synodum secundam sub æra 610. &c. *De morte S. Euphronij ætate septuagenaria Episcopatus anno 17. die 4. Augusti, eiúsque successoris Gregorij Turonensis die 21. Augusti Dominico consecrati primordiis nonnihil diximus in Chronico Technico. Alij in annum sequentem differre malunt, aut 574. initium biennio ante regnum Childeberti, quod veritati minus consonat. Redeuntem Turonos Gregorium gratulatorio carmine excepit Venantius Fortunatus, quod extat initio lib. 5. Non sunt omittenda ipsa Gregorij verba cap. 1. libri secundi Miraculorum S. Martini Episcopi: Anno 172. post transitum B. Martini Antistitis, Sigiberto Rege 11. non 12. anno regnante post excessum S. Euphronij Episcopi onus Episcopale indignus accepi.*

Anno Christi DLXXIII. *Chilperici ac fratrum* 12. Benedictus I. Cognomento Bonosus, post longam vacationem electus est Romanus Pontifex die 16. Maij. Ioannes Biclarienſis id testatur in Chronico ad annum Iustini 7. Leouigildi 5. ad-

dítque I. Luibâ Rege mortuo Hiſpaniam omnem cum Galliâ Narbonenſi, ſiue Gothica, in poteſtate Leouigildi fuiſſe. II. Eundem Regem Sabariam ingreſſum Sapos vaſtaſſe, duóſque filios ex amiſſa coniuge conſortes regni feciſſe. III. Mauſonam Emeritenſem Epiſcopum in noſtro dogmate claruiſſe. IV. Iuſtinum Imperatorem graui infirmitate concuſſum, quæ ab aliis cerebri motio, ab aliis dæmonum vexatio putabatur. V. multa millia hominum inguinali plaga C P. defuiſſe. VI. Legatos Mauritarum C P. venientes amicitias cum Romanis conciliaſſe, oblatis Iuſtino elephantinis dentibus & Camelopardali. Hoc anno, inquit Marius, Clebus ſiue Clephis Dux Langobardorum gentis ordinatus eſt, & plures ſeniores & mediocres ab eo ſunt interfecti. *Obiit verò Vaifarius Dux Francorum & in locum eius Dux ſubſtitutus eſt Theodofridus. Die* 11. *Septembris celebratum eſt Concilium Pariſienſe IV. in S. Petri baſilica in quo Papoli Carnotenſis Epiſcopi cauſa ſuſcepta eſt aduerſus Promotum, qui in Caſtro Dunenſi Epiſcopus temerè fuerat ordinatus ab Ægidio Remenſi, ad quem extat Conſtitutio Synodi, data die* 3. *Iduum Septembrium anno* 12. *regum Dominorum noſtrorum Indict. VI. Extat quoque eiuſdem Synodi Epiſtola ad Sigebertum Regem, vt Promoti cauſam non defendat. Cæterùm rectè obſeruat Sirmondus apud Gallos non à Kalendis Septembris, vt paſſim alibi, inchoari ſolitas Indictiones, ſed ex die* 24. *Septembris, ideóque hîc non malè Indictionem ſextam more Gallico comparari cum die Septembris vndecimo. Quam obſeruationem miror ab aliis aut non animaduerſam, aut certè diſſimulatam. Huic verò inter cæteros Epiſcopos ſubſcripſerunt Felix Bituricenſis, & alter Felix Nannetenſis Antiſtites.*

Anno Chriſti DLXXIV. *Chilperici ac fratrum eius* 13. *Ipſis Kalendis Ianuariis feliciter migrauit ex huius corporis ergaſtulis S. Felix Biturigum Antiſtes, ſepultúſque eſt in Eccleſia de Caſtro. Succeſſit Remigius, dictus etiam Remedius, ad annos decem vndecímve, cuius mentio apud Gregor. Tur. & Aimoinum. Marius Ind.* 7. *Langobardos ingreſſos eſſe docet in Vallenſe territorium, Cluſas obtinuiſſe, & in Monaſterio ſanctorum Acaunenſium diebus multis habitaſſe, cum exercitu Francorum poſtea in Baccis pugnam commiſiſſe, vbi pluribus interfectis pauci fuga liberati ſunt. Sed & Mauri & aliæ gentes qui in Francorum prouincias ingredi præſumpſerunt, ab ipſis deuicti ſunt. Hæc autem Langobardorum cædes longè diuerſa eſt ab ea quam Greg. fusè explicat cap.* 39. *lib.* 4. *& ex eo Paulus Varnefridus lib.* 2. *cap.* 32. *& lib.* 3. *cap.* 1. Cæſo

ex communi ſententia hoc, vel ſub finem ſuperioris anni Alboino Langobardorum Regi, cùm ſex ſeptémve annos in Italia regnaſſet, ſucceſſit Clepis ad vnum annum & ſex ferè menſes. Ioannes Biclarienſis hæc habet: I. Perſas cum Romanis pacis fœdera rupiſſe, cæſáque eorum multitudine Daras cepiſſe ac diripuiſſe. II. Tiberium Excubitorum Comitem à Iuſtino Cæſarem factum, eáque die in Regia vrbe luem inguinariam ſedatam eſſe. Chronicon Alexandrin. paullò enucleatiùs: Iuſtini anno 8. Indictione 8. die Septembris 7. Cæſarem creatum fuiſſe Tiberium Iuniorem, nominatúmque Conſtantinum, & vixiſſe cum Iuſtino annis quatuor. III. Leouigildum Cantabriam ingreſſum Amayam occupaſſe, & prouinciam in ſuam ditionem reuocaſſe. *Francorum Reges inter ſe diſſident. Clodoueus Chilperici filius de Turonico electus Burdegalam abiit, quem Sigulfus à parte Sigiberti inde fugauit. Ille per Andegauos ad patrem rediit. Cùm autem contentio inter Guntramnum quoque & Sigebertum verteretur, Guntramnus apud Pariſios omnes Epiſcopos regni ſui congregauit, vt inter vtroſque, quid veritas haberet, edicerent. Sed eos audire diſtulerunt. Chilpericus autem per Theodebertum filium ciuitates Sigeberti Turonos, & Pictauos, & reliquas circa Ligerim peruadit: Lemouicinum & Cadurcinum depopulatur; Gundobaldum Ducem ſuperat. Sigebertus verò cum Tranſrhenanis Chilperico bellum infert, cui primùm ſe iunxit Guntramnus, deinde ad Sigebertum tranſiit: quod cernens Chilpericus pacem petiit, ciuitatéſque à Theodeberto peruaſas reddidit. Plura de his aliiſque dabit Gregorius cap. 42. & 44. Scribit verò hoc vel ſeq. anno S. Germanus ad Brunechildem Reginam, vt Sigebertum reuocet à bello, quod Chilperico fratri ſuo inferre parabat.*

Anno Chriſti DLXXV. *Chilperici & fratrum eius* 14. Iuſtinianus Dux Romanæ militiæ auxilio gentium fortiſſimarum, quæ Herman nuncupantur, inter Daras & Nozinios ingentes Choſdrois copias ſuperat, caſtra peruadit, Perſidem vaſtat, atque inter ceteras exuuias pro triumpho dirigit 24. elephantos. Alamundarus Saracenorum Rex venit C P. & à Tiberio Cæſare benignè exceptus, cum donis optimis in patriam rediit. Victoriam Iuſtiniani Ducis aduerſus Perſas pluribus perſequitur Euagrius lib. 5. cap. 14. & de morte Choſdrois atque Hormiſdæ filij in regnum ſucceſſione cap. ſequenti nonnulla ſubiungit. Leouigildus Aregenſes (ſunt quoque qui Aragonenſes legant) montes ingreſſus Aſpidium cum vxore & filiis captiuum

captiuum ducit, opéſq; eius, & loca in ſuâ redigit poteſtatem. Poſt Clepi cædem ab aliquo è ſuis perpetratam Langobardos regere incipiunt triginta Duces ad decennium. *Redintegrato inter fratres Francorum Reges ciuili bello, Chilpericus inito cum Guntramno fœdere, Remenſem Campaniam intrat, cuncta incendens atque debellans. Quo audito Sigebertus, Tranſrhenanis iterum ductis, Pariſios venit, mittens nuntios Dunenſibus & Turonicis, vt contra Theodebertum Chilperici filium irent. Quod cùm diſſimularent, Godegiſilum & Guntramnum Duces miſit. Pugnant cum Theodeberto, qui in prœlio mortuus eſt, & ſepultus ab Arnulfo quodam apud Engoliſmam. Chilpericus cognoſcens, quòd iterum ſe Guntramnus cum Sigeberto pacificaſſet, ſe intra Tornacenſis vrbis muros cum Fredegunde vxore, & filiis communiuit. At Sigebertus obtentis ciuitatibus illis, quæ circa Pariſios ſunt poſitæ, vſque Rotomagenſem vrbem acceſſit, indéque regreſſus Pariſios venientem Brunechildem cum filio excepit. Franci qui ſub Childeberto quondam fuerant, legatione miſsâ Sigebertum in locum Chilperici Regem ſupra ſe ſtabilire decernunt. Quo audito Sigebertus miſit, qui fratrem Tornaci obſiderent, quod ſanctus Germanus Pariſienſis Epiſcopus prohibuit, ſed ille non audiit, progreſsúſque vſque ad Victoriacum caſtrum haud procul Camaraco, ab exercitu impoſitus clypeo Rex proclamatus eſt. Verùm ſubmiſſi à Fredegunde ſicarij duo cultris validis, quos Scramaſaxos vocant, latera ei confodiunt, nec multo pòſt obiit ætate quadragenaria anno regni ſui 14. Ibi & Charegiſilus Cubicularius eius corruit. His auditis, Chilpericus Tornaco egreſſus fratrem ſuum veſtitum apud Lambros vicum ſepeliuit: vnde poſtea Sueſſionas tranſlatus in Baſilica ſancti Medardi ſecus Clotarium patrem ſepultus eſt. A tranſitu Theodeberti ſenioris vſque ad exitum Sigeberti ſupputantur anni 39. inter exitum eius & nepotis ſui Theodeberti fuere dies 18. Mortuo Sigeberto regnare cæpit Childebertus iunior, nondum luſtro ætatis peracto ipſo Dominici Natalis die ab Auſtraſiis eleuatus in Regem. Quæ omnia ex Gregorij Turonenſis extremo libro 4. & initio quinti ſtrictim libauimus. Marius aut tardiùs procedit, aut de Indictione nonâ tantumnon inchoatâ, vt ſæpe aliàs, intelligendus eſt. Fortunatus Poëta, inquit Sigebertus in Chronico, venieńs ab Italia claret in Galliâ. Verùm longè ante hæc tempora aduentum eius in Gallias multa ſuadent, imprimis vita S. Germani, carmen de nuptiis Sigeberti Regis, & alia, de quibus ex Greg. Aimoino, Bandominia, aliíſque dicemus Deo dante in altera Parte Bibliothecæ Vniuerſalis.*

Anno Chriſti DLXXVI. *Childeberti primo, Guntramni &*

Chilperici 15. Indictione 9. currente, Iustini 11. Chilpericus Rex Parisios venit: Brunichildem Rotomagum in exilium trudit, & filias eius Meldis vrbe teneri præcipit. Meroueus Chilperici filius post actos Turonis Paschæ dies Rotomagum profectus Brunichildi matrimonio se sociat: Chilpericus ea re offensus accurrit, assumptóque Meroueo Sueßionas redit. Campani Sueßionas aggressi Fredegundem & Clodoueum filium Chilperici fugant. Hic prælio congressus, eos profligat. Sigo qui annulum Sigeberti olim tenuerat, postea Chilperici, relicto Chilperico ad Childebertum Sigiberti filium transit. Rucculenus à Chilperico cum Cenomanis Turonos missus Guntramnum Ducem, qui de morte Theodeberti impetebatur, de basilica S. Martini frustra repetit. Interim aduenit dies festus Epiphaniæ. Inde Pictauum abiit morbo regio laborans. Erant dies Quadrageßimæ, cuniculorum tamen fœtus edit, & cùm in Calendis Martiis Pictauos affligere decreuißet, pridie animam reddidit. Felix Episcopus Nanneticæ vrbis villam Eccleßæ concupiscens literas scribit ad Greg. Tur. Leonastes Biturigis Archidiaconus Turonis à S. Martino sub eius solemnitatem sanatus, cùm postea ventosas Iudæi opera adhibuißet, ad pristinam rediit cæcitatem. Ex hac vita migrarunt, S. Senoch presbyter, Theifalus genere, qui apud Turones morabatur. S. Germanus Parisiorum Episcopus die 28. Maij, Caluppa recluſus apud Melitenſe monaſterium termini Aruernici, Patroclus item recluſus Presbyter in Biturico. Auitus Aruernorum Episcopus Iudæos ampliùs quingentos baptizat in Pentecoste, reliqui Maßiliam abierunt. Obiit Brachio Abbas cellæ Menatenßis genere Thoringus. Chilpericus Clodoueum filium Turonos mittit, qui collecto exercitu Santonas peruadit. Mummolus Patricius Guntramni Regis cum magno exercitu vsque ad Lemouicinum transit, & contra Desiderium Ducem Chilperici pugnauit. Desiderius 24. millibus amißis vix euasit. Meroueus patris iußu tonsoratus ad monaßerium, cui nomen Aninsula, mittitur. Inde Guntramni Bosonis, qui tunc in basilica S. Martini residebat, consilio, eandem basilicam expetiit. Gregorius poscenti eulogias tandem conceßit consensu Ragnemodi Episcopi Parisiensis, qui aderat. Chilpericus eiici iubet, quod fieri posse negat Gregorius, quem vide ista prolixius enarrantem, & multa de Munderico Aristensi Episcopo, & Lingonenßibus Præsulibus, ac fratre suo Petro occiso ac Diuione secus Gregorium proauum suum sepulto interserentem à cap. 1. lib. 5. ad 14. Qui verò, vt id obiter moneam, Gregorij, qui tunc viuebat, scribebátque, Chronologiæ, Fredegarij hominis ignoti, qui post 70, aut vt alij censent 150. fermè annos vixit, scripsítque, Chronologiam præferunt, ij mihi Sole vniuersum quaqua patet orbem colluſtrante candelam accende-

re, ac relicto fonte limpidissimo è turbidis riuulis haurire velle videntur. Bandarius, inquit Ioannes Biclarienſis, gener Iuſtini Imp. à Langobardis prœlio vincitur, & non multo poſt vitæ finem accipit. Romanus filius Anagaſti patricij Magiſter militiæ Sueuorum gentis Regem viuum cepit adduxítque CP. cum theſauro vxore & filiis. Leouigildus Sueuorum fines in Gallicià conturbat, ſed à Rege Mirone per Legatos rogatus pacem illi pro paruo tempore tribuit. Selauini ſeu Sclauini in Thracia multas vrbes Romanorum peruadunt. Abares litora maris captiosè obſident & nauigantibus infeſti ſunt.

Anno Chriſti DLXXVII. *Childeberti* 2. *Guntramni* 16. *Meroueus cum duce Guntramno ad Brunichildem pergere cogitat. Leudaſtes Comes Merouei pueros interficit. Guntramnus ad Pythoniſſam mittit. Fredegundis Guntramnum Ducem inſtigat aduerſus Meroueum. Chilpericus epiſtolam mittit ad ſepulcrum S. Martini. Meroueus tres libros Pſalterij, Regum, & Euangeliorum ponit ſuper ſepulcrum S. Martini ſortem interrogans. Cum Guntramno Duce diſcedit. Ab Erpone Duce captus in Antiſiodorenſi territorio euaſit ad S. Germani baſilicam. Chilperici exercitus Turonos deuaſtat. Meroueus à baſilica S. Germani ad Brunechildem peruenit, ſed ab Auſtraſiis non eſt collectus. Saxones à Suauis caſi. In Britanniis Theodoricus Bodicci filius collecto exercitu Macliauum patruum, à quo pulſus fuerat contra ſacramentum Bodicco fratri datum, occidit, & Iacob filium eius, partémque regni, quam pater olim tenuerat, recipit; alteram partem Varochus Macliaui filius vindicauit. Guntramnus Rex duos Magnacharij quondam filios occidit eò quòd in Auſtrigildem reginam eiúſque ſobolem obloquerentur. Duo eius filij ſubitò mortui. (Clotacharium & Clodomerem vocat Marius eorúmque epitaphia edidit Ducheſnius pag. 518. Tomi I.) itaque cùm ſine liberis eſſet, Childebertum acciuit, & ad Pontem petreum exceptum in filium & hæredem adoptauit. Dubictas Paſchæ eo anno fuit, vt pluribus diximus in Chronico Technico. Cainone die Reſurrectionis Eccleſia tremuit. Guntramnus & Childebertus Legatos mittunt Chilperico, vt reddat, quæ de ipſorum regnis minuerat. quod ille deſpiciens Circos apud Sueſſionas atque Pariſios ædificari præcepit. Chilpericus Synodum Epiſcoporum Pariſiis conuocat aduerſus Prætextatum Rotomagenſem Epiſcopum, qui Meroueum cum Brunichilde coniunxerat. Calumniæ Regis aduerſus eundem qui circumuentus falſa crimina confitetur, & raptus ex oculis Epiſcoporum in Inſulam maris, quod adiacet ciuitati Conſtantinæ, in exilium eſt detruſus. Meroueus Tarauanenſium dolo, dum ad illos acci-*

tus properat, in hoſpitiolo necatur, vel à Gaileno familiari ipſo rogante, vel reginæ iuſſu. Ægidius Epiſcopus & Guntramnus Boſo participes doli habiti. Vvinnochus Brito Turonos venit & Preſbyter à Gregorio Ep. ordinatur. Samſon iunior filius Chilperici cùm pater Tornaci à Sigeberto fratre obſideretur natus, luſtro vno nec perfecto defunctus eſt. In medio Lunæ ſtella fulgens viſa elucere cum aliis prodigiis. Guntramnus Boſo Turonos veniens filias ſuas, quas in baſilica S. Martini reliquerat, vi abſtulit, & Pictauos perduxit: accedente verò Chilperico relictis filiabus in baſilica S. Hilarij ad Childebertum Regem tranſiit. Hæc Greg. Tur. lib. 5. à cap. 14. ad 24. multis pro more inſertis præſertim, quæ ad theſauros à Tiberio Cæſare inuentos, & damnationem ac ſcelera Salonij & Sagittarij Epiſcoporum pertinent. Benedictus I. Papa obiit die 31. Iulij poſt ſedem annorum 4. menſium 2. & dierum 15. Succeſſit Pelagius II. ſeu iunior dictus die 10. vel 11. Nouembris: cui non 11. dumtaxat anni, ſed omnino 12. cum tribus fermè menſibus tribuendi ſunt. S. Rupertus Vangionum Epiſcopus Boios ad fidem conuertit anno ſecundo Childeberti Francorum Regis, cùm Theodo III. ei regioni præeſſet, vt diſcimus ex vita S. Ruperti die 27. Martij. S. Eutychius venit C P. die Dominica 3. Octobris, vt dicit Euſtathius. Errant ergo qui in annum ſequentem differunt, cùm & Theophanes id factum narret Indictione XI. & Cedrenus annis 13. poſtquàm fuiſſet eiectus. Abares Thracias vaſtant & C P. à Muro longo obſident. Leouigildus Oroſpedam occupat, totámque ruſticis rebellantibus oppreſſis poſſidet anno regni ſui nono.

Anno Chriſti DLXXVIII. *Childeberti tertio, Chilperici & Guntramni 17. vt expreſsè dicit lib. 5. cap. 25. Gregorius Turonenſis mille Fredegariis, ſimiliſque genij ſcriptoribus potior, Dacco ad Chilpericum Regem deductus Brannacum, accepta à Preſbytero, Rege neſciente, pœnitentia interfectus eſt. Draccolenus, qui dicebatur Induſtrius, irruit in Guntramnum Boſonem, qui eo occiſo, cum filiabus, quas ex Pictauo abducebat, liber abſceſſit. Chilpericus in Britanniam mouere iubet Turonicos, Pictauos, Baiocaſſinos, Cenomanicos, Andegauos cum aliis multis aduerſus Vvarochum Macliaui filium: quibus ad Vicinoniam fluuium reſidentibus Vvarochus noctu in Saxones Baiocaſſinos ruens maximam partem interfecit. Poſt die tertia pacem cum Ducibus Chilperici fecit, & obſidem filium dedit, quòd fidelis Regi eſſet. Venetos quoque ciuitatem refudit. quo facto exercitus ab eo loco remotus eſt. Chilpericus de pauperibus vel iunioribus Eccleſiæ bannos iuſſit exigi, eò quòd in exercitu non*

ambulassent: neque enim erat consuetudo, vt hi vllam exoluerent functionem. Post hæc Vvarochus volens irrumpere quod fecerat, Eunium Ep. Veneticæ vrbis ad Chilpericum Regem dirigit, quem obiurgatum Rex exilio damnari præcepit. Vide cap. 25. & 26. lib. 5. Gregorij Turonensis. Marius hoc anno collocat necem Merouei, quam nos superiore an posuimus. Concilium Antisiodorense ab Aunario seu Aunachario Episcopo cum diœcesis suæ Abbatibus 7. & Presbyteris 34. Extant canones eius 45. Leouigildus ciuitatem in Celtiberia condidit, & ex filij sui nomine Recopolim nuncupauit. Ioannes Presbyter Emeritensis Ecclesiæ clarus habetur. Iustinus II. Imperator inchoata iam Indictione XII. die Septembris 26. Tiberium iuniorem Constantinum ex Cæsare Augustum coronauit, & sequentis mensis Octobris die 4. aut 5. vitâ excessit, cùm imperasset annos 11. & fermè totidem menses. Tiberius verò, vt subdit Chronicon Alexandrinum, solus imperauit alios an. 4. non sex, quemadmodum ex Ioanne Biclarienſi colligitur, cuius rationes haud dubiè hac in parte turbatæ sunt. Consule Marium, Euagrium, Theophanem, Paulum Diaconum, Cedrenum, Zonaram, aliósque. Gregor. quoque Turonensem lib. 5. capp. 19. & 30. vbi manifestissimo errore pro 12. legitur 18. imperij anno. Ibi multa reperies de insidiis à Sophia Augustâ & Iustiniano paratis, Sophiæ exauctoratione, *&c.* Sunt quoque qui in an. seq. Iustini differant obitum.

Anno Christi DLXXIX. *Childeberti* 4. *Guntramni* 18. *cuius iussu Synodus apud Cabillonem ciuitatem acta est, in quâ Salonius & Sagittarius Episcopi ad pristina reuersi scelera ac maiestatis crimine præterea insimulati, ab Episcopatu discincti, in basilicam B. Marcelli sub custodia detrusi sunt, ex quâ per fugam elapsi, discesserunt per diuersa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij subrogati sunt. Chilpericus Rex nouis indictionibus subditos suos grauat. Lemouicinus populus Marcum Referendarium interficere voluit congregatus Kal. Martiis, sed eum Ferreolus Episcopus liberauit. Incensi sunt descriptionum libri; quâ de causa Rex offensus immensis damnis eos afflixit. Britanni regionem Redonensem vastant, vsque Cornutium vicum bellando progressi. Eunius Episcopus de exilio reductus Andegauo ad pascendum delegatur, nec ad Veneticam redire permittitur. Bippolenus Dux contra Britannos missus aliqua illorum loca ferro incendióque opprimit. Britanni vrbes Nanneticam Redonicámque infestant. Felix Episcopus ad eos legationem mittit, sed promissa non implent. Apud Parisios mulier adulterij insimulata mul-*

interfeciſſe referuntur. Leouigildus à Liuba fratre in conſortium regni aſcitus Hiſpanias regere incipit, fratre Gothiam ſibi, ſiue Septimaniam, dumtaxat ex omni regno reſeruante. Plura Iſidorus tum in Chronico vulgari, tum in ampliori à nobis ex MS. edito, Ioannes Biclarenſis Abbas & Greg. Turon. lib. 4. cap. 32. qui refert Leouigildum defunctâ priore coniuge, ex quâ duos filios habebat Hermenigildum & Recaredum, quorum vnus Sigiberti, alter Chilperici filiam deſponſauit, Goiſuintam relictam Athanagildi, Brunechildis Reginæ matrem, in vxorem accepiſſe. Idem Biclarenſis Abbas docet I. Garamantes pacem cum Romanis per Legatos & Fidei Catholicæ ſocietatem petiiſſe atque impetraſſe. II. Theodorum Præfectum Africæ à Mauris interfectum. III. Mauritarum gentem his temporibus fidem recepiſſe.

Anno Chriſti DLXX. *Chilperici & fratrum eius* 9. Leouigildus anno regni ſui ſecundo loca Baſtaniæ & Malacitanæ vrbis vaſtat & victor ſolio redit. In prouincia Galliciæ Miro poſt Theodemirum Sueuorum Rex efficitur. Theoctiſtus Magiſter militum prouinciæ Africanæ à Mauris bello ſuperatus interiit. Iuſtinus Imperator per Tiberium Excubitorum Comitem in Thracia bellum genti barbarorum ingerit, & victor CP. redit. In eandem vrbem venit Legatio Turcorum hoc quarto labente Iuſtini anno. De Zemarcho ad eoſdem miſſo vide Menandrum & Theophanem Byzantium, noſtráſque ad hunc poſtremum Animaduerſiones. *Charibertus Francorum Rex ob illegitima coniugia à ſancto Germano Pariſienſi Antiſtite ſacris interdictus, anno regni ſui nono obiit, & apud Blauiam oppidum in littore Santonico ſepultus eſt in baſilica ſancti Romani martyris. Regnum eius ſorte diuiſum in fratres fuit. Qui Blauiæ Charibertum obiiſſe volunt, perpendant velim quæ Greg. Turon. refert de Euphronio deceſſore ſuo cap. 19. de Gloria Confeſſorum. Hoc porrò anno obiiſſe Celſum Patricium teſtis eſt Marius, & morbum validum cum profluuio ventris & variolâ Italiam Galliámque valdè afflixiſſe. Quæ de Saxonibus, qui cum Langobardis in Italiam venerant & iterum proruperant in Gallias, per regnum Sigeberti Regis in patriam ſuam reuerſis: quid de tribus Langobardorum Ducibus Amone, Zabane ac Rhodano ab eodem Mummolo interfectis referat Greg. Turon. conſulet per otium Lector. Poſt eiuſdem Chariberti mortem atrox identidem exarſit Ciuile bellum Chilpericum inter ac Sigebertum Francorum Reges, nunc hanc nunc illam in partem*

inclinante Guntranno, vt post Gregorium per plura capita exposuit Aimoinus lib. 3. Neque enim in singulos annos commodè omnia illa digeri queunt. Mahometes siue Machammedus hoc anno natus creditur die 5. Maij feria 2.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DLXXI. *Chilperici ac fratrum eius* 10. Indictione 4. Iustinus Imperator Armeniam & Iberiam repulsis Persis Romanas fecit prouincias, & bellum Persarum per suos duces peregit. Amabilis Magister militiæ Africanæ à Mauris occiditur. Leouigildus Wesigothorum Rex Asinodam vrbem proditione occupat. Donatus Abbas Monasterij Seruitani mirabilium operator clarus habetur. *Italiam Galliámque infanda infirmitas deuastat, quam glandulam siue pustulam vocat Marius. Childebertus Sigeberti ac Brunechildis filius hoc non superiori anno nascitur. Docet hoc Greg. Turon. lib. 5. cap. 1. collato cum cap. 4. lib. 8. vbi Guntramnus hæc de Childeberto prædicat à nostris Scriptoribus non satis accuratè perpensa: In die sancto Paschæ stante fratre meo Sigiberto in Ecclesia procedente Diacono cum sancto Euangeliorum libro, nuncius Regi aduenit, vnáque vox fuit pronuntiantis Lectionem Euangelicam ac nuncij dicentis, Filius natus est tibi: vnde factum est, vt omnis populus in vtraque annuntiatione proclamaret pariter: Gloria Deo omnipotenti. Sed baptismum in die sancto Pentecostes accepit, & Rex nihilominus in die sancto Dominicæ Natiuitatis est eleuatus, vnde si oratio nostra prosequitur, poterit hic Domino annuente regnare. Ad hunc porrò annum differt Sigibertus Gemblacensis obitum S. Vedasti Atrebatensis Episcopi, quem viri pereruditi censent contigisse anno circiter 540. & in sequentem annum coniicit S. Amandi ortum, qui fuit postea Episcopus Traiectensis, quem alij natum contendunt anno 594. Tu ex iis Lector perpendas velim, quam subiesta sit in plerisque etiam ad Belgicam Historiam spectantibus Sigebertini Chronici fides, quæ olim sancta apud plurimos & inuiolabilis habebatur.* Sub finem eiusdem anni arbitror Gepidarum regnum finem accepisse, quibus à Langobardis prælio superatis Cunicmundus Rex campo occubuit, & thesauri eius Iustino Imp. ad integrum perducti sunt C P. inquit Ioannes Biclarensis.

Anno Christi DLXXII. *Chilperici & fratrum eius* 11. Alboinus Rex Langobardorum ab Helmige aliísque, consentiente vxore sua Rosemunda, Veronæ interfectus est. Is verò Helmegis cum Reginâ, quam in matrimonium sociauerat, & omni

dítque I. Luibâ Rege mortuo Hiſpaniam omnem cum Galliâ Narbonenſi, ſiue Gothica, in poteſtate Leouigildi fuiſſe. II. Eundem Regem Sabariam ingreſſum Sapos vaſtaſſe, duóſque filios ex amiſſa coniuge conſortes regni feciſſe. III. Mauſonam Emeritenſem Epiſcopum in noſtro dogmate claruiſſe. IV. Iuſtinum Imperatorem graui infirmitate concuſſum, quæ ab aliis cerebri motio, ab aliis dæmonum vexatio putabatur. V. multa millia hominum inguinali plaga C P. defuiſſe. VI. Legatos Mauritarum C P. venientes amicitias cum Romanis conciliaſſe, oblatis Iuſtino elephantinis dentibus & Camelopardali. Hoc anno, inquit Marius, Clebus ſiue Clephis Dux Langobardorum gentis ordinatus eſt, & plures ſeniores & mediocres ab eo ſunt interfecti. *Obiit verò Vaifarius Dux Francorum & in locum eius Dux ſubſtitutus eſt Theodofridus. Die* 11. *Septembris celebratum eſt Concilium Pariſienſe IV. in S. Petri baſilica in quo Papoli Carnotenſis Epiſcopi cauſa ſuſcepta eſt aduerſus Promotum, qui in Caſtro Dunenſi Epiſcopus temerè fuerat ordinatus ab Ægidio Remenſi, ad quem extat Conſtitutio Synodi, data die* 3. *Iduum Septembrium anno* 12. *regum Dominorum noſtrorum Indict. VI. Extat quoque eiuſdem Synodi Epiſtola ad Sigebertum Regem, vt Promoti cauſam non defendat. Cæterùm rectè obſeruat Sirmondus apud Gallos non à Kalendis Septembris, vt paſſim alibi, inchoari ſolitas Indictiones, ſed ex die* 24. *Septembris, ideóque hîc non malè Indictionem ſextam more Gallico comparari cum die Septembris vndecimo. Quam obſeruationem miror ab aliis aut non animaduerſam, aut certè diſſimulatam. Huic verò inter cæteros Epiſcopos ſubſcripſerunt Felix Bituricenſis, & alter Felix Nanetenſis Antiſtites.*

Anno Chriſti DLXXIV. *Chilperici ac fratrum eius* 13. *Ipſis Kalendis Ianuariis feliciter migrauit ex huius corporis ergaſtulis S. Felix Biturigum Antiſtes, ſepultúſque eſt in Eccleſia de Caſtro. Succeſſit Remigius, dictus etiam Remedius, ad annos decem vndecímve, cuius mentio apud Gregor. Tur. & Aimoinum. Marius Ind.* 7. *Langobardos ingreſſos eſſe docet in Vallenſe territorium, Cluſas obtinuiſſe, & in Monaſterio ſanctorum Acaunenſium diebus multis habitaſſe, cum exercitu Francorum poſtea in Baccis pugnam commiſiſſe, vbi pluribus interfectis pauci fuga liberati ſunt. Sed & Mauri & aliæ gentes qui in Francorum prouincias ingredi præſumpſerunt, ab ipſis deuicti ſunt. Hæc autem Langobardorum cædes longè diuerſa eſt ab ea quam Greg. fusè explicat cap.* 39. *lib.* 4. *& ex eo Paulus Varnefridus lib.* 2. *cap.* 32. *& lib.* 3. *cap.* 1. Cæſo

captiuum ducit, opésq; eius, & loca in suâ redigit potestatem. Post Clepi cædem ab aliquo è suis perpetratam Langobardos regere incipiunt triginta Duces ad decennium. *Redintegrato inter fratres Francorum Reges ciuili bello, Chilpericus inito cum Guntramno fœdere, Remensem Campaniam intrat, cuncta incendens atque debellans. Quo audito Sigebertus, Transrhenanis iterum ductis, Parisios venit, mittens nuntios Dunensibus & Turonicis, vt contra Theodebertum Chilperici filium irent. Quod cùm dissimularent, Godegisilum & Guntramnum Duces misit. Pugnant cum Theodeberto, qui in prœlio mortuus est, & sepultus ab Arnulfo quodam apud Engolismam. Chilpericus cognoscens, quòd iterum se Guntramnus cum Sigeberto pacificasset, se intra Tornacensis vrbis muros cum Fredegunde vxore, & filiis communiuit. At Sigebertus obtentis ciuitatibus illis, quæ circa Parisios sunt positæ, vsque Rotomagensem vrbem accessit, indéque regressus Parisios venientem Brunechildem cum filio excepit. Franci qui sub Childeberto quondam fuerant, legatione missâ Sigebertum in locum Chilperici Regem supra se stabilire decernunt. Quo audito Sigebertus misit, qui fratrem Tornaci obsiderent, quod sanctus Germanus Parisiensis Episcopus prohibuit, sed ille non audiit, progressúsque vsque ad Victoriacum castrum haud procul Camaraco, ab exercitu impositus clypeo Rex proclamatus est. Verùm submissi à Fredegunde sicarij duo cultris validis, quos Scramasaxos vocant, latera ei confodiunt, nec multo pòst obiit ætate quadragenaria anno regni sui 14. Ibi & Charegisilus Cubicularius eius corruit. His auditis, Chilpericus Tornaco egressus fratrem suum vestitum apud Lambros vicum sepeliuit: vnde postea Suessionas translatus in Basilica sancti Medardi secus Clotarium patrem sepultus est. A transitu Theodeberti senioris vsque ad exitum Sigeberti supputantur anni 39. inter exitum eius & nepotis sui Theodeberti fuere dies 18. Mortuo Sigeberto regnare cæpit Childebertus iunior, nondum lustro ætatis peracto ipso Dominici Natalis die ab Austrasius eleuatus in Regem. Quæ omnia ex Gregorij Turonensis extremo libro 4. & initio quinti strictim libauimus. Marius aut tardiùs procedit, aut de Indictione nonâ tantumnon inchoatâ, vt sæpe aliàs, intelligendus est. Fortunatus Poëta, inquit Sigebertus in Chronico, venieńs ab Italia claret in Galliâ. Verùm longè ante hæc tempora aduentum eius in Gallias multa suadent, imprimis vita S. Germani, carmen de nuptiis Sigeberti Regis, & alia, de quibus ex Greg. Aimoino, Bandominia, aliísque dicemus Deo dante in altera Parte Bibliothecæ Vniuersalis.*

Anno Christi DLXXVI. *Childeberti primo, Guntramni &*

Chilperici 15. Indictione 9. currente, Iustini 11. Chilpericus Rex Parisios venit: Brunichildem Rotomagum in exilium trudit, & filias eius Meldis vrbe teneri præcipit. Meroueus Chilperici filius post actos Turonis Paschæ dies Rotomagum profectus Brunichildi matrimonio se sociat: Chilpericus ea re offensus accurrit, assumptóque Merouco Suessionas redit. Campani Suessionas aggressi Fredegundem & Clodoueum filium Chilperici fugant. Hic prælio congressus, eos profligat. Sigo qui annulum Sigeberti olim tenuerat, postea Chilperici, relicto Chilperico ad Childebertum Sigiberti filium transit. Rucculenus à Chilperico cum Cenomanis Turonos missus Guntramnum Ducem, qui de morte Theodeberti impetebatur, de basilica S. Martini frustra repetit. Interim aduenit dies festus Epiphaniæ. Inde Pictauum abiit morbo regio laborans. Erant dies Quadragesimæ, cuniculorum tamen fœtus edit, & cùm in Calendis Martiis Pictauos affligere decreuisset, pridie animam reddidit. Felix Episcopus Nanneticæ vrbis villam Ecclesiæ concupiscens literas scribit ad Greg. Tur. Leonastes Biturigis Archidiaconus Turonis à S. Martino sub eius solemnitatem sanatus, cùm postea ventosas Iudæi opera adhibuisset, ad pristinam rediit cæcitatem. Ex hac vita migrarunt, S. Senoch presbyter, Theifalus genere, qui apud Turones morabatur. S. Germanus Parisiorum Episcopus die 28. Maij, Caluppa reclusus apud Melitense monasterium termini Aruernici, Patroclus item reclusus Presbyter in Biturico. Auitus Aruernorum Episcopus Iudæos ampliùs quingentos baptizat in Pentecoste, reliqui Massiliam abierunt. Obiit Brachio Abbas cellæ Menatensis genere Thoringus. Chilpericus Clodoueum filium Turonos mittit, qui collecto exercitu Santonas peruadit. Mummolus Patricius Guntramni Regis cum magno exercitu vsque ad Lemouicinum transit, & contra Desiderium Ducem Chilperici pugnauit. Desiderius 24. millibus amissis vix euasit. Meroueus patris iussu tonsoratus ad monasterium, cui nomen Aninsula, mittitur. Inde Guntramni Bosonis, qui tunc in basilica S. Martini residebat, consilio, eandem basilicam expetiit. Gregorius poscenti eulogias tandem concessit consensu Ragnemodi Episcopi Parisiensis, qui aderat. Chilpericus eiici iubet, quod fieri posse negat Gregorius, quem vide ista prolixius enarrantem, & multa de Munderico Aristensi Episcopo, & Lingonensibus Præsulibus, ac fratre suo Petro occiso ac Diuione secus Gregorium proauum suum sepulto interserentem à cap. 1. lib. 5. ad 14. Qui verò, vt id obiter moneam, Gregorij, qui tunc viuebat, scribebátque, Chronologiæ, Fredegarij hominis ignoti, qui post 70, aut vt alij censent 150. fermè annos vixit, scripsítque, Chronologiam præferunt, ij mihi Sole vniuersum quaqua patet orbem collustrante candelam accende-

re, ac relicto fonte limpidissimo è turbidis riuulis haurire velle videntur. Bandarius, inquit Ioannes Biclarienſis, gener Iuſtini Imp. à Langobardis prœlio vincitur, & non multo poſt vitæ finem accipit. Romanus filius Anagaſti patricij Magiſter militiæ Sueuorum gentis Regem viuum cepit adduxítque CP. cum theſauro vxore & filiis. Leouigildus Sueuorum fines in Galliciâ conturbat, ſed à Rege Mirone per Legatos rogatus pacem illi pro paruo tempore tribuit. Selauini ſeu Sclauini in Thracia multas vrbes Romanorum peruadunt. Abares litora maris captiosè obſident & nauigantibus infeſti ſunt.

Anno Chriſti DLXXVII. *Childeberti* 2. *Guntramni* 16. *Merouens cum duce Guntramno ad Brunichildem pergere cogitat. Leudaſtes Comes Merouei pueros interficit. Guntramnus ad Pythoniſſam mittit. Fredegundis Guntramnum Ducem inſtigat aduerſus Merouenm. Chilpericus epiſtolam mittit ad ſepulcrum S. Martini. Merouens tres libros Pſalterij, Regum, & Euangeliorum ponit ſuper ſepulcrum S. Martini ſortem interrogans. Cum Guntramno Duce diſcedit. Ab Erpone Duce captus in Antiſiodorenſi territorio euaſit ad S. Germani baſilicam. Chilperici exercitus Turonos deuaſtat. Merouens à baſilica S. Germani ad Brunechildem peruenit, ſed ab Auſtraſijs non eſt collectus. Saxones à Suauis caſi. In Britanniis Theodoricus Bodicci filius collecto exercitu Macliauum patruum, à quo pulſus fuerat contra ſacramentum Bodicco fratri datum, occidit, & Iacob filium eius, partémque regni, quam pater olim tenuerat, recipit; alteram partem Varochus Macliaui filius vindicauit. Guntramnus Rex duos Magnacharij quondam filios occidit eò quòd in Auſtrigildem reginam eiúſque ſobolem obloquerentur. Duo eius filij ſubitò mortui. (Clotacharium & Clodomerem vocat Marius eorúmque epitaphia edidit Ducheſnius pag. 518. Tomi I.) itaque cùm ſine liberis eſſet, Childebertum acciuit, & ad Pontem petreum exceptum in filium & hæredem adoptauit. Dubietas Paſchæ eo anno fuit, vt pluribus diximus in Chronico Techni co. Cainone die Reſurrectionis Eccleſia tremuit. Guntramnus & Childebertus Legatos mittunt Chilperico, vt reddat, quæ de ipſorum regnis minuerat. quod ille deſpiciens Circos apud Sueſſionas atque Pariſios ædificari præcepit. Chilpericus Synodum Epiſcoporum Pariſijs conuocat aduerſus Prætextatum Rotomagenſem Epiſcopum, qui Merouenm cum Brunichilde coniunxerat. Calumniæ Regis aduerſus eundem qui circumuentus falſa crimina confitetur, & raptus ex oculis Epiſcoporum in Inſulam maris, quod adiacet ciuitati Conſtantinæ, in exilium eſt detruſus. Merouens Tarauanenſium dolo, dum ad illos acci-*

tus properat, in hospitiolo necatur, vel à Gaileno familiari ipso rogante, vel reginæ iussu. Ægidius Episcopus & Guntramnus Boso participes doli habiti. Vvinnochus Brito Turonos venit & Presbyter à Gregorio Ep. ordinatur. Samson iunior filius Chilperici cùm pater Tornaci à Sigeberto fratre obsideretur natus, lustro vno nec perfecto defunctus est. In medio Lunæ stella fulgens visa elucere cum aliis prodigiis. Guntramnus Boso Turonos veniens filias suas, quas in basilica S. Martini reliquerat, vi abstulit, & Pictauos perduxit: accedente verò Chilperico relictis filiabus in basilica S. Hilarij ad Childebertum Regem transit. Hæc Greg. Tur. lib. 5. à cap. 14. ad 24. multis pro more insertis præsertim, quæ ad thesauros à Tiberio Cæsare inuentos, & damnationem ac scelera Salonij & Sagittarij Episcoporum pertinent. Benedictus I. Papa obiit die 31. Iulij post sedem annorum 4. mensium 2. & dierum 15. Successit Pelagius II. seu iunior dictus die 10. vel 11. Nouembris: cui non 11. dumtaxat anni, sed omnino 12. cum tribus fermè mensibus tribuendi sunt. S. Rupertus Vangionum Episcopus Boios ad fidem conuertit anno secundo Childeberti Francorum Regis, cùm Theodo III. ei regioni præesset, vt discimus ex vita S. Ruperti die 27. Martij. S. Eutychius venit C P. die Dominica 3. Octobris, vt dicit Eustathius. Errant ergo qui in annum sequentem differunt, cùm & Theophanes id factum narret Indictione XI. & Cedrenus annis 13. postquàm fuisset electus. Abares Thracias vastant & C P. à Muro longo obsident. Leouigildus Orospedam occupat, totámque rusticis rebellantibus oppressis possidet anno regni sui nono.

Anno Christi DLXXVIII. *Childeberti tertio, Chilperici & Guntramni 17. vt expressè dicit lib. 5. cap. 25. Gregorius Turonensis mille Fredegariis, similíque genij scriptoribus potior, Dacco ad Chilpericum Regem deductus Brannacum, accepta à Presbytero, Rege nesciente, pœnitentia interfectus est. Draccolemus, qui dicebatur Industrius, irruit in Guntramnum Bosonem, qui eo occiso, cum filiabus, quas ex Pictauo abducebat, liber abscessit. Chilpericus in Britanniam mouere iubet Turonicos, Pictauos, Baiocassinos, Cenomanicos, Andegauos cum aliis multis aduersus Vvarochum Macliaui filium: quibus ad Vicinoniam fluuium residentibus Vvarochus noctu in Saxones Baiocassinos ruens maximam partem interfecit. Post die tertia pacem cum Ducibus Chilperici fecit, & obsidem filium dedit, quòd fidelis Regi esset. Venetos quoque ciuitatem refudit. quo facto exercitus ab eo loco remotus est. Chilpericus de pauperibus vel iunioribus Ecclesiæ bannos iussit exigi, eò quòd in exercitu non*

ambulaſſent: neque enim erat conſuetudo, vt hi vllam exoluerent functionem. Poſt hæc Vvarochus volens irrumpere quod fecerat, Eunium Ep. Veneticæ vrbis ad Chilpericum Regem dirigit, quem obiurgatum Rex exilio damnari præcepit. Vide cap. 25. & 26. lib. 5. Gregorij Turonenſis. Marius hoc anno collocat necem Merouei, quam nos ſuperiore an poſuimus. Concilium Antiſiodorenſe ab Aunario ſeu Aunachario Epiſcopo cum diœceſis ſuæ Abbatibus 7. & Preſbyteris 34. Extant canones eius 45. Leouigildus ciuitatem in Celtiberia condidit, & ex filij ſui nomine Recopolim nuncupauit. Ioannes Preſbyter Emeritenſis Eccleſiæ clarus habetur. Iuſtinus II. Imperator inchoata iam Indictione XII. die Septembris 26. Tiberium iuniorem Conſtantinum ex Cæſare Auguſtum coronauit, & ſequentis menſis Octobris die 4. aut 5. vitâ exceſſit, cùm imperaſſet annos 11. & fermè totidem menſes. Tiberius verò, vt ſubdit Chronicon Alexandrinum, ſolus imperauit alios an. 4. non ſex, quemadmodum ex Ioanne Biclarienſi colligitur, cuius rationes haud dubiè hac in parte turbatæ ſunt. Conſule Marium, Euagrium, Theophanem, Paulum Diaconum, Cedrenum, Zonaram, alióſque. Gregor. quoque Turonenſem lib. 5. capp. 19. & 30. vbi manifeſtiſſimo errore pro 12. legitur 18. imperij anno. Ibi multa reperies de inſidiis à Sophia Auguſtâ & Iuſtiniano paratis, Sophiæ exauctoratione, &c. Sunt quoque qui in an. ſeq. Iuſtini differant obitum.

Anno Chriſti DLXXIX. *Childeberti* 4. *Guntramni* 18. *cuius iuſſu Synodus apud Cabillonem ciuitatem acta eſt, in quâ Salonius & Sagittarius Epiſcopi ad priſtina reuerſi ſcelera ac maieſtatis crimine præterea inſimulati, ab Epiſcopatu diſcincti, in baſilicam B. Marcelli ſub cuſtodia detruſi ſunt, ex quâ per fugam elapſi, diſceſſerunt per diuerſa vagantes, donec in ciuitatibus eorum alij ſubrogati ſunt. Chilpericus Rex nouis indictionibus ſubditos ſuos grauat. Lemouicinus populus Marcum Referendarium interficere voluit congregatus Kal. Martiis, ſed eum Ferreolus Epiſcopus liberauit. Incenſi ſunt deſcriptionum libri; quâ de cauſa Rex offenſus immenſis damnis eos afflixit. Britanni regionem Redonenſem vaſtant, vſque Cornutium vicum bellando progreſſi. Eunius Epiſcopus de exilio reductus Andegauo ad paſcendum delegatur, nec ad Veneticam redire permittitur. Bippolenus Dux contra Britannos miſſus aliqua illorum loca ferro incendióque opprimit. Britanni vrbes Nanneticam Redonicámque infeſtant. Felix Epiſcopus ad eos legationem mittit, ſed promiſſa non implent. Apud Pariſios mulier adulterij inſimulata mul-*

tarum cædium in Ecclesia B. Dionysij occasionem præbuit. Hæc ex Greg. lib. 5. à cap. 27. vsque ad 32. Idem quoque sed cap. 36. insinuat Santonensium vrbe celebratam fuisse Synodum, in quâ Nantinus Comes Engolismensis ab Heraclio Episcopo excommunicatus, ab eodem in gratiam receptus est, rogantibus, qui conuenerant, Episcopis. Octobri mense Indictione XIII. iam inchoata, teste Mario, ita in Vallensi territorio Rhodanus exundauit, vt copias messum denegaret, & intra Italiam ita fluuij exundauerunt, vt damna agricolæ paterentur. Gennadius Magister militum in Africa Mauros vastat, eorúmque Regem Gasmuelem gladio interficit. Tiberius Mauricium Excubitorum Comitem Magistrum militiæ Orientis instituit, & ad repugnandum Persis direxit. Romani contra Langobardos in Italiâ lacrymabile bellum gerunt.

Anno Christi DLXXX. *Childeberti 5. Guntramni 19. Multa prodigia, lues, dysenteria, fluuiorum inundationes,* &c. *Biturica ciuitas grauiter à grandine verberata. Chilpericus Rex periculosè ægrotauit: eo conualescente filius iunior, tum senior Chlodobertus morbo correpti. Fredegundis compuncta Regi suadet, vt incendat omnes descriptiones iniquas fisco contentus, & eo quod suffecerat patri Clotario. Incensi libri, qui de ciuitatibus per Marcum venerant. Iuniorem filium paullo pòst mortuum à Brennaco Parisios ad basilicam sancti Dionysij deduci & sepeliri mandauit: Chlodobertum Suessionas ad basilicam SS. Crispini & Crispiniani. Multa postea Chilpericus Ecclesiis & pauperibus largitus est. Austrigildis Guntramni Regis vxor morbo contabescens obtestata est Regem, vt Medicos occideret, quasi ei vitam eriperent. Duos gladio feriri præcepit (Marius id factum dicit mense Septembri Indictione 14. inchoata, & Medicos Nicolaum ac Donatum nominat) Nantinus Engolismensis Comes morbo correptus, ab Heraclio Episcopo, qui paullò ante migrarat ad Dominum, exuri se & cruciari vociferans, animam effudit. B. Martinus Gallicienſis Episcopus ex Pannonia ortus post sedem 30. circiter annorum obiit. Ingundis Sigiberti Francorum Regis & Brunechildis filia Hermenigildo seniori Leouigildi filio nupta, Goisuintæ auiæ, quæ Arianam fieri cogebat, adeò non cessit, vt eius suasu maritus eius ad legem Catholicam conuersus, fuerit chrismatus. Quâ de causâ bello appetitus à patre in exilium missus est. Chilpericus in Cotiâ siluâ mense Octobri residet. Inde Calam Parisiacæ ciuitatis villam aduenit. Eò venire præcepit Clodoueum filium suum, vbi Fredegundis nouercæ dolo circumuentus in villâ Noceto vltra Matronam cultro percussus interiit ibique sepultus est. Mater eius necata, soror monasterio inclusa. Elasius*

Catalaunensis Ep. propter causas Brunechildis in Hispanias in legationem directus obiit: vnde ad ciuitatem suam delatus est. Eonius Ep. Parisios aduenies dum die Dominica sacrosancta solennia celebraret, emissa cum hinnitu voce corruit. Miro Galliciæ Rex Legatos ad Gunthramnum miserat: eos Chilpericus interceptos sub custodiâ Parisiis custodiri iussit. Maurilio Cadurcensis Ep. cùm Vrsicinum Vltrogothonis quondam Reginæ Referendarium benedicendum curasset migrauit à sæculo. Leouigildus Legatum ad Chilpericum misit Agilanem, qui cùm Turonos ex viâ veniisset, cum eo disputauit Gregorius: idem verò Regem reprehendit, qui indiculum scripserat contra sanctam Trinitatem. Adueniente pòst Saluio Albigensi Ep. cùm peteret, vt consentiret, isque vehementer resisteret, Rex ab eâ intentione quieuit. Scripsit & libros versibus Sedulium secutus, & literas aliquot literis nostris adiecit. Agræcula Cabillonensis Ep. obiit Episcopatus anno 40. æui 83. cui Flauius Referendarius Guntramni Regis successit. Dalmatio Ruthenæ ciuitatis Episcopo mortuo Theodosius Archidiaconus iussu Chilperici suffectus est. Leudaste à Comitatu Turonicæ vrbis remoto Eunomius subrogatur. Leudastis in Gregorium calumniæ: de quibus purgauit se in Synodo apud Brennacum villam congregatis iussu Chilperici Episcopis. Leudastes fugam arripit & ab omnibus arcetur Ecclesiis. Saluius Ep. Gregorio dixit videre se iræ diuinæ gladium supra Chilperici familiam dependentem. Nec fefellit dictio: nam post dies 20. duo Regis filij obierunt, ait Gregorius, quem vide à cap. 33. lib. 5. ad 50. & vltimum. Ioannes Biclarienſis narrat Leouigildum anno regni 11. Sigeberti filiam filio ſuo in matrimonium tradidiſſe, eum verò factione, id eſt malis artibus ac perſecutione Goſuinthæ Reginæ, tyrannide aſſumpta Hiſpalim & alias ciuitates & caſtella contra patrem rebellare feciſſe. Addit quoque Nouellum Complutenſem Epiſcopum claruiſſe. *Marius verò testatur Mummolum Patricium cum vxore & filiis Auenionem in marca Childeberti Regis confugisse. Nec vltra hunc annum progressus est. Gregorius verò, vt mox dicemus, in annum seq. distulit.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DLXXXI. *Childeberti 6. Guntramni 20. Childebertus reiectâ pace Guntramni cum Chilperico coniungitur. Gogoni mortuo subrogatur Vvandelinus. Mummolus à regno Guntramni fuga dilapsus, intra muros Auenionenſis vrbis se continet. Apud Lugdunum Synodus Episcoporum congregatur diuersarum causarum altercationes incidens, negligentioréſque iudicio damnans. Le-*

gati Chilperici Regis, qui ante triennium ad Tiberium Cæsarem ierant, Massilienſem portum propter Regum diſcordiam adire non auſi, Agathen vrbem in regno Gothorum ſitam aduenerunt. Gregorius ad Nouigentum villam Regi occurrit, qui oſtendit ei Miſſorium, quod ex auro gemmíſque fabricarat: & nummos aureos ſingularum librarum à Tiberio Imperatore miſſos. Ad eandem villam Ægidius Remenſis Epiſcopus cum primis Childeberti Regis proceribus in legationem ad Chilpericum venit. Qui pactionibus ſubſcriptis cum muneribus ſunt reuerſi. Chilpericus Leudoualdum Epiſcopum cum primis regni ſui ad pactiones firmandas miſit. Cùm verò ex dicta villa Chilpericus Pariſios ire diſponeret, & valedicturus ad eum Gregorius Turon. Ep. veniſſet, diſputationem habuit cum Priſco Iudæo. Rex Pariſios digreſſus. Lupus Dux Campanenſis ab Vrſione & Bertofredo armis impetitur. Vix à prælio Brunichilde obſtante deſiſtunt. irruunt in domum Lupi, cámque omni præſidio ſpoliant. Lupus intra muros Lugduni clauati tutata coniuge ſua ad Guntramnum Regem confugit, expectans, vt Childebertus ad legitimam perueniret ætatem. Hoſpitius recluſus apud Nicenſem vrbem miraculis clarus, qui Langobardorum aduentum prædixerat obitúmque ſuum, ab Anſtadio Nicenſi Epiſcopo ſepulturæ mandatur, Ferreolus Vſecenſis Epiſcopus, qui libros epiſtolarum quaſi Sidonium ſequutus compoſuit, migrauit à ſæculo. Poſt eum Albinus ex Præfecto per Dynamium Rectorem Prouinciæ extra Regis conſilium ſuſcepit Epiſcopatum, qui poſt tres menſes defunctus eſt. Iouinus, qui Prouinciæ quondam Rector fuerat, Regium de Epiſcopatu præceptum accepit. Sed præuenit eum Marcellus Diaconus Felicis Senatoris filius, qui conuocatis Comprouincialibus Epiſcopis per concilium Dynamij Epiſcopus ordinatus eſt. Pulſatus à Iouino, vt remoueretur, muneribus vicit, cum virtute defenſare ſe non valeret. Obiit Eparchius Engoliſmenſis recluſus, qui Petracoricæ vrbis incola, poſt conuerſionem clericus factus venerat Engoliſmam, vbi ædificatâ cellulâ, paucíſque in eâ collectis Monachis annos 44. tranſegit. Domnolus Cenomanorum Epiſcopus ægrotare cæpit, qui tempore Clotarij Pariſius ad baſilicam ſancti Laurentij Monachis præfuerat, & repudiato Auennicenſi Epiſcopatu Innocentij Cenomannorum Ep. per annos 22. fuerat ſucceſſor. Is cùm morbo regio calculóque laboraret, Theodulfum Abbatem deſignat ſibi ſucceſſorem: cui Rex aſſenſit. Sed paulò pòſt mutata voluntate in Badegiſilum domus regiæ Maiorem transfertur electio, qui tonſuratus per Clericorum gradus aſcendens, poſt 40. dies migrante Domnolo ſucceſſit. Baſilicam S. Martini fures effringunt. fugiunt Burdegalam. ibi orta rixa alter alterum interimit. res allatæ reſtitutæ. Gregorius

rius reliquorum vitam à Chilperico impetrat. Massiliæ Dynanius rector Prouinciæ Theodorum Ep. vexat. Clerici vnà moliebantur, vt ab Episcopatu deiiceretur. Cùm Episcopus ad Childebertum cum Iouino Expræfecto pergeret, à Guntramno Rege detineri iubetur. Clerici acsi mortuus esset Episcopus domos Ecclesiæ inuadunt, regestoria referant. Childebertus postquam cum Chilperico pacificatus est, Legatos ad Guntramnum mittit, vt medietatem Massiliæ redderet. Quo recusante, Childebertus Gundulfum ex Domestico Ducem factum Massiliam dirigit. Dynamius vrbis aditum Gundulfo, & Theodoro Ep. qui vnà veniebat, occludit. Tandem Gundulfus redacta in Childeberti ditionem ciuitate Episcopum restituit. Verùm is postea dolo Dynamij apprehensus per Aquensem vrbem, cui Piencus Episcopus præerat, ad Guntramnum ducitur: sed innocens deprehensus in suam ciuitatem remissus est. Grauis inde inter Guntramnum & Childebertum nepotem oritur discordia. Chilpericus verò Desiderium Ducem aduersus Guntramnum misit, qui Ragnoaldo Duce fugato Petracoricum peruadit, & Aginum, aliásque ciuitates Regis Guntramni Chilperici partibus subegit. Hæc Greg. Tur. à cap. 1. lib. 6. vsque ad 13. S. Monulfus templum Traiecti ædificat in quod S. Seruatij corpus sedémque Episcopalem Tungris transfert, inquit Bucherius ex Greg. Tur. lib. de Gloria Confessorum cap. 72. & Harigero. At Henschenius id contigisse docet circa annum 550. Kalendis Nouembribus habitum est in regno Guntramni Matisconense I. Concilium Indictione 15. Extant eius Canones 19. cum subscriptionibus Prisci Lugdunensis, Remedij seu Remigij Bituricensis, & aliorum. In eo inter cætera sancitum est, vt à Festo S. Martini vsque ad Natalem Domini 2. 4. & 6. feria ieiunetur. Leuuigildus partem Vasconiæ occupat, & ciuitatem Victoriacum condidit. Idem Synodum Episcoporum sectæ Arianæ in Toletanâ vrbe congregasse dicitur à Ioanne Biclarienſi quem vide. Mauritius Magister militum repulsa Persarum multitudine, captísque Hormisdæ castris eiúsque supellectile cum elephantis, in Oriente hiemat.

Anno Christi DLXXXII. *Childeberti VII. patruorum eius 21. mense Ianuario cometes apparuit. In die autem Paschæ apud Suessionas cælum ardere visum, aliáque portenta. Felix Episcopus Nanneticæ vrbis ægrotans vocatis ad se Episcopis, qui propinqui erant, rogat, vt Burgundionem nepotem suum sibi substitui consentiant annos 25. natum. Gregorius rogatus, vt eum tonsuratum Episcopum consecraret, abnuit, suasítque, vt alios ordines ante susciperet. quod ille neglexit, factúmque vt Felice anno Episcopatus sui 33. decedente ætate septuagenaria Non-*

nechius consobrinus Rege ordinante successerit. Pappolenus Felicis Episcopi mortui neptem de Monasterio Vasatensis vrbis assumptam coniugio sibi copulauit, quam Felix circumuentam à marito dicens, ereptam mutata veste in monasterio posuerat. Rex Chilpericus multos Iudæorum baptizari præcepit. Priscus pertinax contentione orta confossus est à Pathire ex Iudæo conuerso. Ansoualdus & Domichisilus Legati ab Hispaniis regressi referunt Leuuigildum Regem in exercitu contra Hermenigildum filium resedisse, eíque Emeritam ciuitatem abstulisse. Sequuta est Hispanorum Legatio ad Chilpericum & Childebertum. Apud Pontem Vrbiensem Diœcesis Parisiacæ custodes à Chilperico positos Asclepius ex Duce interfecit : pro quâ re Guntramnus Chilperico fratri emendauit. Chrodinus vir magnificus, qui Episcopis & Ecclesiis plurima largiebatur, obiit ætate septuagenaria. In Turonico territorio verus de effracto pane sanguis effluxit. Luna eclipsim passa est. Muri vrbis Suessionicæ corruerunt. apud Andegauam vrbem terra tremuit. Intra muros Burdegalenses ingressi lupi canes deuorauerunt. Vasatensis ciuitas incendio concremata. Chilpericus nouos Comites ordinat in fratris sui ciuitatibus peruasis & tributa iubet sibi deferri. Homines duo à Nunnichio Lemouicinæ vrbis Comite deprehensi cum literis ex nomine Charterij Episcopi Petrocoricensis aduersus Chilpericum. Illi à Frontonio Diacono se accepisse Regi respondent, cúmque negaret à se dictatas Episcopus, Diaconus contra affirmaret, Rex vtrumque clementer dimisit. Eidem porrò Regi post multa filiorum funera filius natus est qui dictus est postea Theodoricus. Eo nato Rex custodias vinctósque relaxauit, & fisco debita. Theodorus Episcopus Massilienſis in custodiam detruditur iussu Guntramni Regis ob susceptum Gundobaldum, qui Constantinopoli aduenies Massiliam, Clotarij Regis filium se iactabat. Hæc & plura Gregor. à cap. 14. lib. 6. ad 24.

Ioannes Biclarienſis Langobardos in Italia Regem ſibi ex ſuo genere Autharim ſiue Antharith elegiſſe aſſerit (alij in annum 586. differunt) & Sclauinos Illyricum Thraciámque vaſtaſſe. S. Eutychius Patriarcha C P. (quem de Reſurrectione corporum non rectè ſentientem dedocuit S. Gregorius Pelagij Papæ per ea tempora apud Imperatorem Apocriſiarius) obiit Dominica prima poſt Paſcha, adeóque die 5. Aprilis, atque vt prædixerat poſt menſes 4. & dies aliquot Imperator. Eutychio ſucceſſit Ioannes ὁ Νηστευτὴς Ieiunator dictus, ad annos 13. & menſes quinque. Tiberius Auguſtus migrauit è viuis in proceſſu Hebdomi die 14. Auguſti menſis feria ſeptima, cùm ſolus imperaſſet annos ferè quatuor (qui enim plu-

res illi tribuunt aut errant, aut ab eo arceſſunt tempore, quo à Iuſtino II. creatus eſt Cæſar die 7. Septembris feria 6. an. 574. eóque referas velim ſubſcriptionem epiſtolæ Pelagij Papæ ad Aunacharium Antiſſiodorenſem datæ tertio nonas Octobris, imperante domno Tiberio Conſtantino Aug. anno 7) MAVRICIVS gener eius ex Cappadocia oriundus virtute militari clariſſimus Mag. mil. Orientis, ſucceſſit, die 5. eiuſdem menſis à ſocero Cæſar, die verò 13. Auguſtus pronuntiatus. Verùm de his plura dabunt Author vitæ S. Eutychij, Euagrius, Theophylactus Simocatta, Ioannes Biclarienſis, Gregorius Turonenſis, Chronicon Alexandrinum, Beda, Cedrenus, aliíque, ex quibus Baronij, & quorumdam recentiorum error manifeſtis argumentis conuincitur, qui Mauricij Imp. exordia tardiùs collocant, & in annum ſeq. vel 586. differunt. Mauricius.

Anno Chriſti DLXXXIII. *Childeberti VIII. pridie Kalendas Februarias die Dominico, cùm ad vrbem Turonicam ad matutinas ſignum commotum fuiſſet, & populus ſurgens ad eccleſiam conueniret, globus ignis de cælo delapſus eſt. Sequana & Matrona exundarunt ſic vt circa Pariſios inter ciuitatem & baſilicam S. Laurentij naufragia ſæpe contingerent. Guntramnus dux cum exercitu Guntramni Regis Mummolum fruſtra Auenione obſidet. Chilpericus Rex pridie Paſchæ Pariſios acceſſit, & vt maledicto, quod in pactione ſua & fratrum ſuorum conſcriptum erat, vt nullus eorum Pariſios ſine alterius voluntate ingrederetur, carere poſſet, reliquiis Sanctorum præcedentibus vrbem ingreſſus eſt, diéſque Paſchæ cum multa iucunditate tenuit. Filium ſuum baptiſmo tradidit, quem Ragnemodus Epiſcopus de lauacro ſuſcepit, & Theodoricum vocitari præcepit. Marcus Referendarius ſubito lateris dolore detentus caput totondit atque pœnitentiam accipiens ſpiritum exhalauit. Legati de Hiſpaniis reuerſi nihil certi renuntiauerunt, eò quod Leuuigildus contra filium ſuum ſeniorem in exercitu reſideret. Diſciola Beati Saluij Albigenſis Ep. neptis obiit in monaſterio S. Radegundis. Ægidius Remenſis Epiſcopus cum aliis Legatis miſſus à Childeberto ad Chilpericum aduerſus Guntramnum ob Maſſiliæ partem ei negatam, pactione initâ datíſque obſidibus recedit: Berulfus Childeberti Dux cum Turonicis, Pictauis, Andegauis, atque Nanneticis ad terminum Biturigum (erant enim tunc in ditione Guntramni) Deſiderius & Bladaſtes Chilperici duces ab alia parte Bituricum vallant: Biturici verò cum quindecim millibus ad Mecledunenſe caſtrum (Aimoinus Mediolanenſe quod nunc Caſtrum Meillanum dicitur, vel vt quidam ſuſpicantur Magdunum ſuper*

Euram) confluunt, ibíque contra Desiderium Ducem confligunt. Multis vtrimque cæsis Biturigæ obsidentur quidem, sed non expugnantur: compositaquippe inter Reges pace reuocati sunt milites, qui tantas prædas sustulerunt secum, vt omnis illa regio euacuata putaretur de hominibus & pecoribus. Chilpericus cùm exercitum suum à prædis arcere non posset, Rothomagensem Comitem gladio trucidauit, & sic Parisios rediit. Excitata aduersus Ægidium in exercitu seditione populi, ipse statim se subduxit citatis equis, & intra murorum Remensium septa se concluſit. Leudastes in pago Mecledunensi ad Regem Chilpericum profectus iussu Fredegundis Reginæ perfidam vitam iustâ morte finiuit. Vide de his Gregor. Turonensem à cap. 25. lib. 6. ad 32. Quod verò cap. 30. de morte Tiberij & inauguratione ac nuptiis Mauricij Impp. inseruit ad annum præcedentem haud dubiè pertinent. *Concilium Lugdunense III. mense Maio celebratum est, Præside Prisco Lugdunensi Archiep. statutíque sex canones anno Guntramni Regis 22. vnde refelli possunt, qui vel confundunt cum eâ Synodo anno Childeberti Regis 6. apud eandem vrbem conuocatá, vt diximus ex Greg. Tur. cap. 1. lib. 6. vel reuocant ad annum 586. aut sequentem.* Leouigildus Hispalim obsidet & rebellem filium graui obsidione concludit: in cuius solatium Miro Sueuorum Rex deuenit, ibíque diem clausit extremum, cui Eburicus filius in prouinciâ Galliciæ in regnum succedit, Leouigildo prædictam ciuitatem ferro, fame, & Bætis conclusione omnino conturbante. Indictione prima, inquit Chronici Alexandrini collector, primus annus Mauricij caruit Consulibus, atque ex communi hominum sensu scriptum est: Post Consulatum diuinæ memoriæ Tiberij Constantini anno quarto. Quæ non abludunt à narratione Theophylacti Simocattæ qui lib. 1. cap. 12. docet Mauritium die 20. Decembris Indictionis secundæ renunciatum fuisse Consulem, & anni sequentis Kal. Ianuariis Consulatum iniisse.

Anno Christi DLXXXIV. *Childeberti IX. & patruorum eius 23. Guntramnus negatam diu Massiliæ partem nepoti suo Childeberto refudit. Legati Chilperici regressi de Hispaniis nunciant inimicitias, quæ inter Leouigildum & filium pullulauerant, augeri, Carpitaniámque à locustis fuisse vastatam. Lues Narbonensem & Albigensem ciuitates infestauit. Legati iterum ab Hispaniâ veniunt placitum accipientes cum Chilperico Rege, vt filiam suam secundùm conuentiam anteriorem Recaredo minori Leouigildi filio tradat. Chilperico in pagum Suessionicum*

regresso filius dysenteriâ correptus obiit, quem superiori anno baptismate abluerat. Fredegundis Regina Parisiacas mulieres multas tormentis necat ob suspicionem maleficij in filio extincto. Mummolus Præfectus Burdegala ortus, eandem ob suspicionem diris suppliciis affectus est. Ætherius Ep. Lexouiensis multas insidias passus à Clerico Cenomanensi, quem 20. aureis ab interitu redemerat, ad Guntrammi regnum se recepit. reuocatus à Chilperico qui eius innocentiam norat, rediit multis Episcoporum muneribus dines. Lupentius Abbas S. Priuati Martyris vrbis Gabalitanæ falsò apud Brunichildem ab Innocentio Comite accusatus, ab eodem ad Ponticonem villam multis suppliciis vexatus est, dimissúsque vt rediret, iterum ab eodem oppressus est ad Axonam fluuium, & capite truncatus. Theodosius Ruthenorum Episcopus, qui Dalmatio successerat, diem obiit. Innocentius Gabalitanorum Comes opitulante Brunichilde successit. qui confestim Vrsicinum Cadurcinæ vrbis Episcopum lacessere cœpit dicens Diœceses Ecclesiæ suæ debitas ab eo retineri. Remigius Bituricum Antistes obiit, cuius post transitum graui incendio pars maxima ciuitatis cremata est, ibique illa, quæ hostilitati resederant, perierunt. Succedit fauente Guntramno Rege Sulpitius (qui vulgò Seuerus cognominatur à recentioribus, vel ob discrimen Pij, vel ex ridicula quorundam persuasione, qui eum B. Martini discipulum fuisse censuerunt) vir valdè nobilis, & de primis Senatoribus Galliarum, in literis bene eruditus Rhetoricis, in metricis verò artibus nulli secundus. Oppila Legatus de Hispaniis venit ad Chilpericum. Timebat enim Hispanorum Rex, ne Childebertus ad vleiscendam sororem (Ingundem) insurgeret. quia Leouigildus filium suum Hermenigildum retruserat in custodiam, ipsâ muliere cum Græcis (qui in Hispaniâ nonnullas adhuc ciuitates tenebant) relictâ. Die Paschæ Turonos aduenit, cúmque pro Arianâ secta cum Gregorio Ep. fuisset altercatus ad Chilpericum abiit, qui comperto, quòd Guntramnus cum Childeberto pacem fecerat, vt ciuitates, quas inuaserat, violenter auferrent, cum thesauris suis in vrbem Cameracensem discessit. His diebus ei filius natus est, quem in villa Victoriacensi nutriri præcepit, ne publicò videretur. Childebertus Rex in Italiam abit cum exercitu. Langobardi timentes ei se subdiderunt, & in Gallias reuersus est. Mauricius 50. millia solidorum ei data, vt Langobardos ex Italia pelleret, audita pace frustra repetit. Mirone Rege Galliciæ mortuo succedit filius Euricus, quem Auduca, qui sororem illius desponderat, adprehensum Clericum fecit, & soceri sui vxore accepta Gallicienſe regnum obtinuit. Leouigildus Hermenigildum filium cepit, & Toletum direxit condemnans eum

exilio, vxorem verò eius à Græcis eripere non potuit. *Ianuario menſe roſæ in Gallia viſæ : arboréſque quæ Iulio menſe poma protulerant, Septembri fructus alios ediderunt. Kalendis Septembribus magna Gothorum Legatio ad Chilpericum acceſſit. Nuptiæ filiæ eius Ricunthis Pariſius celebrantur. Multi & multæ cum eâ ire coguntur. Præcipui erant Bobo Dux, Vvaddo Maiordomus qui Santonicum Comitatum rexerat, aliíque : traditur Legatis cum immenſis theſauris. Multi ex comitatu ad Childebertum cum equis dilapſi. Interim aliis cum præda pergentibus Chilpericus ſui temporis Nero & Herodes ad villam Calenſem, quæ diſtat ab vrbe Pariſiaca quaſi centum ſtadiis, accedit, ibíque venationem exercet. Quadam die regreſſus de venatione, dum de equo deſcendit, cultro à quodam percuſſus effudit ſpiritum. Mallulfus autem Siluanectenſis Epiſcopus, qui iam tertia die in tentorio reſidebat, & ipſum videre non poterat, vt eum interemptum audiuit, aduenit, ablutúmque in nauim leuauit, atque in baſilicâ S. Vincentij, quæ eſt Pariſius, ſepeliuit, Fredegunde Regina in Eccleſia derelicta. (Quæ verò de Landerico Aimoinus, & quidam alij recitant, ea deſiderantur in Gregorio noſtro, nec deſunt qui paricidam illum à Brunichilde ſubmiſſum velint, dictúmque Falconem : atque, vt obiter dicam, multa in Anaſtaſi pag. 16. effundit, ac pro more ἀναχρονισμούς, Chiffletius de chlamyde venatoria, bardocucullo, ac ſimilibus otioſorum auocamentis, ex Bruxellenſi tabella picta vernaculíſque epigraphis exornata, quæ ducentos annos non ſuperat aut ad ſummum 400. vt iam aliàs monuimus) Eodem anno obiit S. Saluius ex Abbate Epiſcopus Albigenſis, quem compoſito ſibi ſarcophago corpus abluiſſe, veſtem induiſſe, dein ſpiritum exhalaſſe ferunt. Fredegundis Regina iam viduata Pariſios aduenit, & cum theſauris ad Eccleſiam confugit, atque à Ragnemodo Epiſcopo defenditur. reliquos theſauros apud Calam Theſaurarij leuauerunt, in quibus erat miſſorium aureum, quod nuper fecerat, & ad Childebertum Regem, qui tunc apud Meldenſem commorabatur vrbem, velociter tranſierunt. Guntramnus à Fredegunde accitus venit Pariſios, cúmque intra muros ſuſceptus eſſet, Childebertus ab alia parte acceſſit, qui à Pariſienſibus non receptus Legatos ad Guntramnum direxit. Sed eos ille reſpuit perfidiam exprobrans, & omne ſibi Chariberti regnum vindicans. Legati iterum à Childeberto ad Guntramnum miſſi Fredegundem ad pœnam expoſcunt, ſed fruſtra. Anſoaldus enim, alíque priores ad* CLOTARIVM *filium Chilperici, qui erat quatuor dumtaxat menſium, ſacramenta per ciuitates exegerunt. Guntramno interim Eccleſiis & pauperibus multa conferente. Deſiderius Dux audita Chilperici morte Toloſam ingreſſus, Rigunthis, quæ ibi ſubſtiterat, the-*

Clotarius.

ſauros abſtulit, & ad Mummolum venit in Auennica vrbe morantem cum Gundobaldo, qui cum illis apud Briuam Curretiam in Lemouicino parmæ ſuperpoſitus Rex eſt leuatus. Baſilica Briuæ B. Martino S. Martini Tur. diſcipulo dicata cremata eſt, quam poſtea Ferreolus Epiſcopus reparauit. Cùm hæc agebantur menſis erat decimus, in quo multa prodigia apparuerunt. Guntramnus Comites ſuos mittit ad occupandas ciuitates, quas quondam Sigebertus de regno Chariberti acceperat. Turonici verò atque Pictaui ad Childebertum tranſire noluerunt: ſed cùm Bituricis contra eos commoti per Turonicum terminum incendia facere cœpiſſent, Turonici Legationem miſerunt, Guntramno ſe ſubdentes. Idem quoque Bituricis iuncti Pictauos vi coëgerunt, vt exactis Childeberti hominibus Guntramno ſe dederent. Fredegundis Regina in Eccleſia Pariſiaca, cùm Rigunthi filiæ illatam Toloſæ afflictionem cognouiſſet, in multos ſæuiit. Prætextatum Epiſcopum ciues Rotomagenſes de exilio reſtituunt. Qui ad vrbem Pariſiacam veniens petiit à Guntramno, vt cauſam ſuam diligentiùs exquireret. aſſerebat Regina non debere recipi, qui 45. Epiſcoporum iudicio à ſacerdotali officio fuerat ſegregatus. Cúmque Rex pro hac cauſa Synodum excitare vellet, Ragnemodus Epiſcopus pro omnibus reſpondit, indictam ei pœnitentiam à Sacerdotibus, non prorſus ab Epiſcopatu remotum: ſícque à Rege ſuſceptus, conuiuio eius adſcitus, ad vrbem ſuam reuerſus eſt. Promotus, qui in Dunenſi caſtro ordinante Rege Sigiberto fuerat inſtitutus Epiſcopus, & poſt mortem Regis amotus, eo quòd caſtrum illud eſſet diœceſis Carnotenæ, lato in eum Epiſcoporum iudicio, vt preſbyterij tantùm officio fungeretur, acceſſit ad Regem, ſed nihil potuit obtinere Pappolo Carnotenſi Ep. obſiſtente, & iudicium Epiſcoporum oſtendente. Fredegundis Regina in Rothoialenſem villam, quæ in Rothomagenſi termino, abire iuſſa, ibíque relicta cum Melanio Epiſcopo, qui de Rothomago fuerat ſubmotus. Guntramno poſthæc inquirente in cædem Chilperici Regina falsò accuſauit Eberulfum Cubicularium, de quo & de Armentario Iudæo ab Iniurioſi hominibus in puteum proiecto, ipsóque Iniurioſo, ac de aliis plura Gregorius, quem vide à cap. 33. vſque ad finem lib. 6. & à cap. 1. lib. 7. vſque ad cap. 23. Concilium Valentinum II. die 23. Maij labente huius anni Indictione II. celebratum eſt, in quo confirmata ſunt quæcumque Guntramnus Rex vxor ipſius & filiæ in diuerſas Eccleſias, & loca pia contulerant. Qui in an. 589. coniiciunt animaduertant velim Sapaudum, & Euantium Epiſcopos, qui ſubſcripti habentur obiiſſe anno 11. Childeberti, Chriſti 586. ipſo teſte Gregorio lib. 8. cap. 39. Leouigildus, auctore Ioanne Biclarienſi, muros Italicæ antiquæ ciuitatis inſtaurat, vt Hiſpalenſibus no-

ceret, filióque ſuo ad Rempublicam, id eſt ad Græcos commigrante, Hiſpalim pugnando ingreditur, ciuitates & caſtella, quæ filius occupauerat, capit, eundémque non multò pòſt in Cordubenſi vrbe comprehenſum, regnóque priuatum, in exilium Valentiam mittit. Idem teſtatur Audicam Eburicio in monachum attonſo Sueuorum regnum inuaſiſſe, & Siſeguntiam relictam Mironis Regis in coniugium accepiſſe. Eutropium verò Abbatem monaſterij Seruitani S. Donati diſcipulum claruiſſe. Mauricius Imp. Philippico ſororem ſuam dat vxorem, qui miſſus aduerſus Perſas eos vicit, ingentémque prædam C P. retulit.

Anno Chriſti DLXXXV. *Childeberti X. Guntramnus collegit exercitum, cuius maior pars cum Aurelianenſibus, & Bituricis Pictauum petiit: exceſſerant enim de fide, quam promiſerant. Maroueus Ep. Legatos durè exceperat, ideóque vrbem ingreſſi in illum irruunt, qui effracto calice aureo, & in numiſmata redacto ſe populúmque redemit. Marileifus, qui Medicus fuerat Chilperici, rebus ſuis ſpoliatur. Gundobaldus in ciuitatibus, quæ Sigiberti Regis fuerant, ex nomine Childeberti ſacramenta ſuſcipiebat in reliquis, quæ Guntramni aut Chilperici fuerant, nomine ſuo exigebat. Engoliſmâ egreſſus Petracoricum aggreditur, Epiſcopo grauiter affecto, quia ſuſceptus ab eo non fuiſſet. Toloſam digreſſus ad Magnulfum Ep. mittit, vt ab eo ſuſcipiatur, eóque reluctante admittitur: Epiſcopum à Mummolo in conuiuio alapis cæſum pellit in exilium: ac Sagittario Epiſcopatus illius promiſſionem largitur. Eberulfus ad baſilicam S. Martini trucidatur. Gundobaldus in vrbe Burdegalenſi reſidens Fauſtianum Preſbyterum Aquenſi vrbi Epiſcopum ordinari præcipit. Epiſcopus enim obierat, & Nicetius Comes loci illius, germanus Ruſtici Vicoiulienſis Epiſcopi, præceptionem à Chilperico elicuerat, vt tonſuratus ciuitati illi ſacerdos daretur. Sed Gundobaldus conuocatis Epiſcopis iuſſit eum benedici. Bertramnus autem, qui erat Metropolitanus, cauens futura, Palladium Santonicum deſignat, qui eum benediceret. Adfuit quoque Oreſtes Vaſatenſis Epiſcopus. Gundobaldus duos Legatos ad Guntramnum mittit cum virgis conſecratis iuxta ritum Francorum, vt ſcilicet non contingerentur ab vllo, qui partem regni velut Clotarij filio poſtularent. Rex iratus ſuppliciis eos ſubdidit, & Childeberto nepoti ſuo data in manum haſta regnum ſuum tradidit, & Ægidium Epiſcopum Remenſem vitari iuſſit. Gundobaldus audiens Guntramni propinquare exercitum Garumnam cum Sagittario Ep. & aliis tranſiit, Conuenas petens, quam vrbem ingreſſus eſt initio Quadrageſimæ, populo vrbis cum*

Epiſcopo

Episcopo dolosè eiecto. Guntramni copiæ dum ad obsidendendam vrbem Conuenicam vltra Garumnam properant, in itinere basilicam S. Vincentij, quæ est iuxta terminum Agennensis vrbis, diripiunt. Cúmque post longum obsidionis tempus nihil proficerent, Mummolum per nuntios corrumpunt, vt Gundobaldum proderet. Mummolus cum Sagittario & Vvaddone per dolum Gundobaldo persuadent, vt ad Guntramnum securus pergat. At vrbem egressus ab Ollone (Bollonem quidam appellant) & Bosone Duce excipitur, & necatur. Vrbs diripitur & incenditur. Leudegisilus Dux ad castra rediens nuntios occultè misit ad Guntramnum, cuius responso Mummolus, & Sagittarius interfecti sunt. Cuppanes à Fredegunde Tolosam missus Rigunthem reduxit, Gundebaldum, si viuum reperisset, inuitaturus. Guntramnus thesauros à Leudegisilo allatos pauperibus, & Ecclesijs dimisit, atque ex Mummoli thesauris Auenionensi in vrbe deprehensis parte Childeberto tradita, suam pauperibus erogauit. Edicto tum à Iudicibus dato, vt qui tardi in hac expeditione fuerant, damnarentur, Biturigum Comes diuinitus percussus, quòd homines, qui ad domum B. Martini, quæ in hoc termino sita est, confugerant, spoliare per immissos pueros volebat; verùm inuocato S. Martino conualuit. Mulier Pythonissa ab Agerico Virdunensi Episcopo apprehensa, & per exorcismum confessa, cùm dæmonium non extruderetur, abire permissa, ad Fredegundem abiit, ibique latuit. Guntramnus Rex anno 24. regni sui de Cabillono progressus Niuernensem vrbem aggreditur, inuitatus Parisios, vt Chilperici filium, quem iam Clotarium vocitabant, de sacro fonte exciperet. A Niuerno Aurelianensem vrbem cùm veniisset, erat ea die solennitas B. Martini, id est quarto Nonas mensis quinti, Gregorius in metatu suo ad basilicam S. Auiti eulogias Regi offert. Idem Rex Berthramno Burdegalensi propinquo suo ex matre sua, Palladio Santonico, aliisque Episcopis ob Gundobaldum susceptum succenset. Mox ad mensam cum illis accumbit, iubétque in prandio cantari à Clericis. Gregorius pacem obtinet iis qui ad S. Martinum confugerant, quòd cum Gundobaldo fuissent coniuncti. Die Dominico, cùm Palladius prophetiam in Missa inchoaret, Rex egredi voluit, víxque à Sacerdotibus reuocatus est. Palladius & Berthramnus Episcopi, cùm in conuiuio Regis multa sibi inuicem crimina obiecissent, fideiussores Regi dederunt, vt decimo Kalendas mensis noni ad Synodum conuenirent. Fulgor in cælo, flores in arboribus visi mense quinto. Post hæc Rex Parisios venit, trésque Episcopi & 300. viri optimi sacramenta dederunt Clotarium à Rege Chilperico fuisse generatum. Clodouei & Merouei filiorum Chilperici cadauera ad basilicam S. Vincentij tumulanda deferuntur.

Rex Cabillonum reuersus Theodorum Massilienſem Ep. adesse iussit ad Synodum, quæ Matiſcone futura erat, quasi ab Epiſcopis damnandus esset: quem tamen Gregorius vocat virum egregiæ ſanctitatis, & in oratione assiduum. Legati à Guntramno missi ad Childebertum, qui morabatur tunc ad castrum Confluentis, vbi Moſella Rhenuſque confluunt: quo in loco Gregorius in naue periclitatus per reliquias B. Martini ſaluus euaſit. Inde ad Epoſium castrum acceſſit, atque à Vulfilaico genere Longobardo ad ipſius monaſterium quod octo millibus diſtans in monte ſitum erat, perducitur. Childebertus Rex compellentibus Miſſis Imperialibus, qui aurum ſuperiore anno datum requirebant, exercitum in Italiam dirigit; ſed cùm duces altercarentur, regreſſi ſunt. Vvintrio Dux à pagenſibus ſuis depulſus Ducatu caruit. Nicetius à Comitatu Aruerno ſubmotus Ducatum datis muneribus expetiit in vrbe Aruernâ Ruthenâ atque Vceticâ. Epiſcopi die placiti ex iuſſu Guntramni Regis apud Matiſcenſem vrbem conuenerunt. Fauſtinianus ab Aquenſi Epiſcopatu remotus, vt eum Bertramnus, Oreſtes & Palladius, qui eum benedixerant, vicibus paſcerent. Nicetius Epiſcopatum adeptus eſt. Vrſicinus Cadurcenſis Ep. excommunicatus eſt ob exceptum Gundobaldum. Prætextatus Ep. Rot. orationes, quas in exilio poſitus ſculpſit, coram Epiſcopis recitauit. Cædes tum magna inter famulos Priſci Lugdunenſis Ep. & Leudegiſili Ducis fuit. Guntramnus Rex ægrotauit, quod prouidentia Dei factum: cogitabat enim multos Epiſcoporum exilio detrudere. Theodorus Maſſiliam regreſſus fauente omni populo cum laude ſuſceptus eſt. Synodi huius tempore Childebertus apud Belſonnacam villam, quæ in medio Arduennenſis ſiluæ poſita eſt, cum ſuis coniungitur: in quo placito interpellatus Boſo Guntramnus, quòd propinquam vxoris ſepultam in baſilica Metenſi auro, & ornamentis per pueros ſpoliari iuſſiſſet, clam aufugit. Laban Eloſenſis Epiſcopus obiit, cui Deſiderius ex Laico ſucceſſit, licet Rex iureiurando pollicitus fuiſſet, ſe numquam ex Laicis Epiſcopum ordinaturum. Bertramnus Burdegalenſis regreſſus è Synodo febre interiit. Rex Gundegiſilum Santonicum Comitem cognomento Dodonem ordinari præcepit. Palladius Ep. clericos ſuos coërcet, qui viuente Bertramno contra eum ſcripſerant. Vvandelinus nutritor Childeberti Regis obiit, & Bodegiſilus Dux plenus dierum. In locum Fauſti Auſcenſis Ep. Fabius eſt ſubrogatus: & Albigenſibus Deſideratus datus Ep. Ennodius Turonicis atque Pictauis Dux datus. Ingundis dum ad Imperatorem Mauricium cum filio paruulo duceretur in Africa defuncta eſt & ſepulta. Leouigildus Herminigildum filium, quem Ingundis virum habuit, morti tradidit (hoc ſub Paſcha anni ſeq. contigiſſe mox docebimus) Guntramnus exercitum

in Hiſpaniam deſtinat, vt Septimaniâ priùs ſubditâ eò proficiſceretur. Indiculus repertus, quo Leuuigildus ad Fredegundem ſcriberet, vt Childebertum & matrem eius occideret, & cum Guntramno pacem iniret. Clerici duo à Fredegunde in eum finem Sueſſionas miſſi deprehenſi diuerſis ſupplicijs necati ſunt. Guntramni iuſſu, qui vltra Ararim Rhodanum & Sequanam manebant, cum Burgundionibus iuncti Nemauſum vſque per Ararica, & Rhodanitica littora proceſſerunt. Similiter Biturici, Santonici, aliíque qui hinc ad regnum Guntramni pertinebant vſque Carcaſſonam ſunt deuecti, vbi cum Terentiolus Comes quondam Lemouicinæ vrbis lapide de muro percuſſus occubuiſſet, timore perterriti ad propria relictis omnibus rediêrunt, multis per inſidias à Gothis interemptis. Hi verò qui Nemauſum aggreſſi fuerant, cùm nocere nihil poſſent, & Nicetius Dux, qui eò cum Aruernis venerat, dolo captus fuiſſet, omnes ad propria regreſſi ſunt. Duces ad baſilicam S. Symphoriani confugerunt, indignationem Regis Guntramni veriti, quos ille conuocatis quatuor Epiſcopis, & maioribus natu Laicorum, diſcutere cœpit dicens: Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere poſſumus, qui ea, quæ Patres noſtri conſecuti ſunt, non cuſtodimus: illi Eccleſias ædificantes, in Deum ſpem omnem ponentes, Martyres honorantes, Sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, &c. Interim nuntius aduenit Recaredum de Hiſpaniis egreſſum Caput Arietis caſtra obtinuiſſe, pagi Toloſani partem depopulatum eſſe, Vgernum Arelatenſe caſtrum irrupiſſe, & ſe Nemauſi incluſiſſe. Rex Leudegiſilum Ducem mittit, & Nicetium Aruernorum Ducem omni Arelatenſi prouincia illis commiſſa. Prætextatus poſt altercationem cum Fredegunde Regina die Reſurrectionis in Eccleſia cultro percuſſus, domumque relatus, obiit. Romacharius Conſtantinæ vrbis Epiſcopus illum ſepeliuit. Leudoualdus Ep. Rotomagenſes clauſit Eccleſias donec inueniretur auctor ſceleris. Hac cæde audita Guntramnus miſit tres Epiſcopos Artemium Senonicum, Veranum Cauellicenſem, & Agnicium Trecaſſinum, vt cum iis, qui Clotarium Regem paruulum nutriebant, auctorem inquirerent, & ſibi exhiberent. Diſceſſerunt obteſtantes, vt numquam in illa Eccleſia Melanthius, qui priùs in loco Prætextati ſubrogatus fuerat, Sacerdotis fungeretur officio. Vrbs Pariſiaca incendio deformata, poſtquam ſerpens & glis ænei defoſſi olim ad arcendum incendium, ſublati fuiſſent. B. Germanus vinctos ab eo liberauit. B. quoque Martinus oratorium ſuum in vrbis porta tutatus eſt. Childeberto Regi filius natus eſt, qui à Magnerico Treuerorum Epiſcopo de ſacro fonte ſuſceptus, Theodebertus vocitatus eſt. Reliqua de Domnola Victorij Redonenſis Ep. filia, de Vennoco Britone Preſbytero, de Anatolio Burde-

galenſi puero, de Magnoaldo, aliiſque Lectori Francicarum rerum auido ſuggeret Gregorius noſter, cuius breuem exhibuimus epitomen à cap. 24. lib. 7. vſque ad finem, & à cap. 1. lib. 8. vſque ad 37. caput. Matiſconenſe II. Concilium, cuius ſupra mentio facta eſt, indictum 10. Kal. Nouembres, celebratum fuit anno Guntramni 24. Extant eius Canones 20. cum ſubſcriptionibus Priſci Lugdunenſis, Sulpitij Biturici, & aliorum complurium Epiſcoporum. Extat quoque Guntramni Regis præceptum ad Epiſcopos & Iudices. In eo Concilio firmata ſunt ab Epiſcopis priuilegia, quæ inſtar inſtitutionis monaſterij SS. Agaunenſium, Guntrammus Rex Monaſterio, & Eccleſiæ S. Marcelli à ſe in ſuburbio Cabilonenſis vrbis conſtructo conceſſerat, vt docet Fredegarius, ſeu quis alius Auctor Appendicis ad Gregorij Turonenſis Hiſtoriam cap. 1. Ioannes Biclarienſis Abbas in Chronico hæc habet à nobis non omittenda: Leouigildus Rex Gallecias vaſtat, Andecanim Regem comprehenſum regno priuat: Sueuorum gentem, theſaurum, & patriam in ſuam poteſtatem redigit, & Gothorum prouinciam facit. Hermenegildus in vrbe Tarraconenſi à Siſberto interficitur. *Franci Galliam Narbonenſem occupare cupientes cum exercitu ingreſſi: in quorum congreſſionem Leouigildus Recaredum filium obuiam miſit, à quo exercitus eorum repulſus, & prouincia Gallia, hoc eſt Septimania, ab infeſtatione eſt liberata. Caſtrum Vgernum in Rhodani ripa tutiſſimum inſuper obtinuit, victórque ad patrem rediit.* Andeca regno priuatus tondetur, & honore preſbyteri poſt regnum honoratus, quod in Eborico Regis filio Rege ſuo fecerat, patitur, & exilio Pacenſi vrbe relegatur. Malaricus in Gallecia dum tyrannidem affectat à Leouigildi Ducibus ſtatim opprimitur, & vinctus Regi præſentatur. Autharis ſiue Autharith à Langobardis, cùm decennium iam Rege carerent, creatur Rex, nobiliſſimo Flauij cognomine decoratus. Huic vt magnificus eſſe poſſet, triginta Duces dimidiam ſuorum theſaurorum partem tradidiſſe teſtatur Paulus Warnefridus.

Anno Chriſti DLXXXVI. *Childeberti XI. Legati ex Hiſpaniis iterum veniunt pacem petentes, ſed nihil obtinent. Recaredus Leouigildi filius vſque Narbonam venit, prædíſque intra terminum Galliarum actis, clam regreſſus eſt. Badegiſilus Cenomanorum Epiſcopus, vir ſæuus, cùm ſextum ingrediens Epiſcopatus ſui annum epulum daret, à febre correptus vitam finiit. Bertramnus Pariſiacus Archidiaconus ſubrogatus eſt. Obiit & Sapaudus Arelatenſis Ep. cui ſucceſſit Licerius Guntramni Regis Referendarius. Euantius quoque Viennenſis Ep. defunctus*

est, in cuius sedem Virus Presbyter de Senatoribus Rege eligente substituitur. Pelagius quidam præfectus custodibus iumentorum fiscalium ob furta, & cædes à Gregorio Turonensi excommunicatus, duodecim viros elegit, vt scelus peieraret. Gregorius cùm nullum vellet recipere sacramentum, compulsus ab eo & ciuibus, ipsius tantùm sacramentum suscepit, iussítque eum recipi in communionem. erat mensis primus. verùm mense quinto expirauit, & vasa echini quæ peierarat in eius promptuario sunt inuenta. Fredegundis, vt necis Prætextati famam à se amoliretur, puerum, qui necarat, tradidit Episcopi nepoti. Qui in supplicio aperuit se à Fredegunde 100 solidos, vt hoc faceret, accepisse, à Melantio Episcopo 50. qui nihilominùs à Fredegunde in locum Pretextati suffectus est. Ab eadem Regina vexatus Beppolenus ad Guntramnum abiit, à quo Dux super Clotarij ciuitates factus, à Redonicis receptus non est. Andegauos veniens multa mala intulit, cúmque eosdem Redonicos Guntramno subdere cuperet, ab illis interfectus est. Arbores mense septimo visæ sunt floruisse, & multæ, quæ poma habuerant, noua dederunt, quæ in ipsis arboribus vsque ad Natalis Dominici tempora habita sunt. Hæc ex Gregorij Tur. lib. 7. à cap. 38. ad 42. Idem auctor cap. 102. Libri de Gloria Confessorum docet S. Felicis Biturigum Archiepiscopi corpus integrum illæsúmque repertum fuisse anno ab eius morte ferè duodecimo, multáque ibidem patrata miracula. Synodus Aruernensis huic anno rectiùs competit, quàm 588. In ea præside Sulpicio Bituricensi Metropolitano actum est de parochiis quibusdam, quas Innocentius Ruthenorum Episcopus ab Vrsicino Caturcensi tanquam Ecclesiæ suæ debitas reposcebat, vt idem testis est lib. 6. Historiæ Franciæ capp. 38. & 39. Post Vedulfum Childeberti præceptione S. Gaugericus Cameracensis & Atrebatensis creatus est Episcopus, quantum ex Balderici Cameracensi Chronico discere possumus. Direpto à Langobardis Cassinensi cœnobio Monachi fuga elapsi Romam veniunt, ibíque exstructa domo annis 130. commorantur. Pelagius Papa ad Episcopos Istriæ Trium Capitulorum defensores prolixas scribit epistolas, vt ad communionem Ecclesiæ Catholicæ reuocaret. S. Herminigildi mortem in hunc annum differendam esse meritò docuimus in Chronico technico: siquidem in Vigilia Paschæ die mensis Aprilis 13. vt omnes consentiunt, iussu Leuuigildi patris necatus sit, quâ de re consule S. Gregorij Papæ lib. 3. Dialogorum cap. 31. Isidorum in Historiâ Gothorum, aliósque. Ioannes Biclarienſis sub huius anni periocha hæc obscuat: Autharit Langobardorum Rex Romanos congressione

galenſi puero, de Magnoaldo, aliiſque Lectori Francicarum rerum auido ſuggeret Gregorius noſter, cuius breuem exhibuimus epitomen à cap. 24. lib. 7. vſque ad finem, & à cap. 1. lib. 8. vſque ad 37. caput. Matiſconenſe II. Concilium, cuius ſupra mentio facta eſt, indictum 10. Kal. Nouembres, celebratum fuit anno Guntramni 24. Extant eius Canones 20. cum ſubſcriptionibus Priſci Lugdunenſis, Sulpitij Biturici, & aliorum complurium Epiſcoporum. Extat quoque Guntramni Regis præceptum ad Epiſcopos & Iudices. In eo Concilio firmata ſunt ab Epiſcopis priuilegia, quæ inſtar inſtitutionis monaſterij SS. Agaunenſium, Guntramnus Rex Monaſterio, & Eccleſiæ S. Marcelli à ſe in ſuburbio Cabilonenſis vrbis conſtructo conceſſerat, vt docet Fredegarius, ſeu quis alius Auctor Appendicis ad Gregorij Turonenſis Hiſtoriam cap. 1. Ioannes Biclarienſis Abbas in Chronico hæc habet à nobis non omittenda: Leouigildus Rex Gallecias vaſtat, Andecanim Regem comprehenſum regno priuat: Sueuorum gentem, theſaurum, & patriam in ſuam poteſtatem redigit, & Gothorum prouinciam facit. Hermenegildus in vrbe Tarraconenſi à Siſberto interficitur. *Franci Galliam Narbonenſem occupare cupientes cum exercitu ingreſſi: in quorum congreſſionem Leouigildus Recaredum filium obuiam miſit, à quo exercitus eorum repulſus, & prouincia Gallia, hoc eſt Septimania, ab infeſtatione eſt liberata. Caſtrum Vgernum in Rhodani ripa tutiſſimum inſuper obtinuit, victórque ad patrem rediit.* Andeca regno priuatus tondetur, & honore preſbyteri poſt regnum honoratus, quod in Eborico Regis filio Rege ſuo fecerat, patitur, & exilio Pacenſi vrbe relegatur. Malaricus in Gallecia dum tyrannidem affectat à Leouigildi Ducibus ſtatim opprimitur, & vinctus Regi præſentatur. Autharis ſiue Autharith à Langobardis, cùm decennium iam Rege carerent, creatur Rex, nobiliſſimo Flauij cognomine decoratus. Huic vt magnificus eſſe poſſet, triginta Duces dimidiam ſuorum theſaurorum partem tradidiſſe teſtatur Paulus Warnefridus.

Anno Chriſti DLXXXVI. *Childeberti XI. Legati ex Hiſpaniis iterum veniunt pacem petentes, ſed nihil obtinent. Recaredus Leouigildi filius vſque Narbonam venit, prædíſque intra terminum Galliarum actis, clam regreſſus eſt. Badegiſilus Cenomanorum Epiſcopus, vir ſæuus, cùm ſextum ingrediens Epiſcopatus ſui annum epulum daret, à febre correptus vitam finiit. Bertramnus Pariſiacus Archidiaconus ſubrogatus eſt. Obiit & Sapaudus Arelatenſis Ep. cui ſucceſſit Licerius Guntramni Regis Referendarius. Euantius quoque Viennenſis Ep. defunctus*

est, in cuius sedem Virus Presbyter de Senatoribus Rege eligente substituitur. Pelagius quidam præfectus custodibus iumentorum fiscalium ob furta, & cædes à Gregorio Turonensi excommunicatus, duodecim viros elegit, vt scelus peieraret. Gregorius cùm nullum vellet recipere sacramentum, compulsus ab eo & ciuibus, ipsius tantùm sacramentum suscepit, iussítque eum recipi in communionem. erat mensis primus. verùm mense quinto expirauit, & vasa echini quæ peierarat in eius promptuario sunt inuenta. Fredegundis, vt necis Prætextati famam à se amoliretur, puerum, qui necarat, tradidit Episcopi nepoti. Qui in supplicio aperuit se à Fredegunde 100 solidos, vt hoc faceret, accepisse, à Melantio Episcopo 50. qui nihilominùs à Fredegunde in locum Pretextati suffectus est. Ab eadem Regina vexatus Beppolenus ad Guntramnum abiit, à quo Dux super Clotarij ciuitates factus, à Redonicis receptus non est. Andegauos veniens multa mala intulit, cúmque eosdem Redonicos Guntramno subdere cuperet, ab illis interfectus est. Arbores mense septimo visæ sunt floruisse, & multæ, quæ poma habuerant, noua dederunt, quæ in ipsis arboribus vsque ad Natalis Dominici tempora habita sunt. Hæc ex Gregorij Tur. lib. 7. à cap. 38. ad 42. Idem auctor cap. 102. Libri de Gloria Confessorum docet S. Felicis Biturigum Archiepiscopi corpus integrum illæsúmque repertum fuisse anno ab eius morte ferè duodecimo, multáque ibidem patrata miracula. Synodus Aruernensis huic anno rectiùs competit, quàm 588. In ea præside Sulpicio Bituricensi Metropolitano actum est de parochiis quibusdam, quas Innocentius Ruthenorum Episcopus ab Vrsicino Caturcensi tanquam Ecclesiæ suæ debitas reposcebat, vt idem testis est lib. 6. Historiæ Franciæ capp. 38. & 39. Post Vedulfum Childeberti præceptione S. Gaugericus Cameracensis & Atrebatensis creatus est Episcopus, quantum ex Balderici Cameracensi Chronico discere possumus. Direpto à Langobardis Cassinensi cœnobio Monachi fuga elapsi Romam veniunt, ibíque exstructa domo annis 130. commorantur. Pelagius Papa ad Episcopos Istriæ Trium Capitulorum defensores prolixas scribit epistolas, vt ad communionem Ecclesiæ Catholicæ reuocaret. S. Herminigildi mortem in hunc annum differendam esse meritò docuimus in Chronico technico: siquidem in Vigilia Paschæ die mensis Aprilis 13. vt omnes consentiunt, iussu Leuuigildi patris necatus sit, quâ de re consule S. Gregorij Papæ lib. 3. Dialogorum cap. 31. Isidorum in Historiâ Gothorum, aliósque. Ioannes Biclarensis sub huius anni periocha hæc obseruat: Autharit Langobardorum Rex Romanos congressione

factâ ſuperat, & cæsâ militum multitudine Italiæ fines occupat. Leouigildus Rex diem clauſit extremum, & filius eius Recaredus cum tranquillitate regni eius ſumit ſceptra. S. Leander Hiſpalenſis Epiſcopus per ea tempora Hiſpaniam inſigni pietate ac doctrina illuſtrabat, cuius opera & Recaredus, & Weſigothi pene omnes paulatim ab Ariana perfidia ad Eccleſiæ Catholicæ communionem adducti ſunt. Greg. Turonenſis extremo lib. 8. Leuuigildum ad Catholicam fidem conuerſum fuiſſe dicit dum ægrotaret, & annô dumtaxat ſeq. obiiſſe, quod multis argumentis falſum demonſtrari poteſt.

Anno Chriſti DLXXXVII. *Childeberti XII. Nicetius Aruernus Rector Maſſilienſis prouinciæ ordinatus eſt. Anteſtius in Andegauos miſſus à Rege Guntramno affligit eos, qui Domnolæ neci mixti fuerant, & res Beppoleni in fiſcum redegit. Namnetas accedens Nonnechium Ep. vexat, & apud Santonas in diebus Quadrageſimæ Palladium Epiſcopum. Vterque ad Regem venit, qui Albigenſem vrbem Childeberto nepoti ſuo reddidit. Deſiderius Dux in terminum Toloſanum abiens contra Gothos mouit, & ad Carcaſſonam cæſus eſt. Auſtroualdus eius loco Dux creatus eſt. Recaredus Legatos de pace mittit ad Guntramnum, quos apud Matiſcenſe oppidum audiuit, ſed recipere noluit verba eorum. Vnde talis orta inimicitia, vt nullus de regno eius ad ciuitates Septimaniæ tranſire permitteretur. Legati verò qui ad Childebertum ierant, accepta pace ſunt regreſſi. Beata Radegundis migrauit ab hoc mundo Pictauis menſe 6. die 13. feria 4. & poſt triduum ſepulta. Guntramnus Rex Cabilloni in feſtiuitate S. Marcelli menſe 7. dum ad altarium communicandi gratia acceßiſſet, hominem, qui cum cultro eum necare volebat, verberatum plagis viuum dimiſit, nefas putans, ſi is, qui ab Eccleſia eductus fuerat, truncaretur. Childeberto Regi filius alius natus eſt, quem Veranus Cauellicenſis Epiſcopus ſuſcipiens à lauacro Theodoricum nominauit. Varia in Gallijs prodigia. Ennodius ducatum vrbium Turonicæ & Pictauæ gerens, adhuc & Vici Iulienſis, & Benarnæ vrbium Principatum occepit, móxque iis omnibus priuatus ad domum ſuam abiit. Vaſcones in plana deſcendunt, & prædas agunt. Gothi in Arelatenſem prouinciam perrumpunt, atque Vgernum caſtrum deſolant. Guntramnus Boſo Childeberti odium incurrit propter carmina & iniurias, quas Brunichildi intulerat. Ille ad Virdunenſem Eccleſiam fugit per Agericum Epiſcopum, qui erat Regis pater ex lauacro, veniam impetrare confidens. Cùm veniam à Rege petiiſſet Rex in Epiſcopi manu eum reliquit, donec Guntramnus Rex de illo iudicaret. Rauchingus cum aliis conſpirat,*

vt occiſo Childeberto ipſe regnum Campaniæ cum Theodeberto eius filio ſecurè teneat. Vrſio ac Bertefredus cum Theodorico iuniore reliquum regni teneant. Childebertus patefacta per Guntramnum conſpiratione Rauchingum accitum perimit. vxor eius in Sueſſionicâ vrbe cognitâ mariti morte confugit ad baſilicam SS Criſpini & Criſpiniani. erat enim eo die paſſio eorum. Magnoaldus Rauchingi loco Dux dirigitur. Vrſio & Bertefredus in caſtro Vabrenſi ſe muniunt. Childebertus à patruo vocatus cum Brunichilde matre, Faileubâ coniuge & ſorore accurrit. adfuit & Magnericus Treuericæ vrbis Epiſcopus, & Guntramnus Boſo, quem Reges culpabilem iuuenientes, iubent interfici. Is cum gladio ſtricto ad Magnerici manſionem venit, & mortem minatur, niſi vitam ipſi à Rege impetret. Epiſcopo per Clericos vix ſeruato perimitur Boſo. Pace itaque apud Andelaum in Lingonibus Epiſcoporum Procerúmque conſilio firmatâ die 28. Nouembris anno regni Guntramni 26. Childeberti 12. mutuíque fœderis pactionibus conſcriptis regreſſi ſunt vnuſquiſque ad ciuitatem ſuam. Childebertus Rex collecto exercitu Vrſionem, & Bertefredum obſideri iubet. Vrſio egreſſus multos occidit, & in his Tradulfum Comitem palatij Regalis, & poſt ipſe occiſus eſt. Bertefredus Virduni, quo fugerat, in Oratorio Pontificis Agerici necatus eſt. quâ de re offenſum Epiſcopum Rex fruſtra muneribus mitigare conatus eſt. Baddonem Guntramnus Pariſios miſit, vt ſi Fredegundis eum à crimine Maieſtatis immunem diceret, liber abiret. Inde Cabillonum vinctus reducitur, ſed intercurrente Leudoualdo Baiocaſſino Pontifice dimiſſus ad propria rediit. Ægidius Remenſis Ep. de eodem crimine maieſtatis inſimulatus ad Childebertum accedens veniam petiit, & obtinuit pacem. Recaredus Rex conuocatis vtriuſque partis Epiſcopis regni ſui, Catholicæ legi ſe ſubdidit, & accepto ſignaculo beatæ Crucis cum Chriſmatis vnctione credidit. deinde nuntios miſit ad prouinciam Narbonenſem vt ſimiliter crederent. Athalocus Epiſcopus Ariana in ſecta pertinax cùm obſiſteret, repente in cellula ſpiritum exhalauit, & populus confeſtim ab errore diſceſſit. *Recaredi Legati de pace à Guntramno reiecti donec de Ingundis morte vltio ſumatur. Ad Childebertum profecti excepti ſunt 10. millia ſolidorum offerentes, & Clodoſindæ ſororis eius nuptias petunt. Rex promittit, ſed ad patruum priùs referri vult. Verno huius anni tempore, cùm arbores & vineæ fronduiſſent, nix decidit, & gelu ſequutum, vt etiam hirundines & alites, quæ de externis regionibus venerant, vi algoris extinguerentur. Britanni in terminum Namneticum irruunt, & prædantur. Guntramnus exercitum mouet. Illi ſe omnia compoſituros promittunt.*

Missi à Rege Legati Namatius Aurelianensis, & Bertramnus Cenomanorum Episcopi cum Comitibus, & aliis à Clotario missis. Qui locuti sunt cum Vvaroco & Vidimado, & illi omnia emendarunt agnoscentes se Clotarij Regis filiis debere esse subiectos. Namatius in territorio Andegauensi obiit. corpus eius ad S. Aniani basilicam delatum. Successit Austrinus pastoris quondam filius. Vvarocus immemor promissi vineas Namneticorum abstulit, & vindemiam colligens vinum in Veneticum transtulit. Apud Turonicos recrudescente ciuili bello Chramisindus Sicharium trucidat. Inde ad Regem profectus, vt veniam peteret, quia Brunichildis indignabatur, Vosagensem Biturici territorij pagum expetiit, in quo eius parentes degebant. Plura dabit Gregorius à cap. 38. libri 8. vsque ad 46. & ab initio lib. 9. vsque ad cap. 20. Nunc Biclarienſem conſulamus, qui hæc habet: Romani per Francorum adiutorium Longobardos vincunt, & Italiæ partem in ſuam redigunt poteſtatem. Siſbertus interfector Hermenigildi morte turpiſſima perimitur. Recaredus primo regni ſui anno menſe 10. Catholicus Deo iuuante efficitur, & Sacerdotes ſectæ Arianæ ſapienti colloquio aggreſſus, ratione potiùs, quàm imperio conuerti ad Catholicam fidem facit, gentémque omnium Gothorum & Sueuorum ad vnitatem, & pacem reuocat Chriſtianæ Eccleſiæ. *Deſiderius Francorum Dux Gothis ſatis infeſtus à Ducibus Recaredi Regis ſuperatur, & cæſa Francorum multitudine in campo moritur.* Recaredus Rex aliena à prædeceſſoribus direpta, & fiſco ſociata placabiliter reſtituit. Eccleſiarum, & Monaſteriorum conditor efficitur. Hæc ille. Verum amanuenſium iniuria turpiter vitiatum fuit eiuſdem Chronicon, dum quæ ad annum abhinc quartum Chriſti 590. pertinent, ad hunc Recaredi primum Mauritij 5. reuocata ſunt: [Mauritius Theodoſium filium ſuum ex filia Tiberij Imp. natum Cæſarem facit. Pelagio iuniore mortuo Romanæ Eccleſiæ Gregorius in Epiſcopum ſuccedit. Præeſt annis 15.] Quæ qui vera eſſe pertinaciùs defenderit, eum certiſſima veritatis Hiſtoricæ ac Chronologiæ fundamenta profligare atque omnia ſuſque déque euertere neceſſe eſt. *De Cæſariæ nobilis matronæ Epitaphio, & Baronij aberratione diximus in Chronico Technico. Hoc vnum modò addimus Indictionem V. more Romano accipiendam esse, niſi quis excidiſſe velit vnitatis notam, & Dominicum diem Decembris 7. exeuntem, diem verò Lunæ 8. eiuſdem menſis illuceſcentem intelligi debere. Quæ in gratiam Tironum dicta ſunto: neque enim ad annum*

præcedentem

præcedentem pertinere possunt, Post Consulatum Basilij annus 46. *&* *Childeberti Regis* 12. Antharit Langobardorum Rex dicitur à quibusdam hoc anno subiecisse sibi Histriam, obsesso captóque Francione Mag. militum, qui fines illos 20. annis vsque ab Narsete obtinuerat. Philippicus in Oriente prosperè pugnat aduersus Persas, multósque captiuos C P. mittit.

Anno Christi DLXXXVIII. *Childeberti XIII. Guntramni XXVII. Gregorius Turonensis Ep. ab vrbe Metensi, ad quam venerat, mittitur à Childeberto cum Felice Legatus ad Guntramnum, quem apud Cabillonensem reperit vrbem, vt pactionem initam seruare se velle confirmet. At Guntramnus questus est partem Siluanectensis vrbis sibi non dari. Relectum est exemplar pactionis. Actum de nuptiis Clodosuindæ, de bello Italico Childeberti. Quúmque Guntramnus iudicaret, vt omnes Episcopos regni sui conuocaret Childebertus, aiebant eum magis probare, vt iuxta canones singuli Metropolitani cum suis prouincialibus conuenirent. Guntramnus contra Synodum omnium fieri desiderans iussit, vt in Calendas mensis quarti hæc Synodus prolongaretur. Erat tum dies Paschæ. Lues inguinaria per nauem ab Hispania inuecta Massiliæ grassatur, quò reuersus Theodorus Episcopus ab aula Childeberti vigiliis vacabat & orationibus. Eadem lue vsque ad Lugdunensem vicum nomine Octauum, celeriter propagata, Guntramnus Rex, ac si bonus Sacerdos, iussit omnem populum ad Ecclesiam conuenire & Rogationes summa cum deuotione celebrari, & nihil aliud in vsu vescendi nisi panem hordeaceum cum aquâ munda assumi, vigiliisque adesse instanter omnes. Agericus Virdunensis Episc. dolore, & inedia consumptus obiit. Charimeres Referendarius cum omnium consensu Regali auctoritate successit, Bucioualdo Abbate postposito. Obiit & Licerius Arelatensis Episcopus, cui subrogatus est Vigilius Abbas Augustodunensis, opitulante Syagrio Episcopo. Deuterio quoque Vincensi Episcopo defuncto suffectus est Fronimius Biturice vrbis incola: qui in Septimaniam olim, rofectus à Liuba Rege in vrbe Agathensi factus fuerat Episcopus, & à Leouigildo postea deiectus, quòd Ingundi eunti in Hispaniam suggesserat, ne Ariana fieret. Relicta vrbe Agathensi, cùm ad Childebertum transisset, tandem nono deiectionis suæ anno Pontificalem hanc cathedram Rege largiente sucepit. Britanni territorium Namneticum & Redonicum deprædantur. Childebertus sororem suam Antharito coniugem negat, & exercitum mittit in Italiam aduersus Langobardos, à quibus tanta strage conci us est, vt similis non recolatur, inquit Gregorius, quem vide à cap 20. lib 9. ad 25.* Antharith à Childeberto repulsam

passus Legatos mittit in Baioariam, cum quibus ipse abiit, sed sub alia persona, ne noscceretur, & Garibaldi filiam Theudelindam in coniugem accepit, nuptiásque cum ea celebrauit die 13. Maij anni proximè sequentis, ex Paulo Diacono in Historia Langobardica. Priscus Philippici in bello Persico successor militibus ob superbiam exosus fugit Edessam. Ii ducem sibi eligunt Germanum ex Phœnicià, vt pluribus docebit te Euagrius lib. 6. qui anno Antiocheno 637. vel vt quidam corrigendum putant 636. ab altera haud absimili clade anno 61. memorat Antiochenam vrbem terræ motu grauiter afflictam fuisse ἐν τῇ νέᾳ ὑπερβερεταίου μηνὸς, hoc est die vltima mensis Octobris, qua die Euagrius ipse, non verò Asterius, vt existimauit Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius, vxorem duxerat.

Anno Christi D L X X X I X. *Childeberti XIV. Guntramni XXVIII. Ingoberga Regina, Chariberti quondam Regis relicta, obiit septuagenaria, relinquens filiam vnicam, quam in Cantia cuiusdam Anglorum Regis filius matrimonio copulauit. Amalo Dux à puellâ, cui vim inferre parabat, occiditur, quæ Basilicam S. Marcelli in vrbe Cabillonensi ingressa, Guntramni Regis pedibus prostrata, cuncta illi narrauit, & ab eo protecta est. Childebertus Rex inuitante Sigimundo Momociacensis oppidi, plerique Mogontiacum interpretantur, Sacerdote dies Paschæ in ea vrbe transegit. Cùm in Italiam expeditionem pararet, Langobardi per Legatos pacem petunt, quam etiam suasit Guntramnus. Brunichildis Eberisigilum cum muneribus in Hispaniam mittit ad Recaredum, qui Clodosuindam sponsare debebat. Childebertus descriptores in Pictauos inuitante Maroueo Ep. misit, vt censum exigerent, qui Patris tempore reddebatur. Inde Turonos delatis ostensum est sub Clotario, Chariberto, Sigeberto, & ad hunc vsque Childeberti annum, nihil exactum fuisse: re denique ad Regem delatâ exigi vetuit. Exercitus à Guntranno missus in Septimaniam, vbi Austroaldus Dux Carcassonam subegerat, Bosone & Antestio ductoribus grauiter à Gothis cæsus est. quinque millia occisa, duo capta. S. Isidorus in Historia Gothorum ex MS. nostro edita hæc habet: Francis 60. fere millium armatorum Gallias irruentibus misso Claudio Duce aduersus eos gloriosè triumphauit. Et certè nulla vnquam in Hispaniis Gothorum victoria, vel maior, vel similis extitit. Prostrati sunt enim & capti multa millia hominum, &c. quæ mirificè amplificauit Ioannes Biclarensis, dum Claudio Lusitaniæ Duci trecentos tantùm milites, vt cum Gedeone*

conferre liceat, attribuit. Ob hanc cladem commotus in Childebertum Guntramnus, quasi ob fœdus ab eo initum cum Hispanis hanc cladem accepissent. Synodum Episcoporum in Kalendis Nouembribus congregari præcepit: multique de extremis partibus Galliarum ad hunc conuenium properantes de viâ regressi sunt, quia Brunechildis se de hoc crimine sacramento purgauit. Ingeltrudis, soror Bertramni Ep. Burdegalensis atque ex Chariberto Berteſiedis mater, cum filiâ graues gessit inimicitias. Rigunthis quoque Chilperici filia in Fredegundem matrem contumelioſa describitur. Childebertus cum matre, & coniuge intra terminum Stratæburgi morabatur, cùm Sueſſionici siue Meldenses venerunt ad eum petentes, vt vnum de filiis suis daret, cui subesſent. Rex Theodebertum mense sexto misit cum Comitibus, Domesticis, Maioribus atque Nutriciis, qui gaudenter susceptus est Droctigisilus Sueſſionensis Episcopus ex nimia potatione, vel ex Archidiaconi cuiusdam, quem ab honore depulerat, maleficiis, amentia laborabat iam ab annis quatuor, cùm in Synodo apud Sauriciacum aggregatâ permissus est vrbem ingredi suam, cuius aditu prohibebatur. Faileuba Childeberti vxor ægrotat, & conualescit, partu edito mox extincto. Septimina nutrix eius infantum. Sunegisius Comes stabuli, Gallomagnus Referendarius, & Droctulfus accusati conspirationis variis pœnis affecti sunt. In monasterio Pictauensi Chrodieldis filia Chariberti cum Basinâ filiâ Chilperici seditionem excitant contra Leuboueram Abbatissam. Egressa cum 40. Sanctimontalibus Turonos venit die primo mensis primi, & à Gregorio reprehensa relictis comitibus ad Guntramnum æstate profecta est, à quo muneribus honorata Turonos regressa est. Inde Pictauos omnes illæ reuersæ intra basilicam S. Hilarij se tutauerunt. Gundegisilus Burdegalensis cum Nicasio Engolismensi, Saffario Petracorico, & Marouco Pictauensi Episcopis ad illam S. Hilarij basilicam aduenit arguens illas, & quia redire ad monasterium nolebant, excommunicationem indixit. Verùm à turba morionum perditorúmque hominum cum Clericis Episcopi grauiter cæsi, & pauimento allisi vix euaserunt. Chrodieldis deinceps monasterij bona occupat. Childebertus Macroni Comiti mandat, vt hæc reprimat. Gundegisilus ad Episcopos, qui tunc cum Rege Guntramno fuerant aggregati, epistolam ex suo fratrúmque nomine conscripsit. Ii numero nouem excommunicationem latam in rebelles confirmarunt, vt docet rescriptum, quod futuri Kalendis Nouembribus Synodalis Concilij mentionem iniicit. Maroueus cùm diuersa audiret, Porcarium Abbatem sancti Hilarij ad Gundesigilum, & socios frustra mittit, vt communionem puellis restituat. quam etiam negarunt petenti Teuthario Presbytero, quem Childebertus ad illarum

dirimendas controuersias miserat. Arbores in Autumno floruerunt, mense nono rosæ apparuerunt : flumina vltra modum excreuerunt, &c. *quæ pluribus exequitur Gregorius à cap. 26. ad finem libri 9.* & capite primo libri 10. docet huius anni mense nono maxima inundatione Tiberim fluuium vrbem Romam obtexisse, *&c.* subsecutam de vestigio cladem inguinariam medio mense vndecimo, hoc est Ianuario, quâ post Pelagium Papam magna strage populus corruerit, subrogatum illi Gregorium, vt dicemus anno sequenti. *Idem Gregorius Turonensis Ecclesiam Vrbis Turonicæ reædificatam hoc 17. ordinationis suæ anno dedicauit, vt docet extremo lib. 10. vbi & scripta à se varia opuscula recenset. Idem quoque cap. 6. lib. 4. de miraculis S. Martini annum 14. Childeberti notat, meminítque Florentiani Maioris, & Temulfi palatij Comitis.* In Hispania die 8. Iduum Maiarum æra 627. Recaredi anno 4. celebratum est Toletanum III. Concilium episcoporum 72. totius Hispaniæ, Galliæ Narbonensis, atque Galliciæ, præside S. Leandro Hispalensi Episcopo, & adiutore Eutropio monasterij Seruitani Abbate. Interfuit Recaredus, quem vt nouum Constantinum celebrat Ioannes Biclarensis in fine Chronici, vbi à 20. Constantini anno, quo hæresis Ariana initium, seu potiùs damnationem, sumpsit, vsque ad finem huius anni numerat annos 266. quibus Ecclesia Catholica huius hæresis infestatione laborauit, sed fauente Deo vicit, quoniam fundata est supra petram. Addit idem Gosuintam Reginam, & Vldilam Episcopum Recaredo insidiantes detectos, & hunc exilio trusum, illam verò tunc vitæ terminum dedisse Catholicis semper infestam. Subiungit denique eodem tempore Persarum Imperatorem Christi suscepisse fidem, pace cum Mauritio Imp. firmatâ, & Argimundum aduersus Recaredum tyrannidem assumere cupientem, verberibus cæsum, decaluatum, dextráque amputata per Toletanam vrbem asino vectum, docuisse famulos Dominij, seu potiùs Dominis, non esse superbos, quibus verbis Chronicon suum claudit, nullâ factâ mentione Concilij Narbonensis, in quo statuti sunt canones quindecim, præside Migetio Narbonensi Metropolitano eadem æra 627. anno feliciter quarto Recaredi Gothorum in Hispania Regis subdie Kalendarum Nouembrium, proindéque Mauricij Imp 8. iam à die 13 Augusti labente, quem terminum statuisse Chronico suo Ioannem

Gerundensis Ecclesiæ Antistitem docet S. Isidorus in libro de Viris Illustribus. Philippicus exercitum in gratiam Imp. reductum ducit ad obsidendam Martyropolim Persis proditam, teste Euagrio.

Anno Christi D X C. *Childeberti XV. Guntramni XXIX. Diaconus Gregorij Turonensis interfuisse se memorat Romæ, cùm lue inguinaria raptus est Pelagius Papa, cuius successor Gregorius orationem ad plebem habuit, & ad auertendam Dei indignationem Litaniam septiformem instituit, &c. Grippo Legatus à Mauritio rediens narrat de collegarum Bodegisili, & Euanthy interitu, qui Carthagine in Africa fuerant interfecti, & quid cum Mauritio egisset. Childebertus 20. Duces cum exercitu in Italiam mittit ad Langobardos debellandos. Andoualdus Mediolanensem vrbem petit: Ollo ad Bilitionem huius vrbis castrum in campis Caninis situm cæsus est. Post tres menses exercitus Italiam frustra peruagatus in Galliam rediit. Antharith seu Aptacharius Langobardorum Rex, eóque mortuo Paulus Legatos de pace ad Guntramnum mittunt, quos ad Childebertum ab eo dimissos placito indicto abscedere iussit. Mauritius Imp. duodecim vinctos ad Childebertum misit, vt de iis iudicaret, quos Legatorum in Africa necis auctores aiebat. Chuppa quondam Comes stabuli Chilperici in Turonico prædas egit, rapuitque in vxorem Badegisili quondam Episcopi Cenomanensis filiam, nisi Magnetrudis puellæ mater vi repulisset. Apud Aruernos vincti ad Ecclesiam confugientes, cùm Eulalius Comes retrahi vellet, obnitente Auito Pontifice in libertatem vindicati sunt. In eadem vrbe Childebertus Ecclesiis & monasterijs tributum omne concessit. In confinio trium ciuitatum Aruernæ, Gabalitanæ, atque Ruthenæ Synodus Epi͠coporum, præside, vt suspicari quiuis facilè poterit, S. Sulpitio Bituricensi Antistite, facta est aduersus Tetradiam relictam Desiderij Ducis, quòd repeteret ab eâ Comes Eulalius res, quas ab eo fugiens secum alias tulisset. Beppolenus, & Ebracharius à Guntramno missi sunt contra Britannos qui Namneticam, & Redonicam vrbes infestabant. Cúmque Fredegundis Baiocassinos Saxones iuxta ritum Britannorum tonsos, & indutos in Vvaroci solatium misisset, Beppolenus illis cæsus est. Ebracharius à Regali Epi͠copo accitus, Venetos vrbem accessit. Vvarocus rebus desperatis impetrat pacem à Francis, verùm oblitus sacramenti atque obsidum, quos dederat, Canaonem filium suum cum exercitu misit aduer͠us abeuntes, & multos ex pauperibus, qui ad littus Vicinoniæ amnis restiterant, vinculis alligauit, quibu dam cæsis. Chundo cubicularius Guntramni Regis, quod in Vosago silua bubalum occidisse diceretur, cùm ad*

S. Marcelli basilicam fugam iniisset, comprehensus, vinctúsque ad stipitem lapidibus est obrutus. Clotarius Rex graviter ægrotat, & convalescit. Ingeltrudis religiosa 80. vitæ anno obiit sepulta septimo Idus primi mensis. Berthegundis eius filia monasterium spoliat. Presbyter quidam Sadducæus cum Gregorio Tur. Ep. disputans de resurrectione, quam negabat, convictus cessit. Theodulfus Diaconus urbis Parisiacæ à Ragnemodo Ep. excommunicatus, quòd profectus Andegavos Audoveo Ep. se subdiderat, & reditum differret, miserè periit. Chrodieldis Leubovera Abbatissam ex monasterio Pictavensi pellit. varias prædas, & cædes eius homines exercent. Basina, relictâ ob insolentiam consobrinâ, redit in gratiam cum Abbatissa. His auditis Childebertus Legatione ad Guntramnum missâ id agit, ut Episcopi utriusque regni ad hæc emendanda conveniant. Acciti à Childeberto Gregor. Turonensis, Ebregisilus Agrippinensis, & Marovæus Pictavensis: à Guntramno Gundegisilus Burdegalensis cum Provincialibus suis. Macro Comes iussus seditiosos comprimit. Residentibus super tribunal Ecclesiæ Episcopis, qui aderant, adfuit Chrodieldis multa in Abbatissam iactans convitia, quæ in iudicio, quod contra illas scriptum est, inserta sunt. Illo ab Episcopis emisso à communione suspensæ sunt: Abbatissa in monasterium restituta, quam denuo falsò accusant. Sunegisilus sub tormentis fassus est Ægidium Remensem Episcopum socium fuisse in consilio ad Childebertum Regem interficiendum. Rex ad Metensem urbem rapi illum iussit, ut congregati Episcopi ad initium octavi mensis apud Virdunensem urbem adessent. Metis tamen coacta fuit illa Synodus mense nono, in qua iudicium prosequente Eunodio, vitâ obtentâ, relegatus est exilio ad Argentoratensem urbem, éique subrogatus Romulfus Lupi Ducis filius iam Presbyter. In eadem Synodo Basina Chilperici Regis filia in communionem recepta, redituram se in Monasterium promisit. Recepta quoque fuit Chrodieldis negans se, dum Leubovera Abbatissa viveret, redituram. Vvaddonis filij per Pictavum vagantes varia committunt scelera, tum capti, & vincti, thesauros patris sui ex Gundobaldi rebus patefecerunt. Childericus Saxo apud Auscienſem urbem subita morte correptus in strato est. Signifer fuisse dicitur in eo facinore, quo Sacerdotes in basilica S. Hilarij iussu Chrodieldis cæsi sunt. De dubietate Paschæ, de terræ motu die 14. Iunij feria quarta, & de Eclipsi Solis die quarta mensis Octobris feria similiter 4. diximus in Chronico nostro Technico, ipsáque Gregorij verba in medium produximus, quem consule sis ab exordio lib. 10. ad cap. 23.

Mortuo Pelagio Papâ II. die 8. Februarij mensis, postquàm Ecclesiæ præfuisset annis 12. mensibus 2. & diebus 24. vel 27.

ſuffectus eſt ad annos 13. & menſes ſex S. Gregorius I. qui ante diem 3. Septembris conſecratus non fuit, iam inchoato Mauricij Imp. anno 9. Eiuſdem verò labente adhuc 8. & Indictione 8. Tiberius quatuor annos cum dimidio natus iuſſu patris coronatus eſt per Ioannem Patriarcham ipſa die Paſchatis 26. Martij, quâ de re plura Chr. Alex. Theophanes, Cedrenus, Zonaras ac Miſcella, quæ in quibuſdam codicibus factum id refert die 26 Octobris, quo ſancti Demetrij memoria celebratur. Hinc verò emendes velim Chronicon Biclarienſe, cui ad annum 5. Mauricij, Recaredi primum, hæc temerè ab imperito librario inſerta ſunt: [Mauricius Theodoſium filium ſuum ex filia Tiberij Imp. natum Cæſarem facit. Pelagio iuniore mortuo, Romanæ Eccleſiæ Gregorius in Epiſcopatum ſuccedit. Præeſt annis 15.] Quod quî, amabo, ſcribere potuit Auctor, ſi ante Gregorium mortuus eſt? aut quomodo triennio anteuertere, quod infinitis argumentis luce meridiana clarioribus in hocce anno Chriſtianæ æræ 590. defixum manet, æternúmque manebit.

ANNO ÆRÆ CHRIST. DXCI. *Childeberti XVI. Guntramni XXX. Clotarij iunioris IX. Simon Ep. de tranſmarinis Turonos veniens euerſionem Antiochiæ nunciauit Gregorio, aſſerens ſe de Armenia in Perſide captiuatum fuiſſe. Maſſilienſem prouinciam lues vexat, fames Andegauos, Cenomannos, & Nanneticos. Sub huius anni primordia 29. Ianuarij ad ſuperos abiit S. Sulpitius Bituricæ vrbis Pontifex, cognomento à recentioribus addito Seuerus appellatus, cathedrámque eius Euſtaſius Auguſtodunenſis Diaconus ſortitus eſt: vnde arguas velim eos, qui ſedi eius annos imputant 16. aut ad vlteriora deiiciunt tempora, aut qui Baronij partes ſequuti ſanctorum Auſtregiſili ac Sulpitij Pij ætatem pluribus mendis deformarunt. Quidam ex Biturico ruſticus per biennium amens, Arelatenſem prouinciam adit, deinde Gabalitanum regionem, non metuens ſe Chriſtum profiteri, aſſumpta ſecum muliere quadam pro ſorore, quam Mariam vocitari fecit. Sequebantur eum tria millia hominum, à quibus adorabatur. Cúmque ingreſſus eſſet terminum Vellauæ vrbis ad locum Anicium dictum ſe muniit, vt Aurelio tunc vrbis Epiſcopo bellum inferret. At ille miſit ſtrenuos viros, quorum vnus Pſeudochriſtum illum occidit. Ragnemodus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus obiit, cui non Faramodus Preſbyter germanus eius, qui pro Epiſcopatu concurrerat, ſed Euſebius quidam negotiator genere Syrus,*

datis numeribus ſubrogatus eſt. Inter Tornacenſes Francos vnius filius alterius filium cognatum ſuum perſequitur, quod ſpretâ ſorore ſcorto hæreret. Vtroque cæſo parentes diſſident. Cúmque pacari nollent, Fredegundis ad conuiuium inuitatos, cùm ablatâ mensâ, ſicut mos Francorum eſt, in ſubſelliis ſuis, vt locati fuerant, reſiderent, immiſſis percuſſoribus eos necat. Eadem Regina Guntramnum inuitauit, vt Pariſios veniret, filiíque ſui Clotarij baptiſmo præſens intereſſet. Rex præmiſſis Epiſcopis Ægidio Lugdunenſi, Syagrio Auguſtodunenſi, Flauio Cauellicenſi, aliíſque ad Rotoialenſem villam vrbis Pariſiacæ properauit, iuſſitque baptiſterium præparari in vico Nemptodoro. Childebertus per Legatos Guntramnum auertere conatus eſt, ſed fruſtra: Nam illum, inquit, non oportet ſcandalizari, ſi conſobrinum eius filium fratris mei de ſancto ſuſcipiam lauacro; quia hanc petitionem nullus Chriſtianorum debet abnuere, &c. Legatis ergo diſcedentibus, Rex accedens ad lauacrum ſanctum obtulit puerum ad baptizandum. Quem excipiens, Clotarium vocitari voluit, dicens: Creſcat puer, & huius ſit nominis executor, ac tali potentia polleat, ſicut ille quondam, cuius nomen indeptus eſt. Quo myſterio celebrato inuitatum ad epulum paruulum multis muneribus onerauit. Similiter & ab eodem inuitatus pluribúſque donis refertus abſceſſit, & ad Cabillonenſem vrbem reuerſus eſt. S. Aredius Lemouicinæ vrbis incola, Pelagiæ filius, valdè ingenuus, ſancto fine in monaſterio, quod in patria condiderat, migrauit ad Chriſtum. Hic olim Theodeberto Francorum Regi traditus, & aulicis palatinis adiunctus, à S. Nicetio Treuirenſi Ep. eximiæ ſanctitatis edoctus fuerat, & in Clericorum numerum adſcriptus, innumeris claruit miraculis. Hæc ſummatim ex Gregorio Turonenſi à cap. 24. lib. 10. & vltimi Hiſtoriæ Francorum vſque ad cap. 30. in quo narrat menſe huius anni ſecundo luem in Turonico, & Namnetico graſſatam, atque apud Lemouicam quoſdam die Dominico opus publicum exercentes igne cæleſti fuiſſe conſumptos. Addidit deinde appendicis vice Anacephalæoſim de Turonicis Epiſcopis cum annotatione temporis, de qua dicenus Deo dante poſt triennium. Interim Indictione nona currente Hormiſda Rege Perſarum occiſo, filius eius Coſroës à Baramo contribuli ſuo regno pulſus ad Romanos confugit, initáque cum Mauricio, qui Martyropolim, Daras, aliáque loca recepit, ſocietate & amicitia, in regnum eſt reſtitutus, qua de re conſule Euagrium, Simocattam, Theophanem, Chronicon Alex. alióſque. Anthariti Langobardorum Regis obitum huic anno illigare Chronologi vulgares ſolent diémque aſſignant Septembris vel 5. vel 3. cùm annos 5. &

menſes

menſes ſex regnaſſet. Theudelinda eius relicta vidua Ducum conſenſu regnum retinuit, & Agilulfo Duci nupſit menſe Nouembri ex Paulo Diacono lib. 3. cap. 33. & ep. 17. libri 1. S. Gregorij Papæ: quæ quomodo conciliari queant, cum iis, quæ ex Gregorio Turonenſi diximus de Aptacharij morte eíque ſuffecto Paulo, non ſatis intelligo. Mors S. Simeonis Stylitæ ad hæc tempora reuocatur. Vide Euagrium lib. 6. cap. 22. Idem ſanctus Gregorius ad Virgilium Arelatenſem, & Theodorum Maſſilienſem Epiſcopos ſcripſit Iudæos ad fidem Chriſti amplectendam non eſſe cogendos.

Anno Chriſti DXCII. *Childeberti XVII. Guntramni XXXI. Suſcepta videtur à Gregorio Turonenſi Romana peregrinatio ad viſenda limina Apoſtolorum, cuius mentio fit in Vitâ Auctore incerto ſcripta, eiúſque operibus prafigi ſolita. Hunc verò clariſſimum Hiſtoriæ Francicæ Solem dolemus tribus ante obitum annis defeciſſe, neque ad annum vſque 594. exeuntem, quo migrauit ad Superos in ſcribendis Francorum rebus geſtis fuiſſe proiectum. Fredegarius, ſeu quis alius auctor Appendicis ad Gregorium teſtatur anno hoc, quem corruptè vocat Guntramni 32. cùm fuerit dumtaxat 31. ita à mane vſque ad mediam diem Solem minoratum eſſe, vt tertia pars ex ipſo vix appareret. Eclipſis illa, cuius etiam meminit Theophanes, contigit die 19. Martij feria 4. hora decima poſt mediam noctem, nec vlla contigit anno ſequenti, qui verè præceſſit mortem Guntramni Regis, vt pluribus docuit Petauius noſter, & ex eo alij recentiores.* Agilulfus, quem Agonem Ducem vocat Fredegarius, aliíque eum ſequuti noſtrates Hiſtorici, omnium Langobardorum ſuffragiis Rex in Italia fuit electus huius anni menſe Maio, miſitque Legatos ad Childebertum de redimendis captiuis, quos opera Reginæ Brunichildis obtinuit, teſte Paullo Diacono. Arnulfus Dux eorumdem Langobardorum Tuſciam aliáſque Italiæ partes vaſtat, plurimóſque abducit captiuos, quos S. Gregorius redemiſſe teſtatur. Mauritius Imp. ſuſcepta in Auares per Thraciam tumultantes expeditione, verno tempore ſolis defectu conſpecto, aliíſque non fauſtis ominibus territus à bello abſtinuit, reuerſúſque CP. legem tulit, ne quis miles, niſi expletâ militiâ, monachus eſſe poſſet. Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus Antiochiam rediit, poſtquàm obiiſſet Gregorius, qui eo ſuperſtite Patriarchatum inuaſerat. Ita Chron. Alexand. cui præiuit Euagrius, ex quo conſtat Gregorium ex podagra obiiſſe, viuentibus Ro-

mano Pontifice Gregorio, Ioanne C P. Eulogio Alexandrino, & Ioanne Hierosolymitano, qui paullo post vitam finiit, Anastasium verò post annos 23. sedi suæ fuisse restitutum.

Anno Christi DXCIII. *Childeberti XVIII. Guntramni XXXII. Indictione XI. datum vulgò creditur die 25. Maij famosum illud Priuilegium monasterio S. Medardi apud Sueßionas, quod extat libro XII. Registri Epistolarum S. Gregorij. Verùm cùm alia multa obstant, tum quòd Theodericus tunc non erat Rex Francorum, nec Episcopi Euterius Arelatensium, Augustinus Cantuariorum, Mellitus Londoniæ, Sutellius Burdegalensium, Vitalis Vesocensium, Flauius Remorum, Ansericus Sueßionum quos Suessos vocat, vt de aliis taceam ad Italiam spectantibus, &c. quæ Sirmondum, ni fallor, impulerunt, vt locum illi inter vetera nostratis Historiæ monumenta denegaret. Qui Guntramnum hoc anno ad cælites abiisse contendunt anno regni 33. animaduertere debuerant, Incertum illum auctorem Appendicis, quem Fredegarium passim indigetamus, Aimoinum, aliósque, qui ex eius turbido fonte biberunt, toties turpiter errasse ab obitu Chilperici ad mortem Guntramni, quoties à certissima Gregorij Turonensis, qui quod oculis vsurpabat, quod manibus palpabat, quod in Actis publicis expressum legebat, in libros suos retulit, Chronologiâ aberrasse dignoscuntur. Neque verò opinioni suæ patrocinium ex iisdem Fredegario atque Aimoino petere iure possunt, quòd Childeberto Burgundici regni quatuor annos tribuant. Quem enim ipsi re minus bene perpensâ Guntramno annum abstulerunt, eius nepoti Childeberto restituere coacti sunt, ne in Theodeberti ac Theodorici Regum initiis à recto veritatis tramite discederent, à quo cùm auij longiùs recedunt, nullam apud eruditos merentur fidem. Certè qui Fredegarium, Aimoinum, similésque scriptores nostro Gregorio præponunt, iidem mihi videntur Florum, Eutropium, Victorem, aliósque eiusmodi breuiatores Iulio Cæsari, qui quæ vidit, quæ fecit, dixítque, in Commentarios suos retulit posteríque mandauit, eodem iure prælaturi.* Euagrius sub finem Augusti nondum finitis Ind. XI. & anno Antiocheno 641. historiæ suæ finem videtur imposuisse iam currente à 13. Augusti Mauricij imperantis anno 12. Priscus Mauritij Dux Chaganum vicit, ab eóque vicissim obsidetur. Bellum intestinum inter Langobardos exoritur, quibus Perusiam & alia quædam loca Romanus Exarchus, dum Roma Rauennam abiret, abstulit. S. Gregorius Papa libros Dialogorum hoc scribebat tempore, de quorum auctoritate, vide quid aduersus Melchiorem Canum temerè iis obtrectantem

ſcripſerit Cardinalis Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium die 23. Decembris. Idem quoque Papa ad Dynamicum Patricium Galliarum cum epiſtola data menſe Aprili Indictione XI. miſit Crucem ſacris reliquiis refertam.

Anno Chriſti DXCIV. *Childeberti XIX. Guntramnus Francorum in Burgundiâ Rex Chriſtianiſſimus ſanctiſſimo fine deceſſit die 28. Martij, vt habent Martyrologia, & ſepultus eſt in Eccleſia ſancti Marcelli in Monaſterio, quod conſtruxerat in territorio Segonum ſiue Sequanorum Saltúque Brexio: cùm regnaſſet à morte patris Clotarij I. an. 32. cum tribus circiter menſibus Omnes enim veteres nouíque ſcriptores in eo conſentiunt, quòd 33. regni annum attigerit, ſed in eo inter cætera peccauit Fredegarius, quod vno dumtaxat anno veram Guntramnici regni epocham præter ius fáſque præuerterit. Childebertus Sigeberti filius in Auſtraſiorum Regno agebat annum 19. qui fuit Burgundici ſiue Aurelianenſis primus, cùm poſt obitum glorioſiſſimi Regis Guntramni, verba ſunt Gregorij Turonenſis, qui præſens interfuit cap. 37. lib. 4. de Miraculis S. Martini, Aurelianenſium vrbem adiit, vt in primaria, quantum coniicere licet, regni illius vrbe ab Epiſcopis Leudibúſque pro more temporum illorum ſuſciperetur. Idem Gregorius capite ſeq. hæc habet ad ordinandam anni huius rationem vtilia: Non poſt multos dies, cùm ſolennia ſancti (Martini 4. Iulij) dies annuus retuliſſet, nos à Rege (ſic enim lego, non à grege, vt habent vulgares editiones, etiam vltima anni 1640. nullo ſenſu) regreſſi, feſtiuitati eius affuimus, in quâ, &c. Deinde cap 40. Alia autem feſtiuitate, quæ in hyeme celebratur, Marcellus quidam, &c. Octaua verò huius feſtiuitatis die Nouemb. 17. viuendi finem feciſſe videtur noſter hîc Gregorius, hoc eſt, intra Martinianam hebdomadam quintodecimo Kal. Decembris, vt habet eius Vitæ Auctor Anonymus, cuius à vero calculus aberrat, dum ait anno Epiſcopatus ſui 21. tanquam ſeptenario annorum numero ter in fide ſanctæ Trinitatis completo appoſitum eſſe ad patres ſuos ætatis circiter 52. Hiſtoriæ Francicæ coronidem eodem anno impoſuiſſe credimus, ſiue ineunte Martio, ſiue etiam ſeriùs, anno ordinationis ſuæ 23. (non 21. vt habent excuſi libri non ſemel) Gregorij Papæ 5. Guntramni Regis 33. (expunxerunt enim iampridem viri eruditi 31.) Childeberti Iunioris, ſub cuius imperio degebat, 19. à tranſitu denique S. Martini vel 194. vel 197. vt docuimus in Chronico noſtro Technico. Eclipſis Solis contigit eodem anno die 23. Iulij feria 6. ferè ſub ipſius ortum. Vvintrio Dux Campanienſis cum exercitu in Regnum Clotarij ingreſſus eſt. Clotarius cum ſuis obuiam pergens hoſtiliter Vvintrionem in fugam vertit multis vtrímque cæſis, vt docet Fredegarius. Atque*

illud quibuſdam non immeritò videtur fuiſſe prælium, quo à Fredegunde & Clotario attritas fuiſſe Auſtraſiorum, & Burgundionum acies, in pago Sueſſionico, loco nuncupato Truero, teſtantur Geſta Francorum cap. 36. Aimoinus cap. 82. lib. 3. & alij. Caue autem verba illa: Puerum præ ſe geſtans, idem ſignificare putes, atque in vlnis gremióque materno circumferens, vt ineptè ſcripſerunt plerique omnes Hiſtorici recentiores. Poſt Ioannem Ieiunatorem dictum, C P. Patriarcha factus eſt Cyriacus ex Preſbytero, & Oeconomo Magnæ Eccleſiæ, præfuítque annis 12. vt docet Chron. Alexandrinum Indictione XII. quam cum Mauricij anno XII. rectè conſociat, alij tamen Ioannis illius obitum in annum vſque 596. differunt. Sanctus Gregorius Conſtantinæ Auguſtæ Mauricij coniugi negat caput ſancti Pauli Apoſtoli, quod illa ſibi mitti petierat, vt diſces ex Ep. 30. lib. 3. Priſcus Mauricij Dux Sclauinos vincit, atque ex Thraciâ eiicit.

Anno Chriſti DXCV. *Childeberti XX. Exercitus Francorum & Britannorum congreſſi mutuâ atteruntur cæde. Cometes, aliáque ſigna in cælo apparuerunt. Vvarni, qui rebellauerant, ab eiuſdem Childeberti Regis exercitu proſtrati ſunt. Vni enim anno conuenire iſta arbitramur, quæ Fredegarius, eiúſque ſequaces, minùs rectè in duos diuiſerunt annos, vt iacturam vnius anni, quoquomodo reſarcirent. Pelagius poſt Gregorium creatus eſt Turonorum Epiſcopus, ſed quo menſe vel die fatemur nos ignorare penitus.* Concilium Romanum die quinta Iulij celebratum eſt, præſide ſancto Gregorio Papa, cuius initium habetur huiuſmodi ep. 44. lib. 4. Regnante in perpetuum D. N. I. C. temporibus piiſſimorum DD. Mauricij, Tiberij, & Theodoſij Auguſtorum eiuſdem Dom. Imperat. Mauricij anno 13. (malè ſubſtituendum putant 10. Baronius, Vbbo Emmius, aliíque) Indictione 13. &c. *Sanctus Gregorius ad Childebertum Auſtraſiæ, & Burgundiæ Regem binas hoc anno ſcripſit epiſtolas, de quibus monuimus iam in Chronico Technico. Idem Brunichildæ Reginæ, & Candido Preſbytero Rectori patrimonij Galliarum ſcripſit, ac Virgilio Arelatenſi Epiſcopo vices ſuas in regno Childeberti conceſſit, mandauítque Epiſcopis Galliarum, vt Virgilio obediant, ab eóque vocati ad Synodum veniant. Thaſſilo à Childeberto Francorum Rege ordinatus Baioariorum Rex teſte Sigeberto Sclauis deuictis triumphum obtinuit.* Agilulfus Langobardorum Rex Perufiam, aliáſque vrbes recipit, vrbíque Romanæ infeſtus cladem minitatur, quamobrem ſanctus Gregorius interrum-

pere coactus est institutam Prophetæ Danielis enarrationem. Chaganus Auarum Princeps proditione Romildæ vxoris Gisulfi castrum Foroiulianum occupat, incendítque. Priscus Istro transmisso ex ipsa Sclauinorum regione prædam ingentem capit, & ad Imper. mittit. Ioannes Ieiunator Patr. CP. nomen sibi Oecumenici siue Vniuersalis vsurpat, obnitente S. Gregorio Papâ, vt ex eius epistolis constat. Post Edelricum Nortumbriæ Regem successor eius & filius Edelfridus regnat annis 21.

Anno Christi DXCVI. *Clotarij XII. currente, Childebertus, iunior dictus, Austrasiæ ac Burgundiæ Rex veneno, vt ferunt, subiatus obiit mense circiter Aprili ætatis 25. cum Faileubâ vxore, postquam regnasset à cæde patris, seu à proximè secuto Natali die Domini annos 20. cum aliquot insuper mensibus, & tertium annum inchoasset, ex quo post mortem Guntramni Burgundicum siue Aurelianense regnum acceperat, vt in Moissiacensi Chronico diserte asseritur. Falsò enim, vt supra iam obseruauimus, Fredegarius, Aimoinus, & quidam alij Burgundici regni 4. annos assignant. Successerunt sub tutelâ Brunechildis auiæ Theodebertus in Austrasia seu Metensi regno, Theodericus verò in Burgundiâ, quod priùs Aurelianense dicebatur regnum. Ad eos scripsit sanctus Gregorius Papa mense Iulio Indictione 14. epistolam 58. lib. 5. quæ extat pag. 429. Tomi I. Conciliorum Galliæ, quemadmodum & multæ aliæ hoc eodem anno datæ ad Episcopos Palladium Santonensem, Pelagium Turonensem, Serenum Massiliensem, Virgilium Arelatensem (qui in titulo dicitur Metropolita Galliæ) Desiderium Viennensem, Syagrium Augustodunensem, Protasium Aquensem, ad Stephanum Abbatem Lerinensem, Respectam Abbatissam Massiliensem, Arigium Presbyterum, &c. Eo anno Fredegundis cum filio Clotario Parisios occupauit, motóque exercitu contra Theodebertum & Theodericum fratres in loco, nominato Latifao, eorum copias grauiter trucidauit, vt docent Fredegarius cap. 17. Appendicis, Gesta cap. 37. Aimoinus lib. 3. cap. 86. alíque. Idem qui supra sanctus Gregorius epistolam scripsit ad Ætherium Lugdunensem Archiepiscopum cum hac clausulâ: Data die 10. Calend. August. imp. D. N. Mauritio Tiberio piissimo Augusto anno 14 Post Consulatum a. eiusdem D. N. an. 13. Indictione 14.* Ioannes Ieiunator hoc anno mortuus creditur, cui successit Cyriacus ille, de quo ante biennium ex Chronico Alexandrino. Eclipsis Solis die 5. Ianuarij feria 5. horis tribus post meridiem. Lunæ verò Eclipsis 15. Iunij feria sexta

hora vna ante mediam noctem. De SS. Augustino, Mellito, aliísque Monachis à sancto Gregorio Papâ ad prædicandam Anglo-Saxonibus in Britannia Australi Catholicam fidem hoc anno missis, pluribúsque per epistolas commendatis, de Æthelberto Cantuariorum Rege cum gente sua Christi fidem amplexo, de Berthâ Chariberti Francorum Regis filia eius vxore, cum Luilhardo Episcopo, quem secum è Francia adduxerat, in Ecclesia sancti Martini orare solitâ, de Interpretibus ex Francorum gente assumptis ac similibus, consule Regestum sancti Gregorij, Ven. Bedam in Historia Anglorum, aliósque Anglicanos Scriptores, ex quibus constat Baronium in supputandis Mauritij Imper. annis plurimùm aberrasse: Langobardi Crotonem capiunt, regiones Imp. subditas vastant, plurésque captiuos abducunt. Mauricius loco Prisci Ducis fratrem Petrum exercitui præficit.

Anno Christi DXCVII. *Clotarij XIII. Theodeberti & Theoderici secundo, Fredegundis Regina Chilperici relicta, & Clotarij mater teste Fredegario moritur, dies & locus ignoratur, atque in eadem cum marito suburbana Parisiensi S S. Vincentij ac Germani basilica sepelitur. In hunc annum reiicit Caluisius mortem Guntramni, reclamante necquicquam Baronio, quem Ducem in Francicis sequi solet. Idem quoque cum Sigeberto in annum 601. Fredegundis mortem differre debuit quadriennij parachronismo, quem vernaculi nostrates Historici passim amplexi sunt.* Sanctus Gregorius Papa Legato CP. misso mandat, ne communicet cum Cyriaco P. CP. nisi ab appellatione Oecumenici abstineat. Sclauini Thraciam inuadunt, & populantur, Petro Duce ægrotante, cui Priscus subrogatur: Edelbertus Anglorum Rex cum decem subditorum millibus in Natali Domini Indictione prima baptizatur ab Augustino, eiúsque sociis, ad fidem Christianam conuersus, vt Beda pluribus, & ipse sanctus Gregorius lib. 7. ep. 30. ad Eulogium Alexand. Episc. Iulio mense anni proximè sequentis conscripta. S. Columba in Iona insula extremum emisit spiritum die Iunij 9.

Anno Christi DXCVIII. *Clotarij XIV. Theodeberti & Theoderici 3. Quintrio Dux instigante Brunichilde interficitur. Fredeg. cap. 18. Aimoinus, alij. Marculfus Baiocensis Abbas sanctitate claret in Gallia, inquit in Chronico Sigebertus Gemblacensis. Ab eo diuersus omnino fuit Marculfus sancti Austrigisili tum in vrbe Lugdunensi Ec-*

cleſiæ ſancti Nicetij Abbatis adminiculus, de quo aliàs. Chaganus bellum in Mauricium apparat. Romano Exarcho ſuccedit Rauennæ Callinicus ad annos 4. S. Gregorius priuilegium immunitatis Claſſenſi monaſterio conceſſit, quod Monachi ab Antiſtite Rauennatenſi duriùs, quàm par eſſet, haberentur.

Anno Chriſti DXCIX. *Clotarij XV. Fratrum Theod. & Theod.* 4. *Colenus ſiue Quolenus genere Francus Patricius ordinatur. Clades glandularia dicta Maſſiliam, & reliquas Prouinciæ ciuitates grauiter vaſtauit. Aqua calidiſſima in lacu Dunenſi (Ebredunenſem meliùs dixeris) quem Arola ſiue Arula fluuius influit, ſic validè ebulliuit, vt magnam coxerit piſcium multitudinem. Vvarnacharius ſiue Varnarius Maiordomus Theoderici Burgundiæ Regis obiit, qui facultates omnes in pauperum alimoniam diſtribuit. Brunichildis ab Auſtraſiis eiecta cùm ſola in Arciacenſi Campania latitaret, à quodam paupere reperta, ad Theodericum eius rogatu perducta eſt, qui auiam ſuam libentiſſimo animo exceptam gloriosè honorauit. Quiverò eam deduxerat pauper Antiſiodorenſi Epiſcopatu donatus eſt. S. Gregorius Papa hoc anno ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ Virgilium Arelatenſem, Ætherium Lugdunenſem, Deſiderium Viennenſem, Serenum Maſſilienſem, Syagrium Auguſtodunenſem, & Aregium Vapincenſem, quem ab aliis Niuernenſem exiſtimatum meritò queritur Sirmondus. Idem S. Gregorius ad Theodebertum & Theodericum Reges ſcripſit, vt Auguſta & Seguſium earúmque pagi à Taurinenſi Epiſcopo ante aliquot annos ſub Guntramno Rege diſtracti, Vrſicino Ep. repetenti reſtituerentur.* Epiſcopi Iſtriæ tandem ad communionem Romanæ Eccleſiæ reuertuntur, depoſita quam pertinaciùs arripuerant, Trium Capitulorum defenſione. Pax inter Romanos Langobardóſque rupta eſt, cùm Callinicus Exarchus Agilulfi Regis filiam cum eius marito intercepiſſet, & Rauennam deduxiſſet. Chaganus cum Auaribus ſuis Dalmatiam vaſtat, ſed miſſis à Priſco paucis exploratoribus prædâ exuitur. Scribebat hoc tempore Euſtathius vitam Eutychij Patr. CP. quæ extat apud Surium.

Anno Chriſti DC. *Clotarij XVI. Theodebertus & Theodericus fratres ſuper fluuium Aroannam non procul à Doromello caſtro exercitum Clotarij concidunt, cogúntque ea demum conditione pacem recipere, vt inter Sigonam, id eſt Sequanam, & Ligerim vſque ad Oceanum & Britannorum limitem Theodericus haberet, & per Sequanam & Iſaram ducatum integrum Denteleni vſque ad Oceanum Theodebertus reci-*

peret. Duodecim tantùm pagi inter Isaram & Sequanam ac mare littoris Oceani Clotario remanserunt, inquit Fredegarius cap. 20. & ex eo alij. S. Goar veniens ex Aquitania claret in Galliâ, si quæ Sigeberto fides, quam aliis examinandam permitto. Hoc ferè tempore C P. missos à Theodorico Francorum Rege Legatos tributum pro societate aduersus Chaganum cum Romanis ineunda popoſciſſe refragante Mauritio colligimus ex Theophylacti Simocattæ lib. 6. Chaganus verò irrupit in Mœsiam paullo ante Paschales ferias, quibus elapsis Romanos vicit, & in Thraciam venit, vbi captiuos omnes occidit, cùm Mauritius Imp. pro singulis quibúsque, nec aureum, nec aurei dimidium pendere voluisset. De iis præter laudatum Historicum consulendi Theophanes, Anastasius, Miscella, Cedrenus, Zonaras, similésque Byzantinæ Historiæ Scriptores. Agilulfus Patauium expugnat, exurítque, missis Rauennam præsidiariis militibus, vt testatur Paulus Diaconus.

SEPTIMVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM, MAHOMETIS ET MAIORVM DOMVS FRANCIÆ.

Ab anno Domini IESV 601. *M.* 4654. *Romæ* 1354. *ad annum Christi* 700. *M.* 4753. *Romæ* 1453.

SEXCENTESIMO PRIMO *Æræ Christianæ anno Clotarij XVII. Theodeberti & Theodorici 6. Cautinus Dux Theodeberti interficitur, inquit Fredegarius. S. Papa Gregorius scripsit Regibus Francorum, Brunichildæ Reginæ, Desiderio, Virgilio, Ætherio, Arigio, Sereno notarum sedium Episcopis, tum Mennæ Tolosano, Lupo Cabilonensi, Agilio siue Agiulfo Metensi, Simplicio Parisiensi, Melanthio Rothomagensi, & Licinio vt creditur Andegauensi, Cononi quoque Abbati Lerinensi, quorum pleríque commendauit Laurentium, aliósque Monachos, quos in Angliam ad Augustinum & socios mittebat. Epistolas illas ex Regesto erutas digestásque exhibet cum aliis ad nostratem Historiam spectantibus Tomus I. Conciliorum Galliæ Sirmondi.* Mauritius ipso Paschatis die 26. Martij impositam capiti suo ab vxore Augusta coronam abominatus tradidit Templo Sanctorum Apostolorum. Priscus contra fœdus cum Chagano initum copias suas Commentioli copiis iungit, & Auares transito Danubio bis superat, tertióque congressu Chagani filios amne illo submergit. Mauricius captiuos reddi iussit. S. Gregorius Litanias ferius 4. & 6. cani voluit, cùm fama attulisset Sclauinos ipsi etiam imminere Siciliæ. Recaredo Wesigothorum Rege mortuo cum annos regnasset 16. ab obitu patris filius eius Liuba seu Leuuanes II. regni sceptra suscepit annis duobus, anno Æræ Hisp. 640. ait Isidorus in Chronico vulgari. At in Historia quam ex Manuscripto nostro emisimus in lucem, Æra dum-

nxat 639. adſcribitur, quæ in hunc annum cadit.

Anno Chriſti DCII. *Clotarij XVIII. Theod. & Theod. 7. Ægila Patricius nullis culpis extantibus, ſed ſolo cupiditatis inſtinctu, operâ Brunichildis occiditur. Theoderico filius Sigebertus naſcitur de concubina. Reges Theodebertus, & Theodericus Vaſcones debellant, & tributarios faciunt. Ducem ſuper illos Genialem inſtituunt. Corpus S. Victoris Martyris, qui Solodori cum S. Vrſo ſiue Vrſione paſſus eſt, ab Æonio Mauriennate Epiſcopo inuentum fuit in eccleſia, quam Sedeluba Regina in ſuburbano Genauenſe condiderat, & eleuatum Theodorico Rege præſente ab Epiſcopis Ruſtico & Patricio. Rex multa eidem contulit eccleſiæ, partémque maximam facultatis Vvarnacharij illi addixit. Ætherius Lugdunenſis Ep. obiit, cuius loco ordinatus fuit Secundinus. Fredeg. capp. 21. & 22.* ſeq. verò Mauricium à Foca interfectum memorat. Verùm in hoc errat, quòd hunc Ducem & Patricium reipublicæ victorem à Perſis rediiſſe aſſerat. *Sanctus Gregorius Papa menſe Nouembri Indictione 6. iam inchoatâ ſcripſit ad Ætherium Lugdunenſem Ep. necnon ad Senatorem Abbatem de Xenodochio Auguſtodunenſi à Syagrio Epiſcopo & Brunechilde Reginâ fundato, ad Theſſaliam Abbatiſſam Virginum monaſterij ſanctæ Mariæ in eadem vrbe, & Lupponem Abbatem ſancti Martini in eiuſdem vrbis ſuburbio. Quas ſimiléſque epiſtolas collegit, digeſſitque Sirmondus. Sanctus Euſtaſius Bituricenſis Archiepiſcopus pridie Kalendas Ianuarij extremo huius anni die abſceſſit è viuis cùm 12. fermè annis Pontificalem ſedem obtinuiſſet.* Eodem anno per ſeptem dies Februarij menſis à 9. ad 15. ſolennia nuptiarum Theodoſij Mauricij Imp. filij peracta ſunt. Arnulfus Dux Beneuentanos multos ex Romano exercitu cædit. Callinico Exarcho poſt an. 4. ab Imp. reuocato, Smaragdus iterum fit Exarchus ad annos 8. Nouembri menſe Phocas Centurio, linguâ promptus, ob eámque cauſam gregariis militibus acceptus, cum exercitu contra Mauricium ſeditionem mouet, & propius ad vrbem Regiam accedit. Mauricius cum Conſtantina vxore & 9. liberis, ſex maribus, tribúſque virginibus fugit ex vrbe C P. illuceſcente iam 23. eiuſdem menſis feria 6. qua die à Patriarcha Cyriaco poſt ſanæ fidei profeſſionem coram frequenti Senatu in æde S. Ioannis Baptiſtæ in Hebdomo PHOCAS inauguratus eſt ad annos 8. Inde ſequente Dominica quæ fuit 25. eiuſdem menſis per Auream portam, & Troadeſias porticus, mediámque vrbem, vſque ad palatium cunctis applaudentibus C P. curru inuectus

est. Comprehensus ab immissis militibus Mauritius in ædè S. Autonomi iuxta Prænetum, ductúsque Calchedonem die 27. feria tertia cum tribus filiis, & Petro Curopalata occisus est: alij in Diadromo prope Acritam, & ad S. Cononis prope mare, cum Theodosio Mauricij filio interfecti sunt. Reliquo anno vsque ad Ianuarium sextæ Indictionis perscriptum est in publicis imperij actis, Anno Phocæ primo, inquit Auctor Chronici Alexandrini, qui ex Magno, vt vocat, Chronographo multa subiicit de Chagano in captiuos ob negatam pecuniam sæuiente, aliísque. Philippicus, qui Mauricij sororem duxerat, Clericus factus est, & illa monialis. Constantina verò Augusta cum filiabus Ecclesiam ingressa populi fauore seruata est.

Anno Christi DCIII. *Clotarij XIX. Theod. & Theod. VIII. Theoderico Childebertus filius de concubina nascitur. Synodus Cabilloni congregatur, in quâ instigante Aridio Lugdunensi post Secundinum Episcopo, & Brunichilde, Desiderius Viennensis Episcopus deiectus est, & in insulam exilio retrusus, subrogato in eius locum Domnolo.* Sol obscuratus est (die 12. Augusti feria 2. ab hora secunda pomeridiana ad 4 cum aliquot minutis, vt Petauius exponit pag. 854. Tomi I. de Doctrina Temporum) *Berthoaldus Francus Maiordomus Palatij Theodorici erat multis insignis laudibus. Vide Fredeg. cap. 24. Idibus Ianuarij die Dominica inuentum S. Firmini Martyris corpus omnem suo odore regionem afflasse dicitur. Circa hoc tempus natos esse in pago Suessionensi ex patre Authario, & matre Agira clarissimos fratres Adonem, Dadonem & Radonem docent, qui vitas scripsere SS. Audoeni & Columbani. S. Apollinaris 29. Biturigum Archiepiscopus post S. Eustasium sedit annis nouem.* Liuba Wesigothorum Rex Recaredo, & ignobili matre progenitus, virtute & indole præclarus, anno ætatis 22. regno deiectus, præcisáque dextra occisus est à Witerico, qui tyrannidem vindicauit sibi annis septem, vir quidem strenuus in armorum arte, sed tamen expers victoriæ, inquit S. Isidorus Æra 641. quam cum anno imp. Mauritij 20. comparat in codice nostro MS. Agilulfi ex Theodelinda filius ipso Paschatis die 7 Aprilis baptizatus est. Idem verò Agilulfus, cùm ab Exarcho filia negaretur, mense Iulio Cremonam obsidet, eámque die 21. Augusti expugnat, tum die 13. Septembris Mantuam, dein castrum Vulturinum & Brexillum oppidum. Exarchus filiam coactus reddit, & cum

Langobardis à Nouembri menſe vſque ad Aprilem inducias paciſcitur. Aidannum ſiue Edanem Scotorum Regem Edilfridus Northumbriæ Rex vincit, Angliáque eiicit regni ſui anno 11. Focatis primo ab Incarnatione Domini 603. vt docet Ven. Beda cap. vltimo lib. 1. Hiſtoriæ Anglorum. Ad hunc & præcedentis anni partem pertinet Annotatio quæ vicem obtinet epiſtolæ primæ in libro vndecimo Regiſtri Epiſtolarum S. Gregorij Papæ. In nomine Domini Dei, & Saluatoris noſtri IESV CHRISTI per Indictionem ſextam die 23. menſis Nouembris temporibus Domni beatiſſimi Papæ Gregorij coronatus eſt Phocas, & Leontia Auguſta in Septimo, in Palatio, quod dicitur Secundianas, & occiſus eſt Mauritius Imp. &c. Venit autem icona ſupraſcriptorum Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum Romam VII. Kal. Maij, & acclamatum eſt eis in Lateranis in baſilica Iulij ab omni Clero vel Senatu: Exaudi Chriſte: Phocæ Auguſto & Leontiæ Auguſtæ vita. Tunc iuſſit ipſam iconam Dominus beatiſſimus, & Apoſtolicus Gregorius Papa deponi in oratorio S. Cæſarij martyris intra palatium. Idem ad eoſdem epiſtolas ſcripſit, quæ in eodem libro continentur datæ menſe Iunio Indict. 6. Ex Chronico Alex. habemus I. Conſtantinam Eximperatricem ἀπὸ βασιλιστῶν in monaſterium fuiſſe coniectam. II. Philippicum Patricium & Comitem Excubitorum, & Germanum ſocerum Theodoſij in Clericos attonſos. III. Seditione populi exuſtam eſſe ædem Lauſi cum prætorio Præfecti vrbis vſque ad Arcam, quæ eſt è regione Fori Conſtantini. IV. Interfectum eſſe Praſinæ factionis adminiſtratorem Ioannem Croucim. De Coſroe Perſarum Rege ob necem amici ſui Mauricij Imp. arma aduerſus Phocam inferente, & Romanorum duce Narſete, conſule Theophanem, Cedrenum, alióſque.

Anno Chriſti DCIV. *Clotarij XX. Fratrum Auſtraſiæ & Burgundiæ Regum IX. Theoderico naſcitur de concubina filius, nomine Corbus. Protadius, genere Romanus, hoc eſt ex Gallis indigenis oriundus qui ſub Romanis vixerant, defuncto Vvandalmaro Duce, in pago Vltraiurano & Scotengorum Patricius ordinatur, inſtigante Brunichilde ſtupri gratia. Bertoaldus per pagos & ciuitates à ripa Sequanæ vſque ad Oceanum cum* 300. *viris fiſci colligendi cauſa miſſus, cùm ad Arelaunum villam venationem exerceret, ab exercitu Clotarij, quem Meroueus eius filius & Landericus Maiordomus ducẽtabant, fugatus in*

die festo S. Martini Antistitis Aurelianos ingreditur, ibique ab Austrino Episcopo susceptus cum Landerico de muro colloquitur, eúmque ad singulare certamen inuitat. Theodericus cum exercitu superueniens, Stampas per fluuium Loa accedit, & cum Meroueo & Landerico pugnat. Bertoaldus in prœlio cecidit, Meroueus filius Clotarij captus est (quem à patre eam ob rem missum fuisse interpretor, non vt pugnaret ipse quidem, verùm maiorem vt Landerico conciliaret apud milites auctoritatem) Landericus cæso exercitu in fugam versus est. Theodericus victor Parisios ingreditur. Theodebertus pacem cum Clotario iniit in villâ Compendio. Fredeg. capp. 24. 25. 26. Sanctus Gregorius Papa, primus dictus ac Magnus, Anglorúmque Apostolus obiit die 12. Martij Indictione labente VII. cùm sedisset annos 13. menses 6. & dies 10. vt Ven. Beda bis testatur, & ex Registro Epistolarum eius planè constat; aut annis 14. cum vno mense, & diebus aliquot, si ab eius electione numerare volueris: neque enim vlla ratione tolerari debet eorum sententia, qui 16. annos illi tribuere non verentur. Succedit S. Gregorio Sabinianus, natione Tuscus, patria Volaterranus ad menses quinque & dies 19. Chosroes Persarum Rex Phocæ, qui cum Chagano pacem aucto, quod singulis annis pendere solebat, tributo iniit, Duces duos Germanum & Narsetem vicit. Sanctus Augustinus primus Cantuariensis in Anglia Archiepiscopus obiit die 26. Maij, vt docent Romani Fasti.

Anno Christi DCV. *Clotarij XXI. Theodeberti & Theoderici X. Protadius instigatione Brunichildis, Maiordomus substituitur. Eorundem Brunechildis & Protadij hortatu Theodericus exercitum mouet contra Theodebertum, quasi non esset filius Childeberti, sed cuiusdam hortulani. Castris ad Caraciacum positus, Theodericum Leudes sui ad pacem cum fratre inuitabant, solus Protadius ad pugnam impellebat. Quo à Theoderici exercitu cæso, dolo cuiusdam Vnceleni, (Hic à Theoderico iussus milites compescere, eis cædem Protadij qui in Regis tentorio cum Petro Archiatro tabula ludens sedebat, imperauit Regis nomine) pax fuit inita inter fratres sine prœlio. Fredeg. cap. 27.* Sabiniano Papa mortuo die 19. Februarij cessauit Romana sedes mensibus 11. & diebus 26 Mense Iunio die sabbati Theodorus Præfectus prætorio, aliíque nobiles à Phocâ tyranno occisi: Elpidius Illustris diris tormentis excarnificatus. Constantina quoque Mauricij vxor cum tribus filiabus, & Cleopatra vxore Theodosij vnà cum patre Germano in Portu Eutropij prope Cal-

chedonem capite plectuntur ex Chron. Alex. Theophane, Cedreno, aliis. Narſes Dux contra fidem datam iuſſu Phocæ viuus CP. exuritur, maximo Perſarum gaudio, qui liberos ſuos Narſetis nomine terrere ſolebant, & hoc anno Daras ceperunt, atque ingenti præda collecta Meſopotamiam Syriámque depopulati ſunt.

Anno Chriſti DCVI. *Clotarij XXII. Theod. & Theod. fratrum XI. Maiordomus ſubrogatur Claudius, genere Romanus, vir prudens, ſtrenuus, literarum ſtudiis eruditus, fide plenus, cætera præſtans, niſi quod ſagina corporis eſſet aggrauatus. Fredeg. cap.* 28. Bonifacius III. Papa creatus die 15. Februarij poſt octo menſes, & dies 23. obiit die 12. Nouembris. Synodus Romana 72. Epiſcoporum, in qua decretum eſt non Patriarchæ CP. ſed Romano Pontifici deberi titulum Oecumenici, nec attentandum eſſe quippiam circa electionem Romani Pontificis niſi tertio die poſt prioris obitum. Cyriacus Patr. CP. moritur die ſabbati 29. Octobris, & ſeq. die funus curatum eſt, ac depoſitum per mare corpus eius in æde SS. Apoſtolorum. Succeſſit Thomas Magnæ Eccleſiæ Diaconus, & Sacellarius die 23. Ianuarij anni ſeq. ad annos duos, & menſes 7. Adeualdus filius Agilulfi Regis Langobardorum à patre Rex declaratur Mediolani in Circo, eíque filia Theodeberti Auſtraſiorum Regis deſpondetur. Smaragdus Exarchus Ferrariam ob loci opportunitatem munire incipit. Aidanus Scotorum Rex mœrore confectus obiit pæne octogenarius, & Kennetho regni inuaſore paullo poſt defuncto Eugenius Aidani filius regnauit ad annos 16.

Anno Chriſti DCVII. *Clotarij XXIII. Theodeberti & Theoderici XII. contigiſſe multa teſtatur Fredegarius capp.* 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. *I. Vncelenum, qui Protadij necis cauſa fuerat, inſtigante Brunichilde pede truncatum, rebúſque ſuis expoliatum fuiſſe. II. Vulfum Patricium, qui in eiuſdem Protadij mortem conſenſerat, in Fariniaco villa occiſum fuiſſe iuſſu Theoderici, eiuſdem Brunichildis hortatu, pro eóque Patricium ſubrogatum Richomerem, genere Romanum. III. Theoderico natum eſſe de concubina filium Meroueum, quem Clotarius de ſancto lauacro ſuſcepit. IV. Aridium Lugdunenſem Ep. cum Roccone, & Æborino Comite ſtabuli in Hiſpaniam miſſum ad Vvettericum Regem Ermenbergam filiam eius impetraſſe, & Cabillonum perduxiſſe, quam tamen Brunechildæ auiæ ſuæ ſororíſque ſuæ Theudelanæ*

dolis post annum intactam spoliatámque remisit. V. Parum abfuisse, quin ob illud repudium quatuor Reges Vettericus, Theodebertus, Clotarius, & Agilulfus siue Ago in Theodericum irruerent. VI. Eundem Theodericum consilio Aridij Lugdunensis Ep. & persuasu Brunechildis, S. Desiderium Viennensem Ep. de exilio egressum lapidari præcepisse, & ad eius sepulcrum miras virtutes Deo operante fuisse ostensas. Quod verò addit eodem anno Vetterico successisse Sisebodum insigniter aberrat, cùm certum sit auctoritate S. Isidori Ep. Hispalensis qui tum viuebat, non ante annum 610. Vettericum fuisse occisum, eíque ἀυίσως suffectum fuisse Gundemarum æra 648. tum Gundemaro Sisebutum æra 650. anno Christi 612. Bonifacius IV. creatur Romanus Pontifex die 18. Septembris ad annos sex menses 7. & dies 20. qui Pantheon, à M. Vipsanio Agrippa Romæ structum, in honorem Deiparæ Virginis Martyrúmque omnium consecrauit. Phocas occasione nuptiarum filiæ suæ Domitiæ cum Prisco Patricio & Comite Excubitorum, in multos sæuiit, carcerémque nimis angustum pluribus vinctis repleuit.

Anno Christi DCVIII. *Clotarij XXIV. Theodeberti & Theoderici XIII. Belichildis Theodeberti Regis vxor Austrasiis admodum cara, sed à Brunichilde contempta, velut ancilla, quia illam ipsa fuerat à negotiatoribus mercata, distulit venire ad colloquium, quod pro pace inter duos Reges stabiliendâ conductum fuerat à duabus illis Reginis inter Colerensem, & Suentensem. Fredeg. cap. 35.* Persæ occupant Armeniam, Cappadociam, Galatiam, Paphlagoniam, & ad Calchedonem vsque omnia ferro flammísque populantur. Errant qui ad hunc annum referunt inuentum in suburbano Genauensi corpus S. Victoris Solodorensis Martyris ab Æonio Mauriennensi Ep. quíque Vitterico subiiciunt Chundemarum, & Thomæ Patr. CP. Sergium, de quibus post biennium verba faciemus coætaneos scriptores secuti.

Anno Christi DCIX. *Clotarij XXV. Theodeberti & Theoderici XIV. B. Columbanus Abbas omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis, Theodericum Regem ob concubinas increpat. Harum filios à Brunichilde, (quam meritissimo iure, necquicquam defendere conantibus Stephano Pachasio, Auberto Miræo, & paucis alus, Auctor noster secundam Iezabelem vocat, & alij omnes Historici vt perditissimam fœminam certatim exagitant) in Brucariaco villâ oblatos benedicere noluit, & regnaturos negauit, qui de lupanaribus emersissent. Dein Lu-*

xonij aditum Regi intra monaſterij ſepta non permiſit, ideóque vi ex eodem pulſus Veſontionem ductus eſt. Inde reuerſus in cœnobium & iterum abire iuſſus, Namnetas vſque ſecundo Ligeri deſcendit anno ſequenti. Denique ad Clotarium, & ab eo ad Theodebertum perductus, atque inde ſuperatus Alpibus longo viæ circuitu peracto in Italiam ſecedens, Bobium monaſterium condidit, in eóque poſt aliquot annos ad Chriſtum migrauit. Fredeg. cap. 36. vita S. Columbani MS. Aimoinus, alij. Chronici Alex. auctor, ſiue Georgius Eccleſiæ C P. Diaconus, ſiue Petrus Alexandrinus Patr. ſiue quis alius à morte Conſtantini Imp. ad 22. Maij præſentis Indictionis XII. ſeptimo Phocæ anno Poſt Conſulatum eius quinto, fluxiſſe docet annos 272. abſolutos & incipere 273. quo anno primus Aprilis dies incidit in Feriam tertiam. Idem refert, I. Columnam in Ciſterna à Phocâ abſolutam fuiſſe ad partem occidentalem Eccleſiæ SS. XL. Martyrum prope æreum Tetrapylum. II. Africam & Alexandriam ab Imperio defeciſſe, & ab aduerſariis interfectum fuiſſe Patriarcham Alexandrinum. III. Iſacio mortuo Zachariam ex vaſorum cuſtode Magnæ Eccleſiæ C P. creatum fuiſſe Patr. Hieroſolymitanum. IV. Edeſſam in poteſtatem Perſarum veniſſe. Addunt alij Chriſtianos à Iudæis Antiochiæ vexatos, & Anaſtaſium Patriarcham in foro combuſtum, miſſóſque à Phocâ milites multos Iudæorum damnaſſe, & vrbe eieciſſe. C P. quoque excitata à Prætorianis ſeditione curiam prætoriúmque incenſa, carceres effractos, multos ex iis partim decollatos, partim in mare abiectos, dein omnes ſimul exauctoratos.

Anno Chriſti DCX. *Clotarij XXVI. Theodeberti & Theoderici XV. Cùm Alſatios Theodebertus peruaſiſſet, quos Theodericus patris Childeberti præcepto tenebat, vbi fuerat enutritus, placitum Saloiſſa caſtro inter hos Reges indictum. Cúmque vterque paratum haberet exercitum, Theodericus timore perterritus Alſatios Theodeberto firmauit, datis etiam Suginteníibus, Turenſibus, & Campanenſibus. Alemanni pagum Auenticenſem in Vltraiurano prædantur, ſuperatis Abboleno & Herpino Comitibus, aliíſque eiuſdem pagi, qui repugnare fuerant auſi. Eodem anno Theodebertus occiſa Bilichilde vxore Theudechildem puellam duxit. Fredeg. cap. 37.* Wittericus Weſigothorum in Hiſpania Rex ſuorum coniuratione inter epulas occiditur, eíque Gundemarus ad duos annos ſuccedit æræ 648. ex S. Iſidoro. Martij die 20. feria ſexta obiit Thomas Patr. C P. & die Dominica

nica 22. eiuſdem menſis terræ mandatus. Succeſſit Sergius Diaconus Magnæ Eccleſiæ, & Prochodochij præfectus, non die 8. Aprilis τῇ ἡ τῦ Αρτεμισίου μηνὸς, vt habet excuſum, verſúmque à Radero noſtro Chronicon Alex. ſed τῇ ιη'. hoc eſt 18. Aprilis die ſabbati Magni τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ τῆς ιγ' ἰνδικτιῶνος. Renuntiatum verò fuit inchoata iam Ind. 14. menſe Septembri Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum τὸν ἀπὸ στρατιωτῶν à militibus fuiſſe interemptum, ideóque errant, qui, vt diximus, ad præcedentem annum retulerunt. Omnibus Phocæ tyrannidem deteſtantibus, tandem die Octobris 3. ſabbato ad Caſtellum Rotundum apparuit Claſſis ex Africa veniens, in quâ erat Heraclius Heraclij filius à Priſco, aliiſque nobilibus euocatus ad imperium capeſcendum. Eiuſdem menſis die 5. feria 2. ſcribendum enim in ſupradicto Chronico τῇ ε'. non τῇ ϛ'. extractus ex palatio Archangeli Phocas Imp. omnibus nudatus veſtibus naui deportatus eſt ad Heraclium, cuius iuſſu capite plexus eſt cum aliis quibuſdam, cùm imperaſſet annos 7. menſes 10. dies 18. Hora nona eiuſdem diei Lunæ HERACLIVS Imperator coronatus eſt à Sergio Patr. CP. in magna S. Sophiæ Eccleſia. Poſtero die qui fuit Feria 3. in Ludis Circenſibus exuſta eſt ſtatua Phocæ ὡς πρὸ ὀλίγου ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ εἰς τὸ ἱππικὸν μὴ χωρῆσαι ἀπαιρόμενοι οἱ μέτριοι τῶν ἀνθρώπων. Eodem anno Focatis 8. currente, die 27. Februarij à Bonifacio Papa celebrata fuit Romæ Synodus Epiſcoporum Italiæ de vita Monachorum, & quiete, Indictione 13. cui interfuit Mellitus Londonienſis Ep. vt ſcribit Ven. Beda lib. 2. cap. 4. Poſt Smaragdum Exarchus Italiæ ſubrogatur Ioannes Lemigius ad annos 5.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCXI. *Clotarij XXVII. Theodeberti & Theoderici fratrum XVI. Theodericus Legatos ad Clotarium mittit Denteleni Ducatu promiſſo, ſi Theodebertum quem fratrem ſuum eſſe diffitebatur, quemque bello aggredi parabat, non iuuaret. Pactione firmatâ exercitum mouet. Fredeg. cap. 37. Ad hunc annum Baronius Tomo VIII. Annalium Eccleſiaſticorum mortem S. Auſtregiſili Biturigum Archiepiſcopi refert, ex malè intellecto Vitæ eiuſdem ſancti loco, quem ad verum germanúmque, ni fallor, ſenſum accommodatiſſimè aliàs expoſui, docuíque pluribus incommoda, quæ ex Baronianâ opinatione ſequi neceſſe eſt. Hoc verò anno die quinto Octobris ad ſuperos abiit*

S. Apollinaris Bituricenſis Antiſtes nono Pontificatus ſui anno, ſepultúſque eſt in Eccleſia de Caſtro, cui ſummo ciuium fauore Regíſque Theoderici aſſenſu electus ſucceſſor anno ſequenti ordinatus fuit. Chronicon. Alex. hæc habet I. à ſeptimo Octobris Ind. XIV. vſque ad 13. Ianuarij in publicis Tabulis ſcriptum eſt : βασιλείας Ηρακλείου, & à 14. Ianuarij vſque in reliquum tempus anni & Decembrem abſolutum καὶ ὑπατείας τῦ αὐτῦ δευτέρου μῆνας δεκάτου. Etſi enim in bigis non eſt progreſſus, illud tamen tempus ipſius Conſulatui tranſcriptum eſt. II. die 20. Aprilis feria tertia Luna 7. tanto terræ motu concuſſam CP. vt cogerentur ciues die 22. eiuſdem menſis quinta feria in campum prodire, preces fundere, & ſolemne Triſagium pſallere. III. die 7. Iulij feria 4. natam Epiphaniam Heraclij, & Eudociæ filiam in Proceſſo Hieriæ ἐν τῷ χέρνητι τῆς Ἱερείας.

Anno Chriſti DCXII. *Clotarij XXVIII. Theodericus Rex de vniuerſis regni ſui prouinciis collecto in Lingonibus exercitu menſe Maio per Andelaum pergens, Naſio caſtro capto, Tullum ciuitatem accedit. Theodeberto occurrente in Tullenſi Campania confligitur. Theodebertus victus per Metenſe territorium fugiens tranſito Voſago Coloniam peruenit. Theodericus cum exercitu inſequitur, Leoniſio Moguntiacenſis vrbis Epiſcopo animos addente Ardennam pertranſiens Tolbiacum peruenit : vbi Theodebertus cum Saxonibus, & Thuringis, aliiſque vltra Rhenum gentibus iterato prælio, iterum ingenti ſtrage ſuperatus eſt. Theodebertus à Berthario Cubiculario captus ducitur ad Theodericum, & vinctus Cabillonum deſtinatur. Meroueus paruulus eius filius patrui iuſſu ad petram alliſus cerebro effuſo amiſit ſpiritum. Clotarius Dentelini Ducatum iuxta conuentionem occupat. Quâ de re indignatus Theodericus, cùm iam toti dominaretur Auſtraſiæ contra Clotarium mouere exercitum aggreditur anno regni XVII. Fredeg. cap. 38. S. Auſtregiſilus Bituricenſium 30. Archiepiſcopus conſecratus eſt hoc anno die 15. Februarij, vt habent vetera quædam Eccleſiæ monumenta, feria 3. ad annos 12. cum 3. menſibus & aliquot diebus. Hic patria Bituricus, fratrem habuit Arigium Niuernenſem Ep. Monachóſque inuexit in Eccleſiam de Caſtro, quæ ab eo ibi tumulato nomen poſtea ſuum mutuata eſt : quibus primum præfecit Abbatem Marculfum, illum ipſum, niſi me coniectura fallit, qui 70. natus annos Landerico Pariſienſi Ep. librum formularum dedicauit ; vide noſtram ſuper eâ re Diſſertatiunculam poſt Elogium Bituricæ ciuitatis. S. Amandus anno ætatis circiter 18. natus Bituricas ad S. Au-*

ſtregiſilum venit, ab eóque cellæ iuxta Eccleſiam S. Stephani in ſuperiori ciuitatis muro conſtructæ incluſus, in eâ per annos 15. vixiſſe dicitur. S. Sulpitius Pius qui in Epiſcopatu ſucceſſit tum Diaconus erat, & ſancto Auſtregiſilo valdè familiaris. Poſt Gundemarum Toleti morte propria defunctum æra 650. anno Heraclij ſecundo, Siſebutus Regali faſtigio ſublimatur ad annos 8. & menſes 6. Ita ex vtroque Iſidoro Hiſpalenſi, & Pacenſi conſtat, arguitúrque meritò Fredegarius, qui ante ſexennium de eo agit, vbi & illud obſeruatione non indignum occurrit, Cantabriam *à Francis aliquamdiu poſſeſſam Francione quodam, qui eam regebat, tributa Francorum Regibus pendente,* ad Imperij partes reuocatam, à Siſebotho ſubactam fuiſſe & confirmatum Regnum Gothorum in Hiſpania per maris littora vſque ad Pyreneos montes. Idem initio regni Iudæos ad Fidem Chriſtianam poteſtate compulit, quos prouocare ratione oportuit. Nunc Chronicon Alex. reuiſamus, à quo docebimur I. die Maij 3. feria 4. natum eſſe in Proceſſo Sophiano Heraclium iuniorem Conſtantinum. II. die 9 Auguſti Dominica mortuam eſſe in Proceſſo Blachernarum Eudociam Auguſtam, Fabiam dictam, conditámque in æde SS. Apoſtolorum. III. die 4. Octobris Indictione prima iam inchoatâ coronatam Heraclij filiam Epiphaniam, Eudociam dictam, in templo S. Stephani, quod in palatio eſt. IV. die 5 Decembris Feria 3. Priſcum, ſiue Criſpum, Comitem Excubitorum Clericum factum, & in eius locum ſubrogatum Nicetam Patricium. V. Columnæ impoſitam Crucem ad Orientem Eccleſiæ SS. XL. Martyrum, Præfecto Vrbi Theodoro notario baſilicæ. VI. die 22. Decembris Heraclium iuniorem Conſtantinum à patre in palatio inauguratum, tum in Circo à Senatu adoratum, & à factionibus fauſtis acclamationibus ſalutatum, geſtatúmque fuiſſe à Philareto vſque ad Magnam Eccleſiam.

Anno Chriſti DCXIII. *Clotarij XXIX. Cùm Theodericus exercitum de Auſtria, & Burgundia contra Clotarium iam moueret, Mettis profluuio ventris obiit, poſtquàm regnaſſet annos præterpropter 17. vixiſſet verò 28. Exercitus ad proprias ſedes redit. Brunichildis Mettis reſidens Sigibertum ſeniorem filium in regno patris inſtituere nititur. Clotarius factione Arnulfi, & Pipini procerúmque aliorum Auſtriam ingreditur, cúmque Captonnacum acceſſiſſet, Brunichildis cum filio Theo-*

derici Vvarmatiæ reſidens Legatos ad illum miſit, Chadoindum & Herponem, vt ſe de regno Theoderici, quod filiis reliquerat, remoueret. Clotarius reſpondit iudicio Francorum electorum ſe paratum ſtare. Brunichildis Sigibertum in Thoringiam direxit cum Vvarnachario Maiore domus & Alboeno, vt copias vltra Rhenum colligant. Deinde indiculum mittit ad eundem Alboenum, vt Vvarnacharium de medio tollat. Quo indiculo ad Vvarnacharium perlato, fauere is Clotario cœpit, Gentes Tranſrhenanas ſubduxit, & cum Brunichilde ac filius Theoderici Burgundiam petit, Barones verò Burgundici tam Epiſcopi quàm cæteri Leudes, Vvarnacharij eiuſdem conſilio, Clotarium expetunt. Cúmque iuſſu Brunichildis, & Sigeberti Regis exercitus de Burgundiâ & Auſtriá mouens, Clotarij copiis, (in quibus multi de Auſtraſiis erant Vvarnacharij factione, ſicut iam olim tractauerat, conſentientibus Aletheo Patricio, Roccone, Sigoaldo, & Eudelane Ducibus) occurriſſet in Catalaunenſi Campaniâ, priuſquam prœliari cœpiſſent, exercitus Sigeberti terga vertit. Clotarius paulatim inſequens vſque Ararim peruenit. Captis tribus Theoderici filiis Sigeberto, Corbo, & Meroueo. Childebertus enim fugâ elapſus nunquam poſtea reuerſus eſt. Brunichildis cum Theudelana Theoderici germana ab Herpone Comite ſtabuli de pago Vltraiurano ex villâ Vrba producitur, & Clotario in Nouoico ſuper Vincenna fluuio præſentatur. Sigebertus & Corbus Clotarij iuſſu interempti, Meroueus, quem de ſacro fonte ſuſceperat, in Neuſtriam miſſus, & Ingobodi Grafioni commendatus plures annos vixit. Brunichildis, per quam decem Francorum Reges interfecti fuerant, triduo variis tormentis afflicta, camelo per exercitum circumducta, comâ capitis pede & brachio ad caudam equi ferocis adſtrictâ membratim ab illo raptata diſrumpitur. Vvarnacharius in regno Burgundiæ Maiordomus ſubſtituitur, ſacramento à Clotario accepto, ne ab illa dignitate ante obitum priuaretur: in Auſtria verò eundem honoris gradum aſſumpſit Rado. Omne itaque Francorum regnum Clotario iuniori ſubiicitur, ſicut à priore Clotario fuerat dominatum, quod feliciter per annos 16. tenuit, pacem habens cum vicinis omnibus. Hæc & alia Fredegarius capp. 40. 41. & 42. quorum nonnulla ad annum etiam conſequentem pertinere videntur. In codice Tiliano ab Henrico Caniſio edito noſtróque MS. codice ab anno Chriſti 457. quo Conſtantinus & Rufus Conſules fuere ad hunc annum numerantur anni 157. Perſæ Damaſcum capiunt, nec vllum finem faciunt fundendi humani ſanguinis in Romano Imperio. A die 22. Ianuarij imperatum eſt, inquit Chron. Alex. vt in Actis publicis ſcriberetur: Imperij Flauij Heraclij piiſſimi anno 3. poſt Conſu-

latum eiuſdem anno ſecundo : & Flauij Heraclij iunioris Conſtantini à Deo cuſtoditi filij eius anno primo ſemper Auguſtorum Imperatorum.

Anno Chriſti DCXIV. *Labente ad Septembrem vſque menſem Clotarij anno XXX. pleráque geſta fuiſſe arbitramur ex iis, quæ ſuperiore anno relata ſunt à nobis ex Fredegario, qui cap.* 43. *addit Clotarium, cùm Burgundiam & Auſtriæ regnum arripuiſſet, Herponem Ducem, genere Francum, loco Eudelanis in pago Vltraiectano inſtituiſſe, qui ab ipſis pagenſibus conſilio Alethei Patricij & Leudemundi Episcopi Sedunenſis per rebellionis audaciam interfectus fuit. Eundem quoque Regem in villa Alſatiæ Maurolegio nuncupata cum Bertrude Regina commorantem multos iniquè agentes gladio trucidaſſe.* Bonifacius IV. Papa obiit die 8. Maij, cùm ſediſſet annis 6. menſ. 8. & diebus 13. Succeſſit Deusdedit die 13. Nouembris. *Concilium Pariſiense V. hoc ineunte Clotarij iunioris ab obitu Chilperici patris anno* 31. *(qui cùm in ipſo titulo, tum in edicti ſeu conſtitutionis ab eodem Rege tunc editæ die* 18. *Octobris, ſubſcriptione adnotatur) celebratum eſt à* 79. *Epiſcopis, quot in nullo antea Francorum Concilio fuiſſe memorantur. At eorum ſubſcriptiones maximo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ damno periere, ſupersúntque dumtaxat Canones* 15. *à Sirmondo primùm editi. Idem quoque in Notis ad Tomum I. pag.* 618. *meminit alterius Synodi paullo poſt Generalem iſtam editæ, & ex codice mutilo* 15. *dumtaxat illius Canones repræſentat.* Menſe Iunio, inquit Auctor Chronici Alexandrini præter alias Orientis ciuitates Hieroſolyma capta eſt à Perſis, incenſum Dominicum Sepulcrum cum aliis Templis, veneranda viuificæ Crucis ligna cum ſacris vaſis, & Zacharia Patriarcha in Perſidem menſe Iunio ablata. Septembri verò menſe die 14. inchoata iam Indictione 3. delata eſt CP. ſacra illa Spongia quæ vnà cum vitali Cruce exaltabatur in Magna Eccleſia. Dein Octobris 26. die ſabbati (ſic enim legendum, non die 28. qui incidit hoc anno in Feriam ſecundam) ſub noctem quæ præcedit Dominicam veneranda Lancea allata eſt in eandem Regiam vrbem, quam ex ſacris Hieroſolymorum locis Nicetas Patricius miſit acceptam ab vno è familiaribus execrandi Sarbaræ vnius ex præcipuis Choſroæ Ducibus.

Anno Chriſti DCXV. *Clotarij Francorum Regis XXXI. Leudemundus Sedunenſis Epiſcopus, inſtigante Aletheo Patricio qui ſe de regio Burgundionum genere ferebat, de Clotario Rege ad Bertetrudem*

Reginam Dagoberti matrem obloquitur: tum ſibi timens ad ſuam ciuitatem properat, vnde c'am fugit Luxouium, & à B. Euſtaſio Abbate ſeruatus eſt. Clotarius in villa Maſſolaco Aletheum necari iubet. Fredeg. cap 44. & alij. Siſebotus Weſigothorum Rex in Hiſpania plurimas Romanæ militiæ vrbes quarto regni ſui anno, inquit Auctor Anonymus Appendicis ad Chronicon Marij Auenticenſis Ep. bellando ſubiicit, & Iudæos regni ſui ſubditos, præter eos, qui ad Francos fuga lapſi ſunt, ad Chriſti fidem conuertit. Ioannes Exarchus in Italia occiditur à Ioanne Præfecto, qui ſumpta tyrannide ab Eleutherio Exarcho paullò pòſt occiditur.

Anno Chriſti DCXVI. *Clotarij XXXII. Hermenfrido Virdunenſi Epiſcopo ſuccedit Godo.* Edelbertus Cantuariorum Rex moritur die 24. Februarij poſtquam regnaſſet annos 56. Succedit filius Eduualdus annis 24. Agilulfo Langobardorum Rege mortuo regnum ſuſcipit Adreualdus filius eius ſub tutelâ matris Theodelindæ. Edelfridus Northumbrorum Rex in prœlio occumbit anno regni 21. ſuccedente Eduuino filio ad annos 17. S. Ioannes Eleemon ab annis vel ſex, vel vt alij 10. Alexandrinus Patriarcha, cùm Alexandria prope eſſet vt Perſis traderetur, fugam arripuit in inſulam Cyprum, teſte Leontio Neapoleos Epiſcopo vitæ eius Scriptore, & paullò pòſt Amathunte deceſſit die vndecimo Nouembris S. Mennæ Martyri ſacro, vt contra Baronij ſententiam rectè docuerunt Petauius atque Bollandus. Hoc enim anno Indictione 4. labente cùm Kalendæ Martij inciderunt in feriam 2. Saes ſiue Saitus Perſarum Dux à Choſroe miſſus Alexandriam appulſus vrbe per vim occupata Ægyptum vniuerſam in ſeruitutem redegit, atque inde Aſiam peruagatus, Chalcedonem vſque ad Thracium Boſphorum ſitam cum ſuis populando venit, non verò Carthaginem, vt perperam ſcriptum legitur in Miſcella, & apud Anaſtaſium qui Καρχηδόνα non Χαλκηδόνα legiſſe videntur. Appendix Marcellini habet Heraclij temporibus Perſas Calcidoniam vſque peruenisſe. Plura dabunt ſanctus Nicephorus P. C P. in Chronico, quod Latinitate donatum eruditiſſimis notis illuſtrauit is qui ſupra Petauius, Auctor Chronici Alexandrini, cuius hoc loco turbatas periochas docent verba quæ habentur, pag. 882. τούτῳ τῷ ἔτει ἀπὸ τῆς ἑβδομάδος τῶν ἰνδικτιῶνος δ'. vt omittam quæ alij obſerua-

runt, Theophanes, Cedrenus, *&c.* ex quibus etiam discès Hexagrammum numisma illo anno cusum quo Saes siue Saitus Dux Persarum Calchedonem vsque excurrit & datis muneribus ab Heraclio recessit. Missi Legati Olympius Præfectus Prætorio, Leontius Præfectus Vrbi, & Anastasius Syncellus cum litteris ad Chosroem quæ extant.

Anno Christi DCXVII. *Clotarij XXXIII. iam absoluto, & ineunte XXXIV.* Deusdedit Romanus Pontifex obiit die 8. Nouembris, cùm sedisset annis duobus mensibus vndecim, & diebus 26. Subrogatus est illi Bonifacius V. die 29. Decembris, alij 14. aut 24. vt verò videas quanto aduersus Catholicam Ecclesiam odio scripserit Caluisius, cùm à Baronio dissidentem vno dumtaxat anno Onuphrium docuit, subdit illicò: *adeò certi sunt Pontificij suarum Historiarum.* Et tamen is est Chronographus, *qui imperitissimè ad hunc annum refert Brunichildis mortem ex Valafrido Strabone, qui tamen illum annum non designauit, & pro Theoderico bis Childericum nominat, non tolerandâ, siue insciti a, siue incuria.* Placet hîc, quia alia desunt, Ven. Bedæ textum libro 2. cap. 7. nonnullis purgare sordibus: B. Arch. Laurentius regnum cæleste conscendit, atque in Ecclesia & monasterio S. Ap. Petri iuxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est die 4. Nonarum Februariarum. Post quem Mellitus, qui erat Londoniæ Episcopus, sedem Dorouernensis Ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit. Iustus autem adhuc superstes Rofensem regebat Ecclesiam. Qui cum magna Ecclesiam Anglorum cura ac labore gubernarent, susceperunt scripta exhortatoria à Pontifice Romanæ, & Apostolicæ sedis Bonifacio. Iste (sic quippe legendum est, non Iustus) post Deusdedit Ecclesiæ præfuit anno Incarn. Dom. 618. (more scilicet Romanæ Ecclesiæ, quo à Natali Domini non à Kal. Ianuariis anni sumebatur initium.) Inde verò arbitror errandi causam arripuisse, qui anno seq. & Deusdedit obiisse, & suffectum ei Bonifacium docuerunt. Sed de his iam satis. Mense Augusto valido motu concussam terram ferunt, & Eleutherium Exarchum qui tyrannidem arripuerat cùm Romam properaret, vt eam muniret præsidiis, à militibus fuisse interfectum antequam Bonifacius Papa ordinaretur, & caput eius CP. missum.

Anno Christi DCXVIII. *Clotarius XXXIV. regni anno*

Vvarnacharium Maioremdomus, cum vniuersis Pontificibus & Baronibus Burgundiæ, in Bonogilum villam ad se venire præcepit, ibíque cunctis illorum iustis petitionibus annuens præceptionibus roborauit. Fredeg. cap. 44. Mense Augusto Indictionis VI. sublatas fuisse omnes sportularum largitiones docet Chronicon Alex. *Henschenius noster ad hunc annum refert S. Bertranni Cenomanensis Ep. testamentum factum 6. Kal. Aprilis anno 22. regnantis Clotarij Regis, non à morte Chilperici patris ducto eius numeri initio, sed ab eo tempore, quo post Childeberti patruelis sui obitum partem non exiguam regni eius occupauit Clotharius. Verùm de hac re similibúsque ad Episcopos Gallicanos spectantibus plura aliàs, si Deus voluerit, & si vixerimus, disputabuntur.*

Anno Christi DCXIX. *Clotarius XXXV. regni sui anno Langobardis remittit tributum duodecim millium solidorum quæ annis singulis Francorum regno soluebant, Vvarnacharij, Gundelandi, & Chuci consilio, quibus illi singula millia clam dederunt. Fredeg. cap.* 45. *vbi inter cætera refert, propter irruptionem in Gallias attentatam, in compositione Augustam & Segusium ciuitates cum integro illorum territorio & populo partibus Guntramni tradidisse.* Quæ verò subiungit de XII. Ducibus, de Anthario, & Agone, quem & filium Autharij, & hoc anno Clotarij XXXV. adhuc superstitem fuisse testatur, accuratiori indigent examine. Isaacius Patricius in Italiam ab Imp. missus Exarchum agit per annos 25. Concilium Hispalense II. in Hispania celebratur, præside sancto Isidoro. *Mors Bertetrudis Reginæ hunc annum exeuntem confertur à plerisque, nos in seq. modo differemus.*

Anno Christi DCXX. *Clotarij Regis Francorum XXXVI. Bertetrudis Regina moritur, quam vnico amore dilexerat Clotarius, & omnes Leudes bonitatem eius cernentes vehementer amauerant. Fredeg. cap.* 46. *Sichildem deinde duxit in vxorem, ex qua Aribertum genuit. Paullò pòst idem Francorum Monarcha potentissimus grauiter laborans febribus à S. Sulpitio Archidiacono S. Austregisili Biturigum Antistitis, atque vt volunt, Capellæ Regiæ Abbate siue Capellano, sanatus est, consummato prius septem dierum ieiunio, vt docent Auctores Vitæ S. Sulpitij ad diem* 17. *Ianuarij, Aimoinus lib.* 4. *de Gestis Francorum cap.* 16. *aliique.* Persæ Asiam cæteraque Romani imperij Prouincias peragrare pergunt ac depopulari, nullo obsistente. S. Ioannes Eleemon vulgò dictus, Alexand. Patriarcha in Cypro insula obiisse dicitur à Baronio, Gordono, Caluisio, aliísque, cùm ad

Impera-

Imperatorem iter arripuisset. Verùm id anno 616. contigisse certiores duces sequuti iam supra docuimus, vt minus necesse sit modò iterum inculcare.

ANNO ÆRÆ CHRIST. DCXXI. *Clotarij XXXVII. Eustasius Luxouiensis & Attalas Bobiensis Abbates sancti Columbani successores florebant.* Sisebutus Wesigothorum Rex, vel proprio morbo, vel immoderato medicamenti haustu, sublatus est, relicto Recaredo filio paruulo, qui post patris obitum princeps paucorum dierum fuit. Successit ei Swinthila æra 659. ex S. Isidori Historia à nobis prælo commissa ex MS. codice. Idem fermè habet Isidorus Pacensis, qui cum Recaredo II. tres regni menses tribuisset, subdit: Swintila in æra 659. anno Heraclij imperij decimo, Arabum quarto regnante in eis Mahomet (causam huius hallucinationis à nobis obseruatam alibi pluribus exponemus) dignè gubernacula in regno Gothorum suscepit sceptra, decem annis regnans, *&c.* Caluisius mendosè asserit anno 619. Sisebutum obiisse, & Recaredum sex mensibus regnum obtinuisse.

Anno Christi DCXXII. *Clotarius XXXVIII. regni sui anno Dagobertum filium suum consortem regni fecit, eúmque super Austrasios Regem instituit, retinens sibi quod Ardenna, & Vosagus versus Neustriam & Burgundiam excludebant. Fredeg. cap* 47. *Sanctus Modoaldus creditur tunc factus Treuirorum Episcopus.* Mohamed siue Mohammedes metu inimicorum, vel die 16. feria 6. vel die 15. feria 5. fugit ex vrbe Mechâ in Iarrib, quæ modò dicitur Medina Talnabi, hoc est Vrbs Prophetæ. Inde originem ducit Æra Arabum siue Mahometanorum, quæ Hegiræ siue persecutionis ob nouam de religione doctrinam dici solet. Ea autem annis Arabicis constat planè Lunaribus, vt pluribus docuimus in Chronico Technico.

Anno Christi DCXXIII. *Clotarij XXXIX.* In Chronico Alex. leges labente Indictione XI. mense Dæsio quinto Iunij, feria primâ (Interpres minus accuratè secundam substituit) cùm Imperator Heraclius in Thraciæ partibus cum copiis non exiguis versaretur, & ingens ciuium multitudo ex vrbe CP. Heracleam ad Ludos Equestres confluxisset, Chaganum Auarum Ducem ad Longum murum cum ingenti exercitu per speciem pacis accessisse, & sub horam quartam

illius diei Dominicæ dato Auaribus per mappulam signo omnes secum ad Longum illum murum inuadendum exciuisse, illóque superato plerosque vsque ad portam Auream in suburbanis prædatos fuisse quidquid hominum vel iumentorum occurrisset; Templum SS. Cosmæ & Damiani in Blachernis, & S. Michaëlis Archangeli trans vrbem in Promoto inuasisse, neque tantùm ciboria, & alia pretiosa abstulisse, sed etiam ipsam sacram aram ex Templo Archangeli, omnésque captiuos cum præda secum trans Danubium nemine prohibente abduxisse. Eò videtur respexisse Auctor Appendicis ad Marium his verbis: Hunni murum longum interrumpentes, & ad mœnia CP. peraccedentes cum Imp. in muro stante mutuo colloquuntur: acceptóque ab eo pacis pretio ad tempus recedunt.

Anno Christi DCXXIV. *Clotarij Regis XL. Samo quidam, genere Francus, de pago Senonago, siue, vt alij codices habent, Senonico, ad Sclauos Vvinidos profectus, cùm eos in bello aduersus Auares Hunnos, à quibus graui iugo premebantur, vtiliter iuuisset, Rex à Vvinidis electus est, & 35. annos feliciter regnauit, Hunnos semper superans, 12. habuisse narratur vxores, & ex his 22. filios & 15. filias. Vide cap. 48. Fredegarij, & capita tria proximè sequentia*, vbi multa de Langobardorum Rege Adaloaldo filio Agonis, & trucidatis ab eo nobilibus suasu cuiusdam Eusebij Legati, de Charoaldo Duce Taurinensi, qui germanam Adaloaldi Regis habebat vxorem, nomine Gundobergam, & Adaloaldo veneno perempto successit in regnum, de Gundoberga ob falsam calumniam in exilium pulsâ, victóque per monomachiæ iudicium à Pittone Adalulfo accusatore, ab exilio post annos tres reuocatâ, & in regnum sublimatâ. *Annum hunc Clotarij Francorum Regis XL. comparant cum anno Heraclij Imperat. XIV. Auctor Appendicis ad Marij Auenticensis Chronicon, Harigerus in Gestis Traiectensium seu Leodiensium Præsulum, Notkerus Leodiensis Ep. in vita S. Remacli, aliíque. Sanctus Austregisilus Biturigum Archiepiscopus euolauit ad superos die 20. Maij Dominica, post expletos annos in Pontificatu 12. cùm paullò ante Vvarnacharium siue Vvarnarium (quem vulgata à Surio Acta, & recentiora Breuiaria Guarnerium appellant) ex Palatio Theoderici Regis, hoc est ex Burgundia, cuius regni Maiordomus seu Præfectus Aulæ fuerat iam à pluribus annis institutus, annuente Clotario Rege venientem, & contra fas iúsque omne noua co-*

nantem imponere tributa Bituricis incredibili animi constantia repulisset. sub finem verò huius anni aut sequentis initium S. Sulpitius II. cognomento Pius defuncti Austregisili Archidiaconus à Clero populóque Bituricensi electus in Pontificem ægrè tandem assensum Regis beneficij ante aliquot annos precibus Sulpitij à Deo accepti immemoris, Regina opitulante extorsit, cœpítque regere commissam sibi sponsam ad an 13. Neque verò longiùs à vero aberrauit Sigebertus in Chronico, cùm sub annum Clotarij 40. quem malè comparat cum vulgaris æræ 627. hæc annotauit: Florebant in Gallis Austregisilus Bituricensis Episcopus, & sub eo Sulpitius. Quæ verò de his habentur cap. 3. libri II. Vitæ S. Genulfi in Bibliotheca Floriacensi ea malè digesta fuisse omnes ex nostra hâc obseruatione facilè intelligent. Obiit S. Vvalericus Abbas ad ostia Somonæ in Ambianis Kal. Aprilis die Dominica, vt quidem ex vita MS. asserit noster Malbrancquius Tomo I. de Morinis seu Taruanensibus. Obiit quoque teste Beda die 24. Aprilis S. Mellitus Cantuariorum Ep. cui successit Iustus, ad quem extat hoc anno scripta Bonifacij Papæ epistola. Heraclius Imperator mense Systro, qui apud Romanos est Martius, die 25. festo Annuntiationis B. Virginis, cum vxore Martina, & liberis Heraclio, & Epiphania siue Eudocia in Orientem profectus ferias Paschales haud procul Nicomediâ peregit die 15. Aprilis. Dein liberis C P. reuersis ipse cum Imperatrice Orientem recta petiuit, habuítque in comitatu Anianum Maximum Domesticum. Eodem anno mense Artemisio siue Maio Indictionem 12. fluxisse insinuat sub Sergio C P. Patriarchâ Chronicon Alex. toties iam à nobis laudatum. *S. Gaugerici Atrebatensis, & Cameracensis Ep. mortem hoc anno locant Bucherius & Miraus.*

Anno Christi DCXXV. *Clotarij XLI. Chrodoaldus quidam ex proceribus de gente nobili Ayglolfinga in offensam Dagoberti Regis inciderat ob superbiam & rapacitatem, instigantibus B. Arnulfo Pontifice & Pippino Maiore domus, aliísque optimatibus. Huic ad se fugienti Clotarius vitam à Dagoberto postularat. Verùm, vt Treueros accessit, iussu Dagoberti interfectus est à Berthario homine Scarponensi, qui euaginato gladio ad ostium cubiculi caput illius truncauit. Fredeg. cap. 52. Synodus Matisconensis huic circiter anno competit, in qua B. Columbani regula ab Agrestini monachi Luxouiensis, cui fauebat Appellinus Genauensis Ep. calumniis per S. Eustasium Abbatem defensa atque approbata est, vt pluribus narrat Ionas Monachus in eiusdem Eustasij vita. Vvarnacharius autem ille, siue Vvarnarius, qui à Ionâ dicitur Maxi-*

mus hæreticorum, idem omnino mihi videtur, de quo sup. anno, & præcedentibus nonnulla præmisimus, cuiúsque obitum post biennium exponemus. Eodem quoque anno similius vero est celebratum fuisse, quàm aut præcedenti 624. aut 630. Concilium Remense I. sub Sonnatio Remensi Episcopo à 40. Galliarum Episcopis, quos commemorat Flodoardus lib. 2. Historiarum Remensis Ecclesiæ cap. 5. Vide doctissimam Henschenij nostri de Tribus Dagobertis Diatribam, quam cùm hæc sub prælo calerent, accepi, & simul obseruare te volo verba, quibus vsus sum in Conciliorum Galliæ Synopsi Historica: Circa annum Christi 630. &, Rusticum Cadurcensem, cui post septem sedis annos septimo anno Dagoberti Christi 635. successisse traditur Desiderius ille, cuius aliquot circumferuntur epistolæ, *nihil omnino explorati polliceri, neque tum, cùm illa scripsi, visam mihi fuisse Vitam MS. S. Desiderij, quam humanitati V. C L. D. Ant. de Vyon d'Herouual me debere in Miscellaneis curiosis cap. 3. §. 6. ingenuè professus sum.* Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. *Quod autem annum hunc præcedenti anteferendum putem facit S. Sulpitij Bituricensis Antistitis consecratio: quî enim fieri potuit, vt verno tempore anni 624. celebratum fuerit Concilium Remense, cùm S. Austregisilus die dumtaxat Maij 20. defunctus sit, seriúsque post eius obitum impetratus sit Clotarij Regis in Sulpitium electum consensus. Ratus ergo fixúsque sit imposterum Synodi illius annus 625. non 624. aut 626. multo minus* 630. Paulinus ordinatus à Iusto Dorouernensi Antistite die 21. Iulij Dominica Episcopus missus est cum Edelburga Edelberti Cantuariorum Regis filia ad Edwinum eius coniugem Northamdumbrorum Regem, ad quos scriptæ extant apud Ven. Bedam epistolæ Bonifacij V. Papæ, qui hoc ipso anno viuis exemptus est die 25. Octobris, cùm sedisset annis 7. mensibus 10. atque vno insuper die. Reliquo anno vacauit Romana sedes. Riccimirus à Suuinthilâ patre quintum annum in regno Gothorum habente in consortium regni adsumptus est, vt docet Historia Gothorum à S. Isidoro Hispalensi in hunc annum perducta in nostro MS. codice.

Anno Christi DCXXVI. *Clotarij XLII. Dagobertus cultu Regio cum leudibus suis iussu patris Clipiacum non procul Parisius venit, & Sichildæ Reginæ germanam nomine Gomatrudem in coniugium accepit. Transactis nuptiis die tertia grauis orta est inter Clotarium, & Dagobertum contentio, cùm ei negaret quod postulabat, vt cuncta, quæ ad Austrasiorum regnum pertinebant, ipsi tribuerentur. Electi 12. Fran-*

corum proceres, inter quos B. Arnulfus Metenſis Pontifex cum reliquis Epiſcopis: quorum ſententiâ Clotarius filio reddidit integrum regnum Auſtraſiorum, hoc tantùm retinens, quod citra Ligerim (intellige Aruernos cum Cadurcis, & aliquot vicinis populis) vel in Prouinciæ partibus ſitum erat. Fred. cap. 53. Honorius I. patria Campanus, patre Petronio Conſulari natus, creatur, ſeu potius conſecratur Romanus Pontifex die 14. Maij. Edwinus Northumbriæ ſiue Anglorum Borealium Rex à ſicario vulneratur ipſo Paſchatis die, & Edelburga Regina eadem nocte peperit filiam, Eanfled dictam, quæ die Pentecoſtes proximè ſequenti ritu Chriſtiano baptizata fuit. Quod verò ait Caluiſius Eanfledam Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe, hoc ab hiſtoricâ veritate recedit. Adreualdo Langobardorum Rege cum matre Theodelinda à ſub litis electo Rex eligitur Ariobaldus, religione Arianus, vir alioquin fortis & beneficus, de quo Paulum Diaconum conſule. Die Maij 14. feria 4. mediæ Pentecoſtes & rurſus die 15. tumultus in Eccleſia Magna exortus eſt, quòd Ioannes Siſmus ſportulas ſcholarum auertere vellet in vſus militum. Die autem 29. Iunij Dominica nuncius C P. allatus eſt, quòd Chaganus Longum murum occupaſſet cum 30. millibus, cùm Sarbaras Dux Perſarum ex aduerſo Chalcedonem veniſſet, eiúſque palatia & Templa incendiſſet. Elapſo menſe die Iulij 29. Chaganus occupauit murum, & die 31. aciem ſtruxit è regione C P. cámque ſequentibus diebus tormentis bellicis verberauit, ſed re infectâ recedere coactus eſt incenſis machinis, & turribus, quas ædificauerat, deſtructis. Adi, ſi vacat Chronicon Alexandrinum.

Anno Chriſti DCXXVII. *Clotarij XLIII. Vvarnacharius Maiordomus regni Burgundici moritur. Filius eius Godinus leuitate animi motus eodem anno Bertanem nouercam duxit vxorem. Ob eam rem à Clotario Rege iuſſus interfici ad Dagobertum perrexit, & ad S. Apri Eccleſiam confugit. Dagoberto vitam illi poſtulante permiſit Clotarius, modò Bertanem, quam contra Canones duxerat, relinqueret. Verùm in Burgundiam ille reuerſus, & coniurationis in Regem accuſatus; dum ad reliquias SS. duceretur in Carnotenſi ſuburbano cæſus eſt. Palladius eiúſque filius Senocus Epiſcopus non Toloſanus, ſed Eloſanus (qui interfuit Concilio Remenſi teſte Flodoardo) accuſante Aighinane Duce, quòd rebellionis Vaſconum fuiſſent conſcij, in exilium retruduntur. Boſo filius Audoleni de pago Stampenſi iuſſu Clotarij occiditur, inſimulatus ſtupri cum Sichilde*

Reginâ. Idem Rex cum Proceribus & Leudibus Burgundiæ Trecis coniungitur, vbi illi communi consensu Maiorem domus repudiarunt, obnixéque Regem deprecati sunt, vt liceret sibi cum eo transigere. Fredeg. cap. 54. Quâ verò ratione quibúsve in vrbibus Vvarnacharius Deo vltore sauciatus, mortuúsque sit, copiosè exponunt Auctores Anonymi, qui vitas SS. Austregisili, & Sulpitij Bituricensium Patriarcharum scripserunt. Edwinus Rex Nordhumbrorum in Britannia die Paschatis 12. Aprilis à Paulino Eboracensi Ep. baptizatus fuit anno aduentus Anglorum circiter 180. regni sui vndecimo, vt pluribus narrat Ven. Beda lib. 2. cap. 14. S. Isidorus Hispalensis Ep. in fine Chronici sui ab orbe condito posterioris editionis comparat annum æræ Hispanicæ 665. quo scribebat cum anno 18 Heraclij & 7. Swinthilani Wesigothorum Regis. Hoc anno Ind. 15. Templum B. Virginis extra Alam dictum muro cinctum est, & Blachernæ cum Templo Deiparæ muro circumducto vrbi adiectæ sunt. Mense Artemisio die Maij 11. obiit Bonus Magister, cuius corpus conditum est in Monasterio S. Ioannis Baptistæ quod Studitarum τῶν Στουδίου dicitur prope Portam Auream. Octobris 9. Indictione I (non 15.) Heraclius in regnum Chamareta peruenit, & postea cum Razate Duce Persarum certamen iniit die 12. Decembris sabbato per horas 11. in quo 10. tantùm Romani desiderati. Plura de his Theophanes, Anastasius, Miscella, Chr. Alex. *&c.*

Anno Christi DCXXVIII. *Clotarij Francorum Regis XLIV. Pontifices & vniuersi proceres Neustrasiæ atque Burgundiæ à Clotario Clipiacum prope Parisios pro vtilitate regia, & salute patriæ conuocati sunt. Ibique Ermenarius gubernator palatij Chariberti filij Clotarij natu minoris à pueris Æginanis è genere Saxonum optimatis interficitur: Æginas in Monte Mercomire siue Mercurij iubente Clotario resedit cum pluribus pugnatoribus, in quos cum Produlfus seu Brunulfus auunculus Chariberti, cum ipso Chariberto atque exercitu vellet irruere, pax inter eos iussione regiâ firmata est. Hæc ex cap. 55. Fredegarij. Hic verò non meminit susceptæ à Clotario aduersus Saxones, qui Dagobertum malè acceptum etiam in capite sauciarant, expeditionis, in quâ & Bertoaldus illorum Dux fugiens obtruncatus, & vastata regione omnes mares Clotarij spathâ siue gladio maiores interempti, quam descripserunt Anonymi duo, is qui Gesta Francorum Regum edidit cap. 41. quique res Gestas Dagoberti complexus est Monachus Sandionysianus, necnon Aimoinus Floriacensis Monachus lib. 4. cap. 18. De Sadregisilo quoque*

Duce Aquitaniæ à Dagoberto cæso, & barbæ amputatione deturpato, si-luit Fredegarius, de quo vide quid cæteri scriptores passim referant, & Monumenta Monasterij Sandionysiani. Idem verò Fredegarius cap. 56. narrat Clotarium Regem mortuum, & in suburbano Parisiensi in Ecclesia S. Vincentij fuisse sepultum anno regni 45. vtique ab aliquot diebus inchoato, hoc est sub Autumnum vel hiemem huius anni Iuliani, qui fuit Monarchiæ 15. siue 16. DAGOBERTVS *audita patris sui morte Remos & Suessionas accedens à Pontificibus & Leudibus Burgundiæ, & Neustrasiæ Rex salutatur, thesaurósque patris in suam ditionem redigit, Chariberto fratre frustra renitente, cui Dagobertus misericordia motus consilio sapientum citra Ligerim, & limitem Hispaniæ pagos aliquot concessit, Tolosanum, Caturcinum, Agennensem, Petrocorium & Santonicum, & quod ab his versus montes Pyrenæos porrigitur. Idque pactione scriptâ firmatum. Charibertus sedem Tolosæ fixit, & post annos tres totam Vasconiam superauit, regníque sui spatium laxius fecit. Quæ sequuntur apud Fredegarium cap. 57. mutilata sunt, multíque errandi ansam præbuerunt: Dagobertus cùm iam anno septimo regnaret (ex quo) maximam partem regni patris assumpsit, Burgundias ingreditur, &c. quæ in annum 634. exeuntem differenda sunt.* Dagobertus. Nunc ad se Chronicon Alex. nos vocat: vbi anno Heraclij 18. Indictione prima Heraclij iunioris Constantini 16. refert literas Imperatoris ab Oriente missas de morte Cosrois Persarum Regis die 28. Februarij, & inauguratione Cabatæ Syrois eius filij die 25. eiusdem mensis, quas Maij 15. ipsa Pentecostes die lectas fuisse asserit ex suggestu in Magna Ecclesia. Heraclium verò die 20. Aprilis castris è Perside motis in Armeniam profectum. Ibidem etiam recitatur pars literarum Cabatæ Syrois ad Heraclium, cætera desiderantur in codice Augustano quo vsus est Raderus noster. Consulenda quoque suadeo Lectori Chronologo Acta S. Anastasij Persæ qui martyrio coronatus fuerat die 22. Ianuarij anno 18. Imperij Heraclij & 16. filij eius Constantini, cùm Chosrois necem ac fidelium ab eius vexatione liberationem prædixisset.

Anno Christi DCXXIX. *Dagoberti post obitum patris in Neustria & Burgundia regnantis primo, Charibertus in aliquot Aquitaniæ interioris prouinciis, quas supra recensuimus, regnare incipit ad septem aut 8. annos. rursúmque Tolosa regni Aquitanici, sed præcipuis quibúsque regionibus accisi, instituta sedes fuit: nec audiendi vernaculi nostrates Historiographi, qui Charibertum Aquitaniæ vniuersæ Regem appelli-*

tant. Eos à vero deuios sequutus est Caluisius, qui anno 631. quo Clotarij obitum perperam locat, Ariberto relictam scribit Aquitaniam, & quidquid inter Ligerim & Pyrenæos montes interiacet. quod falsissimum ex Fredegario aliisque probatæ notæ auctoribus apparet. Hierapoli cùm esset Heraclius Imp. nuntius de morte Syrois allatus est, cui suffectus est Adeser eius filius, qui cùm septem dumtaxat regnasset mensibus occisus est à Sarbara militiæ Duce, quem post duos menses Persæ necarunt, regnúmque in Boranem Chosrois filiam transtulerunt. Idem Imperator retulit in vrbem Hierosolymitanam Crucem, aliáque spolia, vnà cum Zacharia Patriarchâ, cui paullo post Modestus successit, & huic Cyrus, Iudæósque vrbe pepulit. Ad hunc aut seq. annum referuntur prima hæresis Monothelitarum exordia ac veluti semina in colloquio Anastasij Syri cum Heraclio Imp.

Anno Christi DCXXX. *Dagoberti 2. creditur in eremum abiisse S. Arnulfus relicto Episcopatu Metensi, subrogato in locum suum sancto Goerico, cuius successor fuit Godo, quem secutus est S. Clodulfus S. Arnulfi filius. De Concilio Remensi, cui inter cæteros interfuit sanctus Sulpitius Bituricensis, diximus ad annum 625.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCXXXI. *Dagoberti 3. S. Amandus ad fundandas vbiuis terrarum Ecclesias creatus ante biennium Episcopus, Gandauensibus fidem Christi prædicat impetratis à Rege Dagoberto literis, opera S. Aicharij Nouiomensis & Tornacensis Episcopi. Ad hoc verò circiter tempus referenda sunt, quæ habet Fredegarius extremo cap. 38. Post discessum beati Arnulfi, adhuc consilium Pippini Maioris domus & Chuniberti Pontificis vrbis Coloniæ vtens, & ab ipso fortiter admonitus, tanta prosperitate, & iustitiæ amore complexus, vniuersas sibi subditas gentes, vsque dum ad Parisius peruenit, regebat, vt nullus de Francorum Regibus præcedentibus suâ laude fuisset præcellentior. Quæ verò præcedunt, ad superiores annos pertinent: Vsque eodem tempore ab initio, quo regnare cœperat consilio primitus beatissimi Arnulfi Mettensis vrbis Pontificis, & Pippini Maioris domus vsus tantâ prosperitate regale regimen in Auster regebat, vt à cunctis gentibus immenso ordine laudem haberet. Timorem verò sic fortem sua concusserat vtilitas, vt iam deuotione arriperent suæ se tradere ditioni, vt etiam gentes quæ circa limitem Auarorum, & Sclauorum consistebant, eum promptè expeterent, vt ille post tergum eorum iret feliciter, & Auaros & Sclauos, cæteráque gentium nationes vsque manu publica suæ ditioni subiiciendum*

ſubiiciendum fiducialiter ſpondebat. Hæc ille. Swinthillâ Weſigothorum in Hiſpania Rege exauctorato circa initium Maij Siſenandus auxiliis Dagoberti Regis ſuffultus regnare incipit ad annos 4. menſes 11. & dies 16. De vtroque illo Rege plura habet Fredegarius, ſed iuſto tardiùs, vt in pleriſque ſolet, ad annum Dagoberti nonum cap. 73. vbi de miſſorio aureo promiſſo, dein negato, plura ediſſerit, quæ conſule *quanquam, vt ingenuè fatear, ex eo capite non parum momenti contrahat eorum opinio, qui annos Dagoberti à Fredegario numerari putant, non ab obitu patris, ſed ab ipſis regni Auſtraſiæ primordiis: Eam verò non prorſus improbabilem iudico, ductis etiam aliunde pluribus argumentis.* Hoc anno Paſcha die 24. Martij celebratum fuit ab omnibus per totum orbem diſperſis Chriſtianis, exceptis paucis Britonibus & Scotis, qui die 21. Aprilis peregerunt, vt docet Cummianus apud Bedam libro tertio, cuius hæc verba: Miſimus, quos nouimus ſapientes & humiles eſſe, velut natos ad matrem, & proſperum iter in voluntate Dei habentes, & ad Romam vrbem aliqui ex eis venientes, tertio anno ad nos vſque peruenerunt. & ſic omnia viderunt, ſicut audierunt. Et in vno hoſpitio cum Græco & Hebræo, Scythâ, & Ægyptiaco in Eccleſia ſancti Petri ſimul in Paſcha (in quo menſe integro diſiuncti ſumus) fuerunt: & ante Sancta ſic teſtati ſunt nobis, dicentes: Per totum orbem terrarum hoc Paſcha, vt ſcimus, celebratur, *&c.* Mahometes Saracenorum ſiue Arabum Princeps ac Pſeudophropheta periit die 17. Iunij, feria ſecunda, menſis Rabie die duodecimo, Ducatus, ſparſæque per Orientis & Arabiæ populos nefariæ doctrinæ anno nono, Hegiræ, hoc eſt Muhammedicæ æræ, decimo, cùm vixiſſet annos Lunares, quibus Arabes vtuntur, 63. Ab eo tempore Saraceni paulatim Palæſtinam, Syriam, Ægyptum, Perſidem, *&c.* Heraclio eiúſque poſteris imperantibus, obtinuerunt.

Anno Chriſti DCXXXII. *Dagoberti 4. vſque ad Autumnum, nam quinto iam ab aliquot fortè diebus delibato die 26. Octobris S. Burgundo-Fara Teſtamento ſcripto monaſterium Eboriacum ſitum in pago Briegio, quod modò Faræ-Monaſterium dicitur, à ſe extructum multis prædiis ditauit, vt patet ex ipſo diplomate, quod in Miſcellaneis Curioſis §. 5. cap. 3. reperies, vbi Agnerici patris germanorúmque ſuorum Chagnulfi, Burgundo-Faronis & Agnetradis meminit. Quòd ſi quin-*

tus annus Dagoberti post Kalendas Nouembres inceperit, vt par est credere, in annum seq. Iulianum Testamentum illud differendum erit, quemadmodum & diploma eiusdem Dagoberti vulgatum à Nicolao Zyllesio parte 3. Defensionis Abbatiæ S. Maximini prope Treuiros, quod dicitur datum Moguntiæ pridie nonas Aprilis anno regni (in Austrasiâ) 12. & recognitum ab Henrico Cancellario ad vicem Ricolfi Archicapellani. An verò Henricus hic Referendarij nomine donari possit, & quid per ea tempora Cancellarij nomen significarit, docuimus in nostris Elogiis Historicis Regum Franciæ, & Cancellariorum ac Referendariorum catalogo. Post Arichum Beneuentanorum Ducem, qui 50. annis præfuerat, Aio filius eius ducatum regit anno vno & mensibus quinque. Otmanus, dictus aliis Omarus, Saracenorum Dux Iezdegirdem Persarum Regem Filium Sirois nepotem Chosrois ad oppidum Merga victum interficit, & regnum Persicum occupat. Inde nata Iezdegirdis, quæ dicitur, Æra, apud Persas etiamnum in vsu, à die 16. mensis Iunij feria 3. post dies 3623. à fugâ siue Hegirâ Mahometis, elapsis ab Æra Nabonassari annis 1379. & mensibus tribus, ab æra Christi annis 631. & diebus 167. hoc est in vniuersum diebus 230639. ante Alfonsi X. Hispaniarum Regis epocham annis 619. d. 351. siue diebus 226440. Abubecher Saracenorum Calipha Mahometis vel affinis, vel consanguinitate propinquus, regnare incipit anno Hegiræ vndecimo, regnátque duobus annis.

Anno Christi DCXXXIII. *Dagoberti* 5. *S. Amandus ad Sclauos, cognomento Vvinidos, quibus præerat Samo natione Francus, de quo ante decennium diximus, ad Christi fidem conuertendos profectus dicitur in eius vita à variis Auctoribus scriptâ.* Concilium Toletanum, Magnum dici solitum, à 62. Episcopis præside S. Isidoro Hispalensi Episcopo celebratum est die 9. Decembris æra 671. anno tertio Sisenandi Regis, in cóque decretum inter cætera Iudæos ad Christianam religionem amplectendam cogendos non esse, nec ad officia publica admittendos. Edwinus Nordhumbrorum Rex à Carduella siue Cedwalla veterum in eadem insula Britonum Rege, qui Pendam Merciorum Regem ethnicum in auxilium euocauerat, in prœlio victus occumbit 4. Idus Octobris cum magna exercitus strage. Succedunt Eantfridus, & Osrichius, qui regno inter se diuiso ab eodem Cedwalla anno sequenti perempti sunt. Vide Bedam extremo lib. 2. & initio libri tertij. Aio Dux Beneuentanus aduer-

ſus Sclauos pugnans ex inſidiis trucidatur. Succedit Radoaldus, qui pulſis ex ſuis finibus Sclauis, præfuit Ducatui annis quinque.

Anno Chriſti DCXXXIV. *Dagoberti 6. cùm nihil mihi ſuggerat Fredegarius, admonendum Lectorem puto de variis diplomatis, ſiue inſtrumentis, Chartíſque Regiis, quæ Principis huius ſiue in Auſtraſia tantùm, ſiue etiam in Neuſtriâ regnantis nomen auctoritatémque præferunt, vix vlla eſſe, quæ non aliquam eruditis viris ſuſpicionem falſitatis aut interpolationis ingerant, vt in noſtra de Cancellariis Francicis diſſertatione, & in Miſcellaneis Curicſis non ſemel obſeruauimus: ac præſertim de iis, quæ pag. 413. & ſequentibus vulgauimus, Monaſterio Millebeccenſi apud noſtrates Biturigas, & Prioratui ſanctæ Crucis in ſiluâ Cuiſiaco ac territorio vrbis Compendij à Dagoberto indultis. Illa enim non recenſuimus dumtaxat, ſed etiam ſuis ſe ſubſcriptionibus deſtruere monuimus, & obelo planè confiximus, ne quis fortè rerum ignarus exiſtimet nobis probata fuiſſe, quæ profeſsâ operâ reiecimus.* Oſwaldus Æthelfridi ac ſororis Edwini Regis filius Cedwallam Britonum Regem in prœlio vicit, peremítque, atque Aidanum ex Hya Scotorum inſula ad ſe vocatum ad conuertendos Bernicios miſit. Hæc verò ab Eboracenſi ad Lindisfarnenſem Eccleſiam ſedem Epiſcopatus tranſtuliſſe dicitur. Ad hunc quoque annum reuocandam eſſe epiſtolam Honorij Papæ ad Honorium Dorouernenſem ſiue Cantuarienſem in Anglia Archiep. in Chronico Technico oſtendimus ex Ven. Bedæ cap. 18. lib. 2. Saraceni 40. millia Romanorum occidunt in Syria die 23. Auguſti feria 3. Damaſcum capiunt, & in eâ progenitores S. Ioannis, qui ab eâ vrbe dictus eſt Damaſcenus. De Abubecheris morte, & Omaris ſiue Haumaris, qui ad annos 10. ſucceſſiſſe dicitur, victoriis, conſule Theophanem, Anaſtaſium, Miſcellam. Mihi enim modò ſufficit digitum in fontes intendere.

Anno Chriſti DCXXXV. *Dagoberti 7. ab Autumno anni præcedentis inchoato, quod etiam de ſeqq. intelligi volo, Fredegarius cap. 58. (vt quidem vulgò penè omnes exiſtimant, nondum enim ſatis percipio cur bonus ille Hiſtoricus ſex priores Dagoberti poſt obitum patris annos vno veluti penicilli ductu deletos pertranſierit) plurima accidiſſe docet, quæ in compendium redacta ſubiiciam. Dagobertus Burgundias ingreſſus Lingonas veniens, inde Diuionem atque Latonam, iuſtitiam exercuit cum laude. Huius enim benignitatis deſiderio plenus, nec ſomnum capiebat*

oculis, nec cibo satiabatur, intentissimè cogitans, vt omnes cum iustitia recepta de conspectu suo læti remearent. Eodem verò die, quo de Latonâ Cabillonum cogitabat accedere, Brunulfum, siue Produlfum, auunculum Chariberti fratris sui interfici iussit ab Amalgario, & Arneberto Ducibus & Vvillibaldo Patricio. Cabillono Augustodunum, inde Antisiodorum pergens, per Senonas Parisios venit, ibique Gomatrude Regina in Romiliaco villâ, vbi ipsam in matrimonio acceperat, relicta, eò quod esset sterilis, cum consilio Francorum, Nanthildem, siue Nantechildem, vnam ex puellis de ministerio (sic enim legendum esse, non, vt mendosè edidit Duchesnius, aliique passim, de monasterio, docuimus in secundâ editione Tabularum Genealogicarum Regiæ familiæ Francorum pag. 12. ex Chronico Bezuensi, Annalibus Metensibus, & Fredegarij nostro post Sirmondum vetustissimo codice vncialibus literis exarato, quem vidit quidem, sed accuratè cum editis non contulit Duchesnius, vt fusius docere possem, si res tanti videretur) in matrimonium accipiens Reginam sublimauit. Reliqua quæ Fredegarius adtexuit supra fuerunt à nobis relata anno 632. S. Liuinus apud Heschamm passus dicitur die 12. Nouembris Dominica. Birinus ab Honorio Papa in Angliam missus Occidentalibus Saxonibus Christi fidem primus nunciauit.

Anno Christi DCXXXVI. *Dagobertus, cùm Austrasiam regio cultu circuiret, quamdam puellam, nomine Ragnetrudem, stratui suo adciuit: de qua eo anno regni sui post obitum patris 8. filium habuit, nomine Sigebertum, vt narrat Fredegarius cap. 59. ex quo patet minùs verè scriptum fuisse, necdum luxuriæ vitiis corruptum fuisse apud Austrasios Dagobertum, cùm vel inde certum sit primam sibi in Austrasia, & vt par est credere, ex Austrasiis concubinam elegisse, ex eáque natum Sigebertum filium nothum Austrasiis Regem imposuisse. Pergit cap. 60. & seqq. narrare I. Dagobertum in Neustrasiam reuersum in Clotarij patris sui sede, hoc est Lutetiæ Parisiorum, resedisse. II. Iustitiæ prioris oblitum rapacitati & luxuriæ studuisse: tres habuisse Reginas, Nantildem, Vvlfgundem, & Bertildem, plurimas concubinas, quarum nomina, eò quòd plures essent, noluit suo Chronico inserere. III. Pippinum, cuius laudes fusè prædicat, cum Sigeberto filio Dagoberti ad Charibertum accessisse, eúmque Aurelianos vsque profectum Sigebertum nepotem suum de sacro lauacro suscepisse. IV. Æganem præ cæteris Neustrasiis consilio Dagoberti fuisse assiduum. V. Seruatium & Paternum Legatos Dagoberti ad Heraclium pace cum illo firmata regressos esse. quæ subiiciuntur ad Heraclium & Saracenos pertinent capp. 63. 64. 65. 66.* Omar Saracenorum princeps obsessam ab anno superiore

Hieroſolymitanam vrbem tandem hoc anno deditione accepit. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus paullò pòſt obiit primus, vt ferunt, Hæreſeos Monotheletarum acerrimus oppugnator. Qui vitam S. Amandi ſcripſerunt ab eo referunt baptizatum fuiſſe Sigebertum infantémque illum 40. dumtaxat dies natum reſpondiſſe, Amen. Siſenando Fratri ſucceſſit in regno Weſigothorum Flauius Chintilas ſiue Swintilas II. cuius regni anno primo, æra 674. celebratum fuit Concilium Toletanum V. Hic denique annus eſt prædicationis Euangelij in regno Chinenſi ab Olopnem ſummæ virtutis viro ex Iudæa in illas extremi Orientis regiones progreſſo: quâ de re conſule ſis pag. 58. Prodromi Copti à R. P. Athanaſio Kirkero illuſtrati.

Anno Chriſti DCXXXVII. *Dagoberti 9. Charibertus Toloſæ ac Vaſconum Rex moritur relinquens filium paruulum Chilpericum, qui paullò poſt obiit factione, vt fama fuit, Dagoberti interfectus, qui omne fratris regnum vnà cum Vaſconiâ occupauit. Barontus Lux, vt theſauros aduecheret, à Rege miſſus vnà cum Theſaurariis faciens, nimiùm exinde fraudulenter ſubtraxit, inquit Fredeg. extremo cap. 67. Tum cap. 68. & ſeqq. de Sicharij eiuſdem Dagoberti Legati cum Samone Vinidorum Rege altercatione, de Auſtraſiorum exercitu à Sclauis profligato, de Charoaldo Langobardorum Rege, de Gundoberga Regina, de Aubedone Legatario, de Auaribus ſiue Hunnis, de Bulgaris ſedes à Dagoberto petentibus, receptíſque à Bauaris, tum eiuſdem Dagoberti iuſſu cæſis, de Siſenando Vveſigothorum Rege, & aliis plurima ediſſerit, quæ per otium Lector euoluet à nobis indicata. In Miſcellaneis noſtris Curioſis pag. 419. edidimus quædam fragmenta vitæ S. Deſiderij Caturcenſis Epiſcopi, in quibus continentur diplomata duo Dagoberti Regis: alterum Epiſcopis & Ducibus, cunctóque populo Galliarum finibus conſtituto datum, offerente Chrodoberto (quem malè quidam confundunt cum Chrodoberto Duce, qui hoc eodem anno Alamannorum exercitum duxit aduerſus Sclauos, teſte ſupradicto Fredegario, cùm longè diuerſa ſint munia Magiſtri militum ac Referendarij) ſub die Idus Aprilis anno 8. Dagoberti Regis: alterum S. Sulpitio Biturigum Archiepiſcopo, cuius pauca verba adſcribam:* Proinde cùm vos Archimetropolitani ſcimus tenere locum, præſentes apices cum debito ſalutationis officio almitati veſtræ ſtuduimus deſtinare, petentes, vt ad eum benedicendum properare debeatis, & literas ad Comprouinciales veſtros Fratres dirigatis, vt & illi adeſſe debeant, vt cano-

nicè, & iuxta Apoſtolicam inſtitutionem ſub veſtri præſentia in ſancta Paſchali ſolemnitate Pontificali benedictione debeat eſſe conſecratus. *Verùm cùm annus* 8. *Dagoberti menſem Aprilem anni præcedentis occuparit, viuente adhuc & Cadurcenſes regente Chariberto Rege Dagoberti fratre, eiuſdémque Aprilis Idus fere duabus integris ſeptimanis Paſchalem feſtiuitatem ſubſecutæ ſint, fieri non potuit, vt Deſiderius ſuperiore illo anno conſecratus fuerit in Paſchate. Hoc quoque anno, quo Paſcha peractum fuit, vt docuimus in Chronico Technico, die* 20. *Aprilis, & Idus in Dominicam Palmarum inciderunt, intelligi vix poteſt, quomodo Indiculus ille ad Metropolitanum poſt diploma datus, ab ipſo Rege ad Sulpitium tantâ celeritate delatus ſit, vt ille ſcriptis ad Comprouinciales Epiſcopos literis, cum iiſdem potuerit Cadurcos aduolare ac tempeſtiuè ad ordinationem adeſſe, niſi fortè Paſchalis ſolennitatis nomine etiam ipſa quanta quanta eſt Octaua comprehendi debeat. Sed de his Deo dante plura dicentur aliàs. Neque enim tam facilè queunt extricari, quæ in Sanctorum Actis veteribúſque monumentis in ſpeciem pugnantia occurrunt. Quod ſi Idus Apriles in Martias liceret conuertere, aut quid ſimile, non tam operosè in his laboraremus. Quidquid ſit, annus* 8. *Dagoberti bis ſaltem ex eadem vita expungendus videtur, aliúſque ſubrogandus. Sigebertus in Chronico ſub huius anni periocha meminit SS. fratrum Adonis, Radonis & Dadonis ſiue Audoëni qui fuit Dagoberti Regis Referendarius, necnon S. Eligij Aurificis, Solemniacenſis monaſterij fundatoris, S. Remacli Aquitani (qui fuiſſe dicitur diſcipulus S. Sulpitij Pij Bituricenſis Archiep.) Agili primi Abbatis Reſbacenſis intra Brigenſem ſaltum, & S. Aureæ Pariſienſis Virginum monaſterij Abbatiſſæ.* Quæ obiter dicta ſunto, neque enim patiuntur Compendij anguſtiæ, vt in hoc opere minutatim atque ſcrupuloſiùs perſequar omnia eruditorum omnium, aut ſanctorum virorum fæminarúmque veſtigia, & in recenſendis quorumcúmque Monaſteriorum fundationibus, donationibúſque diutiùs immorer. Infiniti temporis negotium eſt, plurimorúmque voluminum, vt aliàs iam ſæpè monui.

Anno Chriſti DCXXXVIII. *Dagoberti Regis in Neuſtria & Burgundia* 10. *Is cùm audiſſet exercitum Vvinidorum Thoringiam vſque penetraſſe, Metis digrediens, tranſiit Ardennam, Moguntiámque venit diſponens Rhenum tranſire, ac ſcaram de electis viris & fortibus de Neuſter & Burgundiâ cum Ducibus & Grafionibus ſecum habens, inquit Fredeg. cap.* 74. *vbi etiam adiungit Saxones à Dagoberto Rege*

impetrasse sibi relaxari tributum quingentarum vaccarum inferendalium, quas à Clotario seniore censiti quotannis reddebant, vt Vinidos repellant, limitémque Francorum in illis partibus custodiant. quæ tamen promissio effectu caruisse dicitur. S. Goericus S. Arnulfi in Vosagensi eremo defuncti corpus hoc circiter anno Metas transtulisse fertur. Honorius I. Romanus Pontifex obiit, vel vt alij, sepultus est, die 12. Octobris, cùm sedisset annis 12. mensibus 4. diebus 27. Reliquo anno totóque proximè sequenti vacauit Romana sedes, Seuerini electi consecratione in plures menses dilatâ. Vide Collectanea quæ ab Anastasio S. R. E. Bibliothecario è Græcis conuersa Sirmondus noster vulgauit anno 1620. Post Ariobaldum Rotharit Langobardorum Rex creatus est ad annos 16. Hic mores & instituta gentis suæ primus in scriptum redegisse perhibetur, cui sequuti Reges multa attexuerunt. Edictum illud extat apud Lindenbrogium & in quibusdam editionibus Iuris post vsus Feudorum, dicitúrque in Prologo factum postquam Langobardi 77. annum essent in Italia, qui character designat annum 645. Idem, quamuis sectâ Arianus esset, Catholicos Arianósque suos passim in vrbibus vnà versari passus est: vt pluribus Paulus Diaconus, qui etiam refert post mortem Radoaldi Grimoaldum successisse in Ducatu Beneuentano, quem annis 25. rexit, antequam ad regnum promoueretur. Concilium VI. Toletanum anno 2 Centhilanis Regis æra 676. celebratum est à 48. Episcopis die 9. Ianuarij. in quo decretum fuit, vt Reges iurent neminem se qui Catholicus non sit, in Hispania toleraturos. Arabes Antiochiam occupant, totóque Oriente peruagantur interim, dum Heraclius de duabus in Christo voluntatibus atque operationibus exterminandis præter ius fásque meditatur. Sed de his ac similibus ad Saracenos pertinentibus pauca dumtaxat delibabo, Lectorémque qui plura nosse auebit, ad Theophanem, eiúsque breuiatores Anastasium Biblioth. & Miscellæ auctorem, S. Nicephori P. C P. Chronicon, similésque scriptores amandabo.

Anno Christi DCXXXIX. *Dagoberti* 11. *cum Vvinidi Samonis iussu sæuirent in Francos, & sæpè transcenso limite Thoringiam reliquósque pagos deuastarent, Dagobertus Metensem vrbem adiit, ibíque cum consilio Pontificum & Procerum Sigibertum filium in Austriæ regno sublimauit, sedémque Metis habere permisit Cuniberto Coloniæ*

Pontifice & Adagiſilo Duce palatij regnum gubernantibus. Conuenientem quoque theſaurum tradidit, & quæ largitus fuerat præceptionibus firmauit. Auſtraſij deinceps limitem contra Vvinidos vtiliter defenſarunt. Fredeg. cap. 75. Hoc eodem Dagoberti anno 11. Indictione 12. S. Amando donatio facta eſt Kal. Maij cuiuſdam loci ſiti inter fluuiolos Scarpum, & Elnonem ad ædificandum monaſterium, quod modo ab ipſo S. Amando appellari ſolet. Gerardus Notarius ad vicem Dadonis Referendarij recognouit Pariſiis. Diſſident verò inter ſe Belgicarum Antiquitatum illuſtratores doctiſſimi, de anno, quo S. Amandus Ioanni Agno Traiectenſi Epiſcopo ſucceſſit. alius cum Bucherio, Miræo, Malbranquo ad 26. Octobris anni 637. conſecrationem eius referentibus; Bollando verò atque Henſcherico opinantibus S. Ioanni Agno die 25. Iulij defuncto coactum ac renitentem à Rege Sigeberto, & Sacerdotibus fuiſſe anno 646. ſubſtitutum. De qua lite nos quoque plura in Nomenclatore Chronologico Veterum Galliæ Epiſcoporum. Iſacius Exarchus Romam venit, relictúmque ab Honorio Papa theſaurum, partim militibus diuidit, partim ad Imp. miſit. Sergius Patr. C P. cùm ſediſſet annis 31. obiit, poſtquam Ectheſim ſiue expoſitionem fidei, in qua vnam in Chriſto Domino voluntatem ſtatuebat, Imperatoris nomine promulgaſſet, Romámque miſiſſet. Succeſſit Pyrrhus, de quo ſæpe infra. Arabes Edeſſam, Caſtellum Daras, totámque Meſopotamiam occupant.

Anno Chriſti DCXL. *Dagoberti XII. cùm ex Nanthilde Regina natus eſſet Regi filius Clodoueus, conſilio Neuſtraſiorum eorúmque admonitione pactio firmata eſt à Pontificibus, & Leudibus Auſtraſiæ, vt Neptricum, hoc eſt Neuſtria & Burgundia, ad regnum Clodouei poſt Dagoberti deceſſum aſpicerent: Auſtria verò eo, quod de populo & de ſpatio terræ eſſet, coæquans ad Sigiberti regnum integrè pertineret, & quidquid Auſtraſiorum regni olim fuerat hoc Sigebertus obtineret, excepto Ducatu Dentelini ſeu Dentilonis, qui Clodouei regimini ſubiiceretur. Radulfus filius Chamari, quem Dagobertus Thoringiæ Ducem inſtituit, Vvinidos ſæpe vertit in fugam, paulatímque contra Adalgiſelum Ducem variis occaſionibus exercens inimicitias contra Sigibertum Regem rebellat. Fredegarius cap. 76. & 77. Monachus Sandionyſianus Auctor Geſtorum Dagoberti, quem immeritò contemporaneum dixit Andreas Ducheſnius §. 33. per idem tempus docet Dagobertum Pariſios reuerſum propter magnificas virtutes, quas Deus ad veneranda ſepulcra SS. Martyrum Dionyſij ſociorúmque quotidie operabatur, baſilicæ eorum areas*

quaſdam

quasdam infra extraque ciuitatem Parisiensem tradidisse, & annuale mercatum, quod fit post martyrum festiuitatem prope idem Monasterium, concessisse ab omni teloneo liberum, &c. S. Fursæus Hibernus siue Scotus ex Angliâ tum primum in Galliam venisse perhibetur. Seuerinus Romanus Pontifex ordinatus die 29. Maij obiit die 2. Augusti, cùm præfuisset tantùm mensibus duobus & diebus 4. non verò, vt habet Miræus, mensibus 4. & diebus 29. Ioannes eius successor consecratus fuit die 31. Decembris. Tulca siue Tulgas post Chintillam in Hispania regnat ad annos 2. & menses 4. Eadualdo Cantuariorum Rege mortuo successit filius Ercombertus ad annos 24. Is primus dicitur idola omnia destruxisse, suisque præcepisse, vt quadragesimale ieiunium obseruarent. Saraceni Persicum regnum obtinent, Hormisda Rege ad interiores regiones fugiente.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCXLI. *Dagoberti* 13. *Auctor Gestorum eius, nam Fredegarius silet, refert Sadregisili Aquitanorum Ducis à quibusdam hominibus interfecti filios in Palatio educatos, cùm mortem patris, quam facillimè poterant, euindicare noluissent, secundùm Legem Romanam à regni proceribus redargutos, omnes paternas possessiones perdidisse. Cúmque omnia ad regalem fiscum fuissent recepta, Dagobertum Ecclesiæ sancti Dionysij villas Sadregisili quæ recensentur in præceptionis regiæ cartâ, cum salinis supra mare deuotissimè tradidisse, ita vt medietas vna stipendiis fratrum, quos turmatim ad instar monasterij Agaunensium vel sancti Martini psallere instituerat, inseruiret: altera verò matricullariis ac seruitoribus eiusdem Ecclesiæ traderetur. Vide §. 35. Sanctus Amandus sanctam Clotsendem filiam SS. Adabaldi atque Rictrudis de sacro fonte suscepisse dicitur.* Heraclius Imp. ex aquâ intercute aliisque morbis moritur die 11. Martij, Indictione 14. labente, cùm imperasset annis 30. mensibus 5. & diebus 7. Succedit Constantinus eius atque Eudociæ prioris coniugis filius, cúmque tres quatuórve menses post obitum patris imperasset, veneno sublatus est die 22. Iunij. Heracleonas verò eiusdem Heraclij & Martinæ posterioris vxoris filius, qui in locum fratris fuerat subrogatus, exeunte Octobri cum matre in exilium pulsus est, post sex imperij menses à morte patris, vel, vt alij, exeunte Decembri, quippe qui sex illos menses à nece fratris numerandos esse existimant. Constans Constantini filius He-

raclij nepos, vel ſub finem huius anni imperare cœpit, vel circa Februarium menſem anni proximè conſequentis. Sanctus Maximus Martyr Computum hoc anno ſcripſit Diocletiani 357. quo Paſcha celebratum fuit die octaua Aprilis. Mauias Saracenorum Dux Cæſaream vi cepiſſe dicitur Heracleonâ imperante, quo ſublato ab iiſdem barbaris Alexandria poſt obſidionem 14. menſium feria ſexta expugnata fuit.

Anno Chriſti DCXLII. *Dagoberti* 14. *cùm Vaſcones fortiter rebellarent, & in parte regni Francorum, quam Charibertus obtinuerat, prædas agerent, Dagobertus ex regno Burgundiæ exercitum mittit Duce Chadoindo Referendario, qui temporibus Theodorici quondam Regis multis prœliis ſtrenuum ſe probauerat, cum* 10. *aut* 11. *Ducibus, Ariardo ex genere Francorum, Ramleno ex genere Romanorum, Vvillibaldo Patricio ex genere Burgundionum, Aginone ex genere Saxonum*, &c. *exceptis Comitibus plurimis qui Ducem ſuper ſe non habebant. Vaſcones ab iis oppreſſi ac perdomiti, veniam pacémque petentes, promiſerunt ſe gloriæ & conſpectui Dagoberti præſentaturos, cunctáque ab eo iniuncta impleturos. Iudicael Britonum Rex ad Dagobertum cum multis muneribus Clipiacum venit, & veniam petens pro iis, quæ Britones contra Francos admiſerant, ſemper ſe & regnum, quod regebat, Britanniæ, verba ſunt Fredegarij cap.* 78. *ſubiectum ditioni Dagoberti & Francorum Regibus eſſe promiſit. Idem inuitatus ad prandium diſcumbere noluit cum Rege Dagoberto, eò quòd vir eſſet religioſus & timens Deum valdè, ſed ad manſionem Dadonis Referendarij accedens cum eo diſcubuit ad prandium, & poſtridie à Dagoberto honoratus muneribus, in Britanniam reuerſus eſt. Dagobertus verò teſte Monacho Sandionyſiano §.* 37. *Geſtorum, cùm alia multa dedit hoc anno Eccleſiæ S. Dionyſij in variis prouinciis ſita, tum centum vaccas inferendales, quæ ei de Ducatu Cenomannico annis ſingulis ſoluebantur, vt Dominum ſanctóſque Martyres pro eo deuotiùs exorarent. Idem Auctor §.* 40. *refert Dagobertum conſilio diuinitus inſpirato conuocatis filiis omnibúſque totius regni Primatibus* 10. *Kal. Iunias in palatio Bigargio placitum generale inſtituiſſe, & pro more Francorum Regum ſuper ſolio aureo reſediſſe coronatum, atque orationem, quam recitat, habuiſſe, vbi de Teſtamento, cuius exemplaria* 4. *fieri volebat, & in* 4. *diuerſis locis aſſeruari, plura leges, ſi vacat. Dedit quoque eodem tempore librarum plumbi octo millia ad cooperiendam eandem baſilicam*, &c. *quæ prætermitto. Conſulendum quoque moneo Aimoinum lib.* 4. *cap.* 30. Poſt Tulgam imperat Weſigothis in

Hiſpania Chindaſwinthus ad annos ſex cum menſibus octo. Oſwaldus Nordhumbrorum Rex, cùm regnaſſet annis 8. die 5. menſis Auguſti peremptus eſt in prœlio aduerſus Pendam Merciorum Regem. Succedit frater eius Oſwinus per annos 28. vt pluribus explicat Ven. Beda lib. 3. Ioannes IV. Romanus Pontifex, cùm ſediſſet annum vnum menſes 9. diéſque 13. obiit, ſepultúſque eſt die 12. Octobris. Succeſſor eius Theodorus ordinatus eſt die 25. Nouembris. Pyrrho Patr. CP. ſponte cedenti Paulus ſubrogatus eſt ad annos duocecim.

Anno Chriſti DCXLIII. *Dagoberti 15. Vaſconum primores cum Ainando ſiue Amando Duce Clipiacum ad Dagobertum venerunt, cúmque timore regio perterriti in Eccleſiam S. Dionyſij confugiſſent, clementia eiuſdem Principis vitam indultam habuere, promittentes quibuſvis ſacramentis, ſe omni tempore Dagoberto & filiis eius regnóque Francorum fideles fore: Sicque incolumes in patriam reuerſi, more ſolito ſicut ſemper fefellerunt, vt poſthæc probauit euentus, inquit Fred. cap. 78. ſub finem. Virgo Chriſti Reginulfa ſanctitate claret in Gallia, teſte Sigeberto. Hanc quieſcere in Aicuria Gallo-Brabantiæ vico ſcribit Miræus.* Iſaacius Exarchus Mauricium, qui tyrannidem arripere moliebatur, capit occidítque; tum paullo poſt moritur anno regiminis 24. Succeſſit ei miſſus ab Imperatore Theodorus Calliopas ſub finem anni, inchoata iam Indict. 2.

Anno Chriſti DCXLIV. *Dagobertus I. Galliæ Rex Chriſtianiſſimus profluuio ventris in Spinogilo villá ſuper Sequanam fluuium haud procul Pariſienſi ciuitate ſita ægrotare cœpit, vnde à ſuis ad baſilicam ſancti Dionyſij delatus, Æganem celeriter ad ſe venire præcepit, éique Nantildem Reginam, & filium ſuum Clodoueum commendauit. Tum poſt paucos dies emiſit ſpiritum Ianuarij menſis die 19. cùm in Auſtraſia annis fere 23. in Neuſtriâ verò & Burgundia poſt obitum patris annis 15. cum aliquot menſibus regnaſſet. Sepultus eſt in Eccleſia S. Dionyſij, quam auro, gemmis, multíſque pretioſiſſimis ſpecicbus exornauerat, & condignè in circuitu fabricari præceperat, patrocinium ipſius Sancti pretioſum expetens. Poſt eius diſceſſum* CLODOVEVS II. *ſub tenerâ ætate regnum patris adſciuit, & ab omnibus Neuſtriæ Burgundiæque Leudibus in Maſſolaco villa ſublimatus eſt, Ægane cum Regina Nantilde regente palatium. Fredeg. cap. 79. & 80. in quo laudes Æganis prædicat: Erat genere nobilis, opibus abundans, iuſtitiam ſectans, eruditus in verbis, paratus in reſponſis, &c. Huius conſilio facultates plurimorum, quæ iuſſu Dagoberti in regno Burgundiæ, & Ne-* Clodoueus II.

ptrico illicitè fuerant vsurpatæ, & fisci ditionibus contra iustitiæ modum redactæ, restauratæ sunt, hoc exeunte anno primo Clodouei, imminente secundo. Errat verò idem Fredegarius dum cap. sequenti asserit eodem anno, quo ista in Galliis peracta sunt, aut potiùs seq. Clodouei secundo, post Constantini Imperatoris mortem, Constantem filium eius sub tenera ætate consilio Senatus imperio sublimatum, eiúsque tempore Hierosolymam à Saracenis captam, Ægyptum inferiorem superiorémque cum Alexandria & Africa vastatas, *&c.* Addit per tres annos & ampliùs Constantem Imperatorem, vt vel C P. ciuitas cum paucis prouinciis, & insulis suæ ditioni reseruaretur, per vnumquemque diem mille solidos auri ærariis Saracenorum pependisse, donec resumptis viribus à tanto se Romanúmque imperium opprobrio vindicauit. Errat quoque idem Auctor in iis, quæ de Tolga Swinthilæ filio in Clericum attonso, & de Chintasindo vno ex Primatibus Gothorum in regnum sublimato subiicit cap. 82. vbi fusè denarrat qua ratione Gothos à peruersa occidendorum Regum insaniâ deduxerit in obsequium, Proceribus 200 & 500. de mediocribus interfici iussis. De Eclipsi Solis die 5. Nouembris feria 6. μηνὶ Δίῳ ε' ἡμέρᾳ ς' ὥρᾳ θ' τρεμιχῇ vide Theophanem, & ex eo Cedrenum, Zonaram, *&c.* Omari à Persa quodam in templo interfecto post annos regni 10. successit Otmen cognatus eius annis 12. Sunt qui Omari ab anno 633. annos 12. tribuant, eiúsque mortem in Dij mensis diem quintum anni seq. differant.

Anno Christi DCXLV. *Clodouci II.* 2. *Cùm post Dagoberti Regis obitum Chunibertus Colonienſis Antistes, & Pippinus Landensis, dictus à Landâ Brabantiæ oppido, Maiordomus Austrasiæ in firmando S. Sigeberti regno, & reuocandis ad eius ditionem quibusdam Aquitaniæ ac Prouinciæ Massilienſis prouinciis ac ciuitatibus vnanimi consensu desudassent, missis Legatis à Nantilde Regina eiúsque filio Clodoueo Rege partem Sigeberto Principi suo debitam de thesauris Dagoberti patris postularunt. Indictóque placito in Compendiensem villam cum aliquot Austrasiæ Primatibus profecti, instantia Æganis Maioris domus, diuisum æqua lance thesaurum accipiunt, Mettáque perductum Sigeberto offerunt describúntque: Tertia parte de quibus Dagobertus acquisierat, Nantildi Reginæ concessa. Vide Fred. cap. 84. qui post anni circulum defunctum memorat Pipinum, vt docebimus anno sequenti. Aurelianensis Synodus*

hoc circiter anno celebrata creditur, in qua ſatagente plurimùm S. Eligio, nondum Epiſcopo, hæreticus quidam Monotheleta Græcus à Saluio Epiſcopo palam ſuperatus, & cum ſummo dedecore ex Gallia pulſus eſt, vt pluribus docet S. Audoënus in vita S. Eligij lib. 1. cap. 34. Diſputatio S. Maximi Monachi & Abbatis celeberrima cum Pyrrho ex-Patriarcha CP. Monotheletarum patrono in Africa hoc anno habita eſt menſe Iulio. Edidit Baronius ad calcem Tomi VIII. Annalium Eccleſiaſticorum.

Anno Chriſti DCXLVI. *Clodouei II. 3. Æga Maiordomus in Clipiaco villa vexatus febre obiit. Ermenfridus, qui filiam Æganis duxerat, paucis ante ſoceri obitum diebus Ainulfum Comitem in Albiodero vico in mallo interfecit, multáque ſtrage iuſſione ac permiſſu Nantildis à parentibus Ainulfi plurimóque populo factâ in Auſtraſiam fugit, & Remenſem S. Remigij baſilicam expetiit, vbi longo tempore reſedit. Ægane mortuo Erchinoaldus ſiue Erchenualdus, qui conſanguineus fuerat de genitrice vel genere Dagoberti, Maiordomus Palatij Dagoberti efficitur, homo patiens & bonitate plenus, &c. quæ tibi ſubminiſtrabit Fredegarius cap. 83. 84. & 85. Eodem anno Pipinus de Landis Maiordomus in Aula S. Sigeberti Auſtraſiorum Regis defunctus eſt die 21. Februarij, éique ſucceſſit Grimoaldus filius opera Chuniberti Coloniæ Præſulis, eiecto de palatio Othone quodam filio Beronis ſiue Vironis Domeſtici, qui baiulus Sigeberti ab adoleſcentiâ fuerat. Idem Fredeg. cap. 85. & 86. Paullò pòſt labente anno eiuſdem Sigeberti 8. vt caput 87. inſinuat, omnis Auſtraſiorum exercitus aduerſus Radulfum Ducem, qui in Thoringiâ rebellauerat, trans Rhenum per Buchoniam profectus, magna ſtrage ab eodem Radulfo è caſtro quod muniuerat erumpente cæſus eſt. Bobo Dux Aruernus cum aliis trucidatus, ac Sigebertus Rhenum remeare coactus eſt, Radulfo ad modum Regis in Thoringia ſe gerente, pacem cum Vvinidis viciníſque gentibus firmante, ac verbis dumtaxat non factis obſequium exhibente. In Elogiis Regum Franciæ, in Chronico Technico, aliíſque locis ſæpe meminimus conſecrationis SS. Antiſtitum Audoëni Rotomagenſis, & Eligij Nouiomenſis, ad firmandas aduerſus Sigebertum, Baronium, Caluiſium, alióſque Chronologicas noſtras rationes. De eâ hæc habet ipſemet S. Audoënus in vita S. Eligij lib. 2. cap. 1. Conuenientes ſimul in ciuitate Rotomagenſi 14. die menſis tertij, Maium intelligit, anno tertio Clodouei iuuenculi adhuc Regis die Dominico ante Litanias (eo tempore, quo apud Gallias à cuncto populo Rogationes celebrabantur) inter cateruas populi, inter agmina Clericorum, inter choros pſallentium conſecrati ſumus gratis ab Epiſcopis pariter Epiſcopi,*

ego Rotomago, ille Nouiomo. Characteres autem illi designant hunc annum Christianæ æræ 646. quo Lit. Dom. A. Paſcha fuit die 9. Aprilis, & Aſcenſio Chriſti die 18. S. Ioanni Agno Traiectenſi Epiſcopo ad meliorem vitam euocato die 25. Iulij ſubſtituitur coactus à Rege & Epiſcopis S. Amandus, à pluribus iam annis ad prædicandam Chriſti fidem pro more illorum temporum conſecratus, ſed nulli addictus Eccleſiæ, Epiſcopus. Blidegiſilus Diaconus donationem fecit Monaſterij Foſſatenſis ſiue S. Mauri ad Matronam prope Pariſios: cui primus ab Audeberto Epiſcopo præpoſitus fuit Abbas S. Babolenus, ſub die Nonarum Maiarum hoc eodem Clodouei II. anno tertio. Concilium Toletanum VII. celebratum die 18. Octobris æra 684. anno regni Chindaſwinthi quinto. Rorarith Langobardorum Rex Trauiſium diuit, plurimáſque Tuſciæ vrbes ſibi vindicat. Africani Epiſcopi Monotheletarum hæreſim damnant in duobus Conciliis ſuáſque mittunt ad Romanum Epiſcopum literas.

Anno Chriſti DCXLVII. *Clodouei II.* 4. *Nantildis Regina poſt mortem Æganis Pontifices & Proceres Burgundiæ conuocauit Aurelianis cum Clodoueo Rege, vbi Flaochatus genere Francus, cui Nantildis neptem ſuam Ragnobertam deſponſauit, omnium electione Maiordomus in regno Burgundiæ ſtabilitus eſt, & cum Erchinoaldo Maiore domus Neuſtriæ concordiam iniit: tum collectis ſecum Pontificibus ac Ducibus Cabilloni menſe Maio placitum inſtituit, & Vvillibaldum Patricium interficere fruſtra conatus eſt. Interim Nantildis Regina obiit (hanc Monachus Geſtorum Dagoberti auctor addit in Eccleſia BB. Martyrum Dionyſij ac ſociorum eius iuxta maritum in eodem ſepulcro fuiſſe ſepultam) & menſe Septembri Floachatus cum Clodoueo Rege, & Erchinoaldo per Senonas & Antiſſiodorum Auguſtodunum acceſſit: quò etiam venit accitus à Rege Vvillibaldus collectâ de Patriciatus ſui termino multitudine, ac præmiſſis Aigilulfo Valentiæ Epiſcopo, & Giſone Comite. Dein commiſſo prælio interfectus eſt cum pluribus aliis, in quibus numerantur Bertharius Comes palatij pater Hubedonis & Manaulfus Burgundio. Floacatus verò Cabillonum ab vrbe Auguſtodunenſi properans, inde Latonam, vndecimo die poſt Vvillebaldi interitum ex febre obiit, ſepultus in Eccleſia S. Benigni in ſuburbano Diuionenſi. Fredeg. cap. 89 & 90. Cæterum, vt id obiter moneam, Vvillibaldum laudat, culpat Floacatum S. Audoënus in vita S. Eligij lib. 2. cap. 27. S. Amandus S. Gertrudem Virginem cum Ittâ matre vidua S. Pipini Ducis, Niuellis Deo conſecrat die 2. Decembris, vt docet Auctor vitæ*

S. Gertrudis, iussu Dominicæ Abbatissæ conscriptæ. Rotharith Exarchum prœlio vincit cæsis Romanorum octo millibus, teste Paullo Diacono. Saraceni Gregorium Africæ Præsidem qui tyrannidem vsurpauerat vincunt, & tributum Afris imponunt.

Anno Christi DCXLVIII. *Clodouei II. 5. qui cum Sigeberti fratris sui in Austrasia regnantis 10. concurrit, Otto, qui aduersus Grimoaldum Pippini filium inimicitia per superbiam tumebat, factione Grimoaldi à Leutharío Duce Alamannorum interficitur, & gradus honoris Maiorisdomus Grimoaldo vehementer firmatur, inquit Fredeg. cap. 88. ex quo patet non anno præcedenti finiuisse Chronicon, sed præsenti (in Codice nostro antiquissimo vncialibus literis exarato scriptum est absque vllo compendio, Anno decimo regno Sigeberti, ne quis 9. pro 10. subrogare velit obstinatiùs) imò & ad annum seq. ac longè plures produxisse docet non solum extremum caput* 81. Si cum Miscella compares, quæ ad annum Constantis 9. hæc habet: Mittit autem Imperator Procopium quendam ad Muhauiam quærens pacem, *&c. sed etiam cap. 82. in fine*, Chintasindus cùm esset plenus dierum filium suum nomine Richsindum in omne regnum Spaniæ Regem stabiliuit (quod anno seq. factum passim docent Chronologi) Chintasindus pœnitentiam agens, eleemosynam multam de rebus propriis faciens, plenus senectute fertur nonagenarius mortuus, anno scilicet 653. si verum est eum post abdicationem annis 4. & mensibus 7. superfuisse. quod volunt Hispani Scriptores. *Plura de Fredegario, si Deus voluerit, & si vixerimus, dicenda nobis erunt in altera nostræ Bibliothecæ Chronologicæ Parte. Nunc sufficiat in antecessum dixisse I. MS. nostrum R. P. Iacobo Sirmondo aliàs donatum plurima continere præter hanc Gregorij Turonensis appendicem, atque inter cætera Catalogum Paparum, qui in Theodoro desinit, (nam anni eius, Martini, Eugenij, aliorúmque, qui sequuntur vsque ad Hadrianum I. diuersa manu diuersóque penitus atramento scripti apparent) Catalogum item Impp. vsque ad Heraclium, cui dat annos 31. & S. Isidori Hispalensis Episcopi librum Chronicorum; in cuius fine hæc adscripta sunt: Breuiarium temporum à S. Isidoro collectum iuxta Historiæ fidem ab initio Mundi vsque 40. anno Chlothacharij Regis, II. nusquam Fredegarij nomen in illo apparere, sed post Compendium ex quatuor prioribus Gregorij Turonensis libris excerptum vsque ad Chilperici cædem scriptum dumtaxat reperiri, Incipit Prologus cuiusdam Sapientis: deinde, Incipit Capitolaris Chro-*

nicæ libri quarti in Christi nomine. 1. de bonitate Guntramni & Ecclesia S. Marcelli, &c. Post præfationem verò, In nomine D. N. I. C. incipit Chronica sexta. Guntramnus Rex Francorum cum iam anno 23. Burgundiæ regnum, &c. III. Andream Duchesnium, virum alioquin diligentissimum, oscitanter admodum ac perfunctoriè contu'isse nostrum illud Chirographum: vt duobus tantùm exemplis probabo: primum ex cap. 58. desumam, vbi hæc habentur: Nantechildem vnam ex puellis de menisterio matrimonium accipiens Reginam sublimauit; de Monasterio exhibet editio Duchesnij. alterum ex cap. 47. vbi in membranis expressus est annus XXXIX. regni Clotarij quo Dagobertum filium suum consortem regni fecit, in editis verò legitur annus XXXVIII. cùm tamen Monachus Sandionysianus 39. exprimat cap. 12. & vtrumque secutus Aimoinus lib. 4. cap. 8. Ex quibus patet incuria editoris in fraudem inductos fuisse viros doctos. Atque hæc è multis pauca placuit delibare, vt omnibus manifestum fiat quanti momenti sit ad historicam veritatem & Chronologiæ ambages MSS. codices consulere, nec in editis etiam operâ ac studio eruditorum virorum planè acquiescere. Nunc ad institutam narrationem redeamus. Audobertus Parisiorum Episcopus anno Clodouei II. 5. Monasterio Fossatensi, cui præerat S. Babolenus, concessit priuilegium immunitatis & exemptionis ab omni subiectione Episcoporum & Clericorum, illúdque à Rege firmatum fuit die 15. Maij & à quatuor Archiepiscopis Gauderico seu Canderico Lugdunensi, Annoberto Senonensi, Prestelando Bituricensi (qui non est alius à Vulfolendo coadiutore primum, tum S. Sulpitij Pij ab aliquot iam annis decessore) & Donato Vesontionensi, septémque Episcopis. S. Chadoindus Cenomanensis Episcopus Testamentum suum condidit eodem anno Clodouei die 6. Februarij, extat apud Brissonium lib. 7. de Formulis Populi Romani, Baronium in Annalibus ad an. 652. Bollandum in Appendice ad 20. diem Ianuarij, alióque. Constans Imperator consilio Pauli Patr. CP. Typum proponit, imposito vtrique parti silentio in controuersia de vna aut duabus in Christo voluntatibus & operationibus. Theodorus Papa conuocato concilio Decretum illud damnauit, & Paulum anathemate percussit. Mauias Saracenorum Dux classe 1700. nauium parata Constantiam vrbem totámque adeò Cyprum insulam occupat.

Anno Christi DCXLIX. *Clodouei II. 6. creditur obiisse die 8. Februarij S. Paulus Virdunensis Episcopus, succedente Gisloardo de quibus plura leges in Chronico Virdunensi Hugonis Abbatis Flauiniaci quod cùm hæc scriberemus sub prælo versabatur cum aliis Historicis & Chronologis*

nologis ex nostro Nouæ Bibliothecæ MSS. Librorum penu in publicam vtilitatem depromptis depromendisque. Theodorus Papa obiit, vel vt alij malunt sepultus est, die 14. Maij, cùm sedisset an. 6. mensibus 5. & diebus 18. aut 20. In laudato mox MS. vncialibus literis exarato tribuuntur illi anni 6. mensis vnus & dies 18. Successori autem eius anni 6. mensis pariter vnus, & dies 26. Martinus is fuit, creatus circa initia mensis Iulij. Ab eo celebratum fuit Romæ Concilium 105. Episcoporum mense Octobris die 5. Indictione 8. iam inchoata. *Scripsit quoque ad sanctum Amandum epistolam, qua dissuadet ne Episcopatum Traiectensem abdicet, mittit acta Synodi Romanæ, vt ab Episcopis Galliæ congregata Synodo confirmentur, monétque, vt Sigeberto Regi Austrasiæ* (quem circa hoc tempus Imnechildem duxisse probabile est) *suggerat, de mittendis in vrbem Episcopis, qui Legatione ad Constantem Imp. fungantur.* Chindaswinthus Wesigothorum Rex, vt iam monuimus, hoc anno filium suum in regni consortium cooptat, aut, vt alij scribunt, abdicata dignitate Regia imperij habenas regendas ei permittit mense Februario, vixit verò post annis fermè 5. obiítque nonagenarius. Filius autem imperauit in Hispania an. 23. mens. 7. & diebus 11. Muhauias Aradum vrbem in insula prope Tripolim sita capit, incendítque, incolis ab habitandum vbicumque voluissent dimissis, vt ait Auctor Miscellæ.

Anno Christi DCL. *Clodouei II. 7. Profectus est Romam sanctus Amandus ad Martinum Papam, & ab eo veniam impetrauit decedendi Episcopatu, tum reuersus cum SS. Landoaldo, Amantio, aliísque, S. Remaclum sibi in sede Traiectensi substituit, à quo ad S. Clodulfum Metensem Ep. missus fuisse dicitur S. Trudo hoc vel seq. anno puerili adhuc ætate floridus, vt à Grammaticâ aliísque liberalibus disciplinis ad sacræ scripturæ studium promoueri, & sacris ordinibus initiari posset. Sanctus Agilbertus è Gallis oriundus, cùm in Hibernia legendarum gratia scripturarum non paruo tempore demoratus esset, hoc circiter tempore Vvest-saxonum siue Geuissorum Episcopatu potitus est, quem cùm annis multis administrasset, tandem in Galliam reliit, & accepto Episcopatu Parisiacæ ciuitatis ibidem senex, & plenus dierum obiit, vt docet Ven. Beda libri 3. Hist. Angl. cap. 7. Plura de eodem leges in capitibus libríque sequentibus, quæ ostendunt eum è Gallia iterùm in Angliam appulisse, indidémque rediisse, siquidem verum sit in Iotrensi monasterio euolasse ad superos, vt asserunt, nósque alio in opere Deo dante pleniùs ostendemus. Ad hunc*

quoque circiter annum cum Sirmondo, Miræo, Henſchenio, aliíſque Viris pereruditis reuocandum cenſuimus Concilium Cabilonenſe I. Clodouei Regis euocatione habitum die 25 Octobris in Eccleſia ſancti Vincentij, præſide Canderico Lugdunenſi. Extant eius canones 20. cum ſubſcriptionibus, & epiſtola ad Theodoſium ſeu Theudoricum Arelatenſem Ep. Errant porrò, qui poſt annum 658. reiiciunt, cùm tunc, vt cætera omittam, non Audobertus, qui Vicarium pro ſe ad eam Synodum miſit, ſed Landericus Pariſiorum eſſet Epiſcopus, vt ipſius pro ſancti Dionyſij monaſterio literæ declarant. Eclipſis Solis cuius meminit Beda contigit die 6. Februarij feria ſeptima, cùm ſub Autumnum ſuperioris anni Martinus Papa Typum Imperatoris in Concilio Romano 150. Epiſcoporum condemnaſſet. Buſur princeps exercitus cum Arabibus acies direxit aduerſus Iſauriam, & occiſis multis cum quinque millibus captiuorum reuerſus eſt. Imp. miſſo ad Muhauiam Procopio quodam pacem petiit in duos annos, dedítque pigneris loco Gregorium filium Theodori, qui Damaſcum deductus eſt.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCLI. *Clodouei II.* 8. *ſanctus Amandus Roma reuerſus S. Bauonem Clericum ordinaſſe dicitur. S. Eligius Flandris & Audrouerpis Euangelicam doctrinam prædicat.* Faſagnates Armeniorum Patricius dato filio fœdus cum Muhauia pepigit. Quo audito, cùm Imp. veniſſet vſque Cæſaream Cappadociæ, rebus deſperatis ab Armenia redire compulſus eſt. *De Leodeboldo Abbate S. Aniani Aurelianenſis, & fundatore cœnobij celeberrimi Floriacenſis ſiue S. Benedicti ad Ligerim, quò paullo poſt delatæ ſunt ſanctiſſimi illius Monachorum in Occidente Patriarchæ è monte Caſſino reliquiæ ab Aygulfo è Bleſenſi caſtro non ignobili genere oriundo aliíſque Monachis à B. Mummolo ſiue Mommolino Rigomari ſucceſſore miſſis in Beneuentanam regionem. Cenomani quoque S. Scholaſticæ ſororis eiuſdem ſancti Benedicti reliquias in ſuam ciuitatem tranſtulerunt. Videndus præ cæteris Aimoinus Monachus lib. 4. cap. 42. quod ex codicibus MSS. in editione Ducheſniana tertio Collectionis Tomo adiectum liquidò oſtendit aduerſus nonnullos recentiores Hiſtoricum illum non fuiſſe ſancti Germani Pratenſis prope Lutetiam, ſed Floriacenſis monaſterij alumnum; dignum quoque lectione eſt poëma, quod idem Aimoinus Heroico metro cecinit de tranſlatione ſancti Benedicti in Gallias, quam egregiè aduerſus exteros quoſdam interpolatores vindicarunt Ioannes à Boſco, Claudius Sauſſeius, Card. Baron. Ar-*

noldus Vvion, Germanus Milletus, Hugo Menardus, aliíque viri doctiſſimi. Conſulenda quoque cenſeo quæ de Miraculis S. Benedicti à variis ſcripta referuntur in Bibliotheca Floriacenſi. De S. Iudoci Regis Britonum filij eremitæ in pago Pontiuo ſanctiſſimâ morte agit Sigebertus in Chronico, in quo etiam circa eadem tempora meminit S. Landelini cum diſcipulis Adoleno & Domitiano, Giſleni, Madelgarij Ducis, eiú que coniugis Vvaldetrudis, cui ſoror S. Aldegundis, Ettonis, Bertuini, Eloquij, & aliorum, de quibus ſigillatim diſſerere non eſt noſtri inſtituti: cùm præſertim in eorum temporibus digerendis non conueniant inter ſe ipſimet Scriptores Belgæ, quos per otium conſules.

Anno Chriſti DCLII. *Clodouei* 9. *S. Foillanus Foſſenſis martyrio vitam finiit, ſi quæ Sigeberto fides*, qui quod paucis in Miſcella dictum eſt de cinere ex cælo delapſo, & timore mortalium, amplificat in hunc modum: Ignis de cælo cecidit, & timor magnus ſuper homines venit, peſtilentia grauiſſima tribus æſtiuis menſibus graſſata eſt: cunctis viſibiliter apparente bonum & malum angelum noctu ciuitatem circuire, & quoties iuſſu boni angeli malus venabulo, quod manu ferebat, oſtium cuiuſque domus percuſſiſſet, tot ex eadem domo ſequenti die interibant. *In eumdem quoque annum coniicitur cædes S. Adalbaldi Ducis, cuius vxor S. Rictrudis, & filiæ Eu'ebia, Clotſendis, & Adel'endis S. Amandi operâ monaſticam vitam amplexæ ſunt.*

Anno Chriſti DCLIII. *Clodouei* 10. Muhauias Rhodum rediens, inquit Miſcellæ auctor ex Theophane, deſtruxit Coloſſum eius poſt 1300. ſtabilitatis ipſius annos. Quem cum Iudæus quidam Emeſenus negotiator emiſſet, nongentos camelos ex eius ære onerauit. S. Martinus Papa à Theodoro Calliopâ Exarcho cum armatis militibus iuſſu Conſtantis Imperatoris captus, & in exilium pulſus eſt menſe Iunio huius anni, contra quàm Baronius cenſuit cum aliis, quos ipſe circumuênit. Refelli quippe facile poterat ex ipſa 15. S. Martini epiſtola, quæ incipit; Noſcere voluit, *&c.* quam ipſe refert integram: in illa enim diſertè habetur diem 16. Iunij fuiſſe Dominicum, & 19. fuiſſe feriam 4. Præterea malè arguit Anaſtaſium Bibliothecarium, quòd dixerit S. Martinum binas habuiſſe ordinationes per menſem Decembrem. Omitto quæ ex Collectaneis Anaſtaſij Bibliothecarij anno 1620. editis in Chronico Technico percenſui. Eugenius Septembri menſe ſubrogatus ab ordinatione ſua ſedit annis 2. menſ. 9. &

diebus 24. atque à morte S. Martini 8. tantùm menſibus & diebus 18. Rotharito Langobardorum Regi mortuo ſuccedit Rodoaldus annis 4. qui Gundebergam Agilulfi & Theudelindæ filiam duxit vxorem. Concilium Toletanum VIII. à 52. Epiſcopis celebratum fuit die 16. Decembris Hera 691. anno 5. regni Receſwinthi.

Anno Chriſti DCLIV. *Clodouei* 11. *S. Vvandregiſilus, in fundo ſibi donato à Maiore Regiæ domus Erchinoaldo in Diœceſi Rotomagenſi, Fontanellenſe, quod ab eo modò denominatur, cœnobium extruere cœpit ſub die Calendarum Martiarum, vnde inchoantur anni* 19. *menſes* 4. *& dies* 21. *quos expleuiſſe dicitur in ſacro regimine vſque ad* 22. *Iulij diem, quo obiit anno Chriſti* 673. *Adroaldus vir nobilis S. Bertino patriâ Conſtantienſi, eiúſque ſociis, Mummoleno, qui poſtea Nouiomi factus eſt Epiſcopus, & Ebertrando die* 6. *Septembris donauit villam Sithiuenſem in pago Teruanenſi ad conſtruendum monaſterium, quod deinceps ab eodem Bertino nomen accepit. Idem quoque ab eodem Adroaldo accepit Alciacum prædium in Arteſia, quod in cœnobium poſtea excreuit. S. Sigeberti Auſtraſiæ Regis obitum, quem ex veteri quodam fragmento apud Falcetum elapſis annis ab obitu S. Martini Turonici Antiſtitis contigiſſe ſcripſimus in Chronico noſtro Technico, nunc re melius perpensâ in Kal. Februarias anni* 663. *prorogamus.* S. Martinus Papa, cùm in inſula Naxia annum feciſſet, inde profectus peruenit Byzantium die 17. Septembris huius anni, & in carcere clauſus fuit dies 93. vſque ad diem Paraſceues anni ſequentis. Paulus Patr. CP. obiit ſuccedente Pyrrho, quo poſt quinque menſes ſublato, ſuffectus eſt Petrus ad annos 4. De Conſtante Imp. à Saracenis nauali prœlio victo, & derelictis omnibus fugiente CP. de ſomnij expoſitione τῆς ἄλλῳ νίκην, de incenſa ad Tripolim Mauiæ claſſe plura Theophanes, & ex eo Anaſtaſius, Miſcella, Cedrenus, alij. De Sigeberto & Egrico Regibus in pugna aduerſus Pendam Merciorum Regem occiſis, vide Bedam. *Hoc circiter anno Clodoueus Francorum Rex duxit vxorem Baldechildem ſeu Batildem puellam ex Tranſmarinis Saxoniæ partibus aduectam, de qua hæc ad Legem Salicam liquidò demonſtrandam S. Audoëni Rothomagenſium Archiepiſcopi verba nefas eſt omittere. Multa alia, inquit cap.* 31. *libri II. vitæ S. Eligij apud Surium Kalend. Decembris, in colloquiis familiaribus prædixit, puta mortem Ariberti Regis, itémque Dagoberti inclyti Principis, natiuitatem Clotarij iunioris, qui cùm adhuc matris vtero geſtaretur, & Regina valdè ſollicita ti-*

meret se fœminam parituram in regni detrimentum : Eligius venit ad eam, & iucundissimè eam appellans, ait coram omnibus, masculam prolem edituram, séque è baptismo eam susceperturum. Nomen etiam necdum nato tum imposuit, Clotarium eum vocans. MSS. codd. habent : Reginam grauidam magnopere pauitasse verentem ne filiam ederet, & ob hoc, Regnum succumberet : ad eam autem venientem, Eligium alacriter eam recreasse, partúmque eius masculum pronuntiasse, &c. Quid porrò ad hæc respondit Vitilitigator Vesonticus Francorum ac Veritatis Salicæ hostis capitalissimus : Primò sanctissimam Baldechildem in sceleratissimam mulierem Fredegundem non leui 70. ferè annorum prochronismo commutauit : Deinde hallucinatione tandem sed seriùs agnitâ in ipsum Audoënum vitæ illius auctorem σύγχρονον, pietate, fide, ac doctrina insignem grauiùs inuehitur occasione Erchenoaldi, quem diuinitus percussum tenacem rapacémque memorat, cùm ab aliis scriptoribus ob quædam in vita benè ac laudabiliter acta commendatus sit. Quo argumento sanè fallaci Paschasius, Miræus, & quidam alij Brunechildem à Fredegarij & omnium consequentium scriptorum constantissima accusatione subducere voluerunt. Plura dabunt Dominicyus, & Tenneurius tum in Veritate vindicata tum pag. 193. & seqq. Chiffletij Ridiculi.

Anno Christi DCLV. *Clodouei II.* 12. *S. Remaclus Traiectensis Episcopus Stabulense, & Malmundariense cœnobia exstruere cœpit, quibus largitus multa perhibetur S. Sigebertus. S. Bauo Clericus ante aliquot annos à S. Amando ordinatus, Gandaui hoc anno ab eodem includitur ad agendam pœnitentiam.* S. Martinus Papa exilio Chersonam damnatus sententia Imp. cùm diris modis fuisset vexatus C P. exiit, ac sancta quinta feria Cœnæ Domini pertransiit Pharum, atque Idibus Maiis Chersonem peruenit, vbi Spiritum Deo reddidit die 16. Septembris Indictione 14. iam inchoata in festo S. Euphemiæ Martyris, elapsis annis 6. ab ordinatione sua cum mense vno diebus 26. Videsis quæ ex epistola ipsius S. Martini, ex Scholio, siue Hypomnestico, aliísque cum Collectaneis Anastasij opera P. Sirmondi editis delibauimus in Chronico Technico. Quod vero pag. 261. in Hypomnestico dicitur omnem tribulationis glorioſissimi Papæ agonem annis tribus, & vltra fuisse definitum, mendosum censeo, & duos tantùm cum aliquot mensibus numero, à die 16. Iunij anni 653. Oswinus Northumbrorum Rex die 15. Nouembris Pendam prœlio vincit, occidítque, ac Merciorum

regno occupato partem eius Pendæ cognato suo donauit, qui cùm in sequentis anni Paschate fuisset de medio sublatus, ipse solus regnum illud obtinuit annis tribus, vt docet Beda. Hoamen siue Otmen Arabum Dux obiit, cùm Amiras decem annis fuisset, inquit Miscellæ auctor: Post eius mortem dissidium inter eos fuit, aliis Haly consobrinum defuncti, aliis Muhammath generum eius, aliis denique, qui in Syria & Ægypto morabantur, Muhauiam, qui & vicit, & obtinuit annis 24. Concilium Toletanum IX. Hera 693. anno Reswinthi Regis 7.

Anno Christi DCLVI. *Clodouei II.* 13. *Itta mater S. Gertrudis obiit, si quæ Chronico Sigebertino fides, quam scio subleſtam admodum esse atque infirmam, etiam in his, quæ de rebus Belgicis narrat.* Eugenius I. Papa obiit die 2. Iunij, cùm sedisset ab ordinatione an. 2. menses 8. & dies 24. ab obitu verò S. Martini decessoris menses 8. & dies 18. Successit Vitalianus Papa Signinus ex Hernicis à die 31. Iulij mensis. Concilium X. Toletanum die primâ Decembris, Hera 694. in quo decretum fuit, vt dies Annuntiationis B. Virginis à die 25. Martij, qui in Paschales ferias vel Quadragesimale ieiunium incidit, in diem 17. Decembris differretur, qui mos in Hispaniâ dumtaxat diu viguit. Muhauias Arabum Princeps exercitum congregauit aduersus Halym, & congrediuntur ambo iuxta Euphratem. Hi verò qui erant Muhauiæ, cùm essent validiores, aquam obtinuerunt. Vnde in sitim venientes, qui erant cum Haly, defecerunt. Porrò Muhauias bellare noluit, sed sine labore victoriam tulit. Hæc apud Miscellam ex Theophane.

Anno Christi DCLVII. *Clodouei II.* 14. *Idem Princeps, grassante validâ per Galliam fame, absidam, infra quam corpora SS. Martyrum Dionysij & sociorum requiescunt, argenteo tegumento à patre suo opertam quorumdam consilio nudauit, cusósque nummos pauperibus Christi ac peregrinis erogari præcepit, vt pluribus apud Monachum Anonymum, Aimoinum, alióque leges. S. Bauo Gandaui ante biennium à S. Amando inclusus moritur die prima Octobris. Mortuum sepeliuit idem S. Amandus, missisque à Gertrude linteaminibus inuoluit. Betto quidam S. Vvandregisili Abbatis Fontanellensis precibus à morbo liberatur, vt dicitur in eius vita.* Rodoaldus Langobardorum Rex à quodam, cuius vxorem corruperat, interemptus est, succedente ad annos 5. Ariperto, filio Gundebaldi Theudelin-

dæ fratris. Constans Imp. contra Sclauos exercitum mouit & plurimos captiuos duxit.

Anno Christi DCLVIII. *Clodouei II. 15. aut circiter, Synodus Namnetensis celebrata existimatur, Romani Pontificis iussu, Niuardi Remensis Ep. temporibus, vt tradit Flodoardus lib. 2. Hist Remensis cap. 7. Ad hanc porro pertinere videntur 20. illi Canones, qui Namnetensis Concilij nomine circumferuntur absque vlla temporis notâ, licet non desint, qui anno 900. affigant nulla sanè probabili coniecturâ, cùm præsertim duo eius canones, tertius scilicet ac decimus, inde translati in librum VII. Capitularium eruditissimis viris videantur: nec verò Canon postremus de idololatria compescenda haud parum congruit S. Eligij ætati, vt ex eius vita homiliisque discimus. S. Landericus Parisiorum Episcopus hoc Clodouei Regis anno 15. labente, mense Iulio priuilegium libertatis concessit Monasterio S. Dionysij, cui subscriptus est inter alios Vulfolendus Bituricensis. Edidit illud Sirmondus Tomo I. Conciliorum Galliæ pag. 495. Ad hunc porro Landericum scripsit libros Formularum Marculfus quidam Monachus, quem eumdem esse cum Marculfo Abbate monasterij de Castro apud Biturigas, cuius mentio in vita S. Austregisili habetur, non improbabilis est coniectura, quam primùm proposui in Appendice ad Elogium Bituricensis vrbis exeunte anno huius sæculi 46. vulgatum, ac Serenissimo Principi Condæo consecratum.* Electo à proceribus Oswino Merciorum Rex efficitur Wlferus filius Pendæ ad annos 17. Inter Romanos, & Arabes conuentio facta est, Muhauiâ mittente legationem, vt tribuant Romanis Arabes per singulos dies numismata mille, & equum, & seruum, inquit Auctor Miscellæ: quod verò addit, eodem anno Constantis 17. exilio ductum Martinum Sanctissimum Papam Romanum pro veritate fortiter agonizantem, & confessorem factum in climatibus Orientis defunctum esse, procul aberrat à calculo.

Anno Christi DCLIX. *Clodouei II. 16. In conuentu Clipiacensi conscriptum fuit Præceptum auctoritatis Regiæ die 22. Iunij de libertate Monasterij S. Dionysij, quam priuilegio anno superiore, vt diximus, edito concesserat Landericus Parisiorum Ep. Vide Monachum Sandionysianum §. 51. Gestorum Dagoberti Regis, eiúsque filij Clodouei, vbi orationem Regis regio stemmate ex more compti ad Optimates & Pontifices habitam recitat, sed in eo fallitur, quemadmodum & qui ab eo hausit Aimoinus lib. 4. cap. 41. quod inter eos Episcopos, qui adfuerunt, quos hodie sancta Ecclesia sanctissimos esse non dubitat, eo*

quòd ad eorum ſepulcra venerabilia virtutes non modicas vſque in præſens Dominus operetur, cum SS. Audoëno, Radone, Palladio, Claro, Eligio, Auberto, aliíſque recenſeat ipſum etiam S. Sulpitium Pium Bituricenſem Archiepiſcopum, qui iam ab aliquot annis ad meliorem vitam euolarat, cuiúſque ſepulcrum pluribus coruſcans miraculis inuiſit hoc fermè tempore S. Eligius, vt diſces ex vita eius à S. Audoëno ſcripta lib. 2. Ex eiuſdem quoque vitæ ac libri cap. 26. diſces Erchenoaldum ſuperſtite adhuc Clodoueo Rege infelici exitu extremum repentè ſpiritum efflauiſſe. Huic ſucceſſerat iam ab exeunte Iunio huiuſce anni in honore Maioriſdomus Radobertus, qui poſt Epiſcopos & Diaconos ſubſcriptus reperitur in prædicto Clodouei Regis Præcepto pro cœnobio ſancti Dionyſij cum Aigulfo Comite Palatij aliíſque. S. Liuinus eodem anno die 12. Nouembris prope Gandauum martyrio vitam finiit. S. Trudo per Eccleſiaſticos gradus ad Sacerdotium à S. Clodulfo promotus Metis, rediit ad S. Remaclum anno 10. Traiectenſis eius Epiſcopatus, Déique verbum in eius Diœceſi euangelizauit. Conſtans Imperator Theodoſium fratrem ſuum Diaconum, ex cuius manibus Euchariſtiam nonnunquam ſumpſerat, iuſſit interfici, furiíſque agitatus in varias vrbes regionéſque tendit. Cùm autem eſſent Arabes apud Saphin dolo necatus eſt Haly, ſolúſque imperare cœpit Muhauias regio more Damaſcum inhabitans, & pecuniarum theſauros illic recondens, vt tradit Miſcella.

Anno Chriſti DCLX. *Clodouei Iunioris* 17. *Conuenire arbitror quæ habet Monachus Sandionyſianus §. 52. ſiue vltimo: Hludouuius Rex cunctis diebus abſque bello tranſactis fortuna impellente in extremis vitæ ſuæ annis ad SS. Dionyſij, & ſociorum corpora, quaſi cauſa orationis, venit: volénſque eorum pignora ſecum habere, diſcooperire ſepulcrum iuſſit. Corpus autem B. Dionyſij intuens, minus religiosè, licet cupidè, os brachij eius fregit & rapuit, confeſtímque ſtupefactus in amentiam decidit. Tantúſque timor ac tenebræ locum ipſum repleuerunt, vt omnes, qui aderant, timore maximo conſternati, fugæ præſidium peterent. Poſt hæc verò, vt ſenſum recuperaret, villas quaſdam ad ipſum locum tradidit: os quoque, quod de ſancto corpore tulerat, auro ac gemmis miro opere veſtiuit, ibíque repoſuit. Sed ſenſum ex aliquantulâ parte recuperans, non autem integrè recipiens, poſt duos annos (ergo* 18. *in regno expleuiſſe dicendus eſt, non verò, vt aliàs docueram cum Sirmondo, Bucherio, Petauio, Ducheſnio, Miræo, Bollando, aliíſque nominatiſſimus Chronologis,* 16. *tantùm, aut ad ſummum* 17.*) vitam cum regno finiuit. Hæc ille, atque ex eo Aimoinus.*

moinus. Quo vero anno S. Baldechildem ex Saxonum Transmarinorum, hoc est, ni fallor, in Britanniâ commorantium, genere oriundam duxerit Clodoucus, quibúsve annis nati sint eorum filij Clotarius, Childericus, atque Theodericus, nemini notum esse arbitror, vt pleráque alia ad Reges nostros spectantia. S. Remaclus relicto Traiectensi suo Episcopatu in Stabulense monasterium se recipit, succedente in eius locum S. Theodardo Abbate Stabulensi: quem Chunibertus Archiepiscopus Colonienſis consecrasse dicitur. Eiusdem quoque anni die 19. Nouembris ad superos abiisse S. Desiderium Cadurcensem Ep. superstite adhuc Sigeberto Rege constabit ex eius Vitâ, cùm præter illustria illa fragmenta, quæ edidimus in Miscellaneis curiosis, vulgabimus integram illam sub finem Tomi I. Partis Historicæ Nouæ nostræ Bibliothecæ MSS. Librorum. Antequam autem vlterius progrediar, iuuat hîc palam atque ingenuè profiteri, me, qui semper hactenus ob plurimos passim occurrentes in veterum monumentorum lectione difficultatum non mediocrium scrupulos in decurrendis trium Galliæ Regum Clotarij, Childerici, ac Theoderici, filiorum Clodouci iunioris, sanctæque Baltildis temporibus vacillauerim, dubiúsque hæserim; vt ex Elogiis meis, & Miscellaneis Curiosis, ipsóque Technico Chronico facilè quiuis intelliget, re postea accuratiùs expensâ, discussísque Actorum, Vitarum, Chartarum, Chronicorum, à me sparsim aliísque publicatorum, in eâ modò acquiescere sententia, vt Clodouei mortem in anni 662. initio collocem, Clotario III. eius filio annos 14. tribuam, (quorum indicia ac probationes primus omnium in lucem protuli pag. 426. Miscellaneorum) ab anno 662. ad 676. quo Childericus Monarchiam Francorum obtinuit ad annos tres quatuórve: Theodericum verò 14. annos expleuisse censeam ab anno 680. ad 694. quo filij eius Clodoucus III. ad quadriennium, Childebertus verò, cognomento Iustus, ad 17. regni, Monarchiæ verò 13. annos successerunt, vt pluribus postea per singulas annorum consequentium periochas explicabitur. Hæc autem in rem tuam meámque, Lector veritatis studiose, præmittenda existimaui, vt ad istam normam amussimque exigas quæ ab hoc anno 660. ad 694. in Chronico Technico aliísque meis lucubrationibus Chronologicis contraria illi annorum concatenationi imposterum deprehendes. Faxit enimuerò Deus Opt. Max. vt omnibus, qui Chronologiam cæterásque tractamus disciplinas, altè mentibus defixum hæreat sapientissimum illud sancti Augustini effatum, quo libri primi de Trinitate caput 3. claudit & tertium exorditur. NEC PIGEBIT ME, sicubi hæsito, quærere; nec pudebit, sicubi erro, discere. Proinde, quisquis hæc legit, vbi pariter certus est, pergat mecum; vbi

pariter hæsitat, quærat mecum; vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me; vbi meum, reuocet me.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCLXI. *Clodouei 18. obiit Leodebodus Abbas sancti Aniani Aurelianensis & fundator Cœnobij Floriacensis seu sancti Benedicti ad Ligerim. Ebroinus post Radobertum factus Maiordomus Palatij sub Clodoueo II. & S. Baldechilde S. Aygulfi Lirinensis Abbatis interfectores seuerè puniuit.* Cenwaldus Rex Occidentalium Saxonum in Britanniâ Wlferum Regem Merciorum Pendæ filium vincit capítque in bello. De Saracenis silet hoc anno Miscella.

Anno Christi DCLXII. *ineunte, postquam 18. annos regnasset in Neustriâ & Burgundia, vixisset verò tantùm 23. & in extremis vitæ annis amens fuisset effectus, Clodoueus II. Iunior dictus, vita caruisse videtur, superstite adhuc fratre eius sancto Sigeberto Austrasiis imperante.* CLOTARIVS III. *maior natu è tribus eius filiis sub tutela Baltildis matris & cura Ebroini Maioris domus Regiæ successit, non ad 4. tantùm annos, sed ad 14. ab hoc anno 676. numerandos. In veteri membrana hæc scripta fuisse perhibentur:* Anno Incarnationis Domini N. IESV CHRISTI DCLXI. Ind. IV. Epacta XV. Concurr. IV. termino XII. Kalend. Aprilis, Pascha V. Kalend. Aprilis, Luna 21. VIII. Idus Februarias die Dominica Luna 1. obiit sanctus Amandus annorum circiter XC. *Verùm hæc in pleriſque ἀσύστατα: multóſque adhuc annos vixit sanctus Amandus anno demum 584. demortuus, vt suo tempore annotabimus.* Ariperto mortuo & dissidentibus de regno eius filiis Pertharito & Godoberto, Grimoaldus Dux Beneuentanorum quartus exeunte hoc anno regnum Langobardorum occupat, obtinétque annnis 9. Hac hyeme progressos in Italiam Francos ex insidiis superauit, deleuítque: tum nonnulla addidisse dicitur legibus Langobardicis à Rotharito sancitis. S. Maximus Abbas & Confessor pro Catholica fide aduersum Monotheletas celeberrimus obiit exul in Lazicâ die 13. Augusti Indictione 5. exeunte feria 7. Anastasius verò Abbas eius discipulus die 24. Iulij: qui characteres, vt diximus in Chronico Technico, ex Hypomnestico, aliísque producti, Caluisij & similium errores detegunt.

Clotarius III.

Anno Christi DCLXIII. *Clotarij III. secundo ineunte, S. Sigebertus Austrasiæ Rex obiit ipsis Kalendis Februariis ætatis suæ anno*

ferè 28. regni 25. à transitu S. Martini 263. (hunc enim in exeuntem annum Æræ Christianæ 400. incidisse superius suo loco docuimus, & in Annotatione ad Chronicum Technicum pag. 94. firmissimis euicimus argumentis) & sepultus est Metis in Ecclesiâ S. Martini quam ad radices montis ipse construxerat. Grimoaldus Pippini Landensis filius Maiordomus Dagobertum paruulum S. Sigeberti atque Imnechildis filium sibi à patre commendatum attonderi iussit in Clericum, & Didoni Pictauensi Episcopo S. Leodegarij patruo sub custodia direxit, à quo ille in Scotiam siue Hiberniam ad peregrinandum ablegatus fuit. Grimoaldus verò filium suum Childebertum Regem Austrasiæ legitimi hæredis loco substituit, ab eóque S. Niuardus Remensis Antistes immunitatem à tributis impetrauit, teste Flodoardo lib. 2. Historiæ Remensis cap. 7. Duplicem quippe eo tempore per ditiones Austrasiorum sparsam rumorem rectè coniicit Godefridus Henschenius in doctissima de tribus Dagobertis Francorum Regibus Diatribâ; quæ in manus nostras venit, cùm Typographicum prælum nostra hæc exerceret lucubratio; Dagobertum scilicet vita functum esse, Childebertum verò à S. Sigeberto pridem fuisse adoptatum regni Austrasiorum hæredem, si ipse liberos non reliquisset. Constans Imperator varias imperij prouincias peruagatus, & in Italia Luceria captâ, frustráque obsesso Beneuento, à Langobardis non semel prælio victus, Romam hoc anno ingressus est die 5. Iulij feria 4. Indictione 6. & à Vitaliano Papâ honorificè exceptus post 12. dies digressus est, secúmque auferens quidquid æris inueniri potuit in templis & in tectis, in Campaniam ac seq. demum anno Syracusas concessit. Ciliciæ pars ab Arabibus deuastata est.

Anno Christi DCLXIV. *Clotarij III. 3. Grimoaldi perfidiâ atque iniquitate commoti Franci, qui in Austrasia morabantur, iuncti Neustriis atque Burgundis, Grimoaldum, eiúsque filium Childebertum de solio deiiciunt, tantique facinoris auctorem Grimoaldum Parisios deductum carceri mancipant, variísque cruciatibus necant. Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum Christi 658. hæc retulit, in eóque præterea peccauit, quòd præsentatum fuisse tradat iudicio Clodouei, eúmque iuniorem filium suum Childericum Austrasiæ Regem fecisse. Id enim à Clotario, eiúsque matre Baldechilde factum oportuit, quorum consensu Childericus in Austrasiam missus est. Anonymus in vita eiusdem Reginæ edita à Bollando die 26. Ianuarij testatur Austrasios pacifico ordine, ordinante domna Bathilde, per consilium Seniorum recepisse Childericum filium eius Regem Austri: & iuxta magnam eius fidem Deo gubernan-*

te, ipſa tria regna, inter ſe tenuiſſe pacis concordiam. Ex quibus verbis colligo anno ſequenti, qui fuit Childerici Regis in regno ſecundus, Kal. Auguſti potuiſſe S. Bathildem Neuſtriam Burgundiam Auſtriámque communi quaſi vinculo colligantem rebúſque filiorum ex conſenſu Procerum ſedulò inuigilantem ſubſcribere diplomati donationis fundi ſeu monaſterij Bariſiaci in agro Laudunenſi impetratæ à S. Amando, vt expuncto Bildechildis nomine, quod mendosè, vt ratio à me allata planè euincit, præfert editio Miræi libri Diplomatum Belgicorum cap. 3. & in Notitia Eccleſiarum Belgij cap. 8. reſtituimus in Miſcellaneis curioſis cap. 4. §. 3. Nec video cur denegetur matri ab Auſtraſiis quantâ vis æmulatione ſuffuſis in donatione vicini alicuius prædij nomen ſuum adſcribere præſertim inter initia regni eius. Quod verò Imnechildem aiunt ſummæ prudentiæ Reginam regnum Auſtraſiorum adminiſtraſſe tum, & pro Childerico à Neuſtriis euocato Auſtraſiis imperaſſe, id mihi gratis dictum videtur, cùm nullâ veterum ſcriptorum teſtificatione fulciatur, ſed meris coniecturis. Potuiſſe Imnechildem & Childerico mariti ſui nepoti regnum aſſeruare, & Dagoberto filio ex Hiberniâ reduci in locis magis remotis partem regni adſciſcere, & inter vtrumque Regem pacem concordiámque fouere nemo iure negauerit, an hoc alióve potiùs modo ac ratione factum ſit, ambigitur, necdum plenè probatum vidimus. S. Vvilfridus à S. Agilberto Pariſiorum Epiſcopo Landerici ſucceſſore ordinatus in Galliâ fuit Epiſcopus, cùm prius ab eodem tum Vveſtſaxonum Præſule iuſſione Alfredi Regis fuiſſet in Anglia Preſbyter conſecratus, & poſt quadriennium ad Eboracenſis Eccleſiæ regimen admiſſus, in quâ decem annos abſque vlla offenſione cum maxima omnium approbatione permanſit. Vide Bedam lib. 5. cap. 20. & ſeqq. Obiit S. Gertrudis Niuellenſis Abbatiſſa die 17. Martij anno ætatis 33. Hoc anno 23. Conſtantis factus eſt error ieiuniorum, inquit Miſcella ex Theophane & Anaſtaſio; aliis, quibus Paſcha celebrandum erat die 21. Aprilis, ieiunium inchoantibus die 18. Februarij, paucis verò incipientibus die 21. Ianuarij, iis ſcilicet, quibus futurum erat Paſcha die 24. Martij. Eodem quoque anno agitata eſt celebris quæſtio de legitimo tempore celebrandi Paſchatis in Pharenſi ſiue Withienſi conuentu inter Wilfridum Ripenſis adhuc monaſterij Preſbyterum, & Colmanum Ep. Lindisfarnenſem Scotorum ſiue Hibernorum partibus addictiſſimum, coram Oſwino Northumbriæ in Anglia Rege, vt pluribus docet Ven. Beda lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglorum. Idem quoque meminit Eclipſis Solaris, quæ accidit

ipſis Kalendis Maij, feria 4. circa horam diei decimam Indictione 7. Chaganus Auarum Rex Lupum Foroiulienſis prouinciæ inuaſorem bello ſuperatum trucidat, & lepido Grimoaldi Langobardorum Regis ſtratagemate ab illâ regione amandatur.

Anno Chriſti DCLXV. *Clotarij III. 4. Childericus eius frater anno 2. regni in Auſtraſia Kalend. Aug. dat S. Amando Bariſiacum Laudunenſis Diœceſis villam, vt ſup. anno præmiſimus. S. Eligius Nouiomenſis ac Tornacenſis Epiſc. ad meliorem vitam euocatus eſt Kalendis Decembribus, cuius vitam ſcripſit lib. 2. S. Audoënus ipſi ad plures adhuc annos ſuperſtes. Succeſſorem habuit in Epiſcopatu S. Mummolenum Abbatem Sithiuenſem.* Hoc & ſeq. anno Buſur immiſſo in Romanorum fines exercitu multis ſpoliis ditatus eſt. *Hoc quoque anno vel ſeq. S. Leodegarius Regi ac Reginæ acceptiſſimus conſecratus eſt Auguſtoduni Ep. quæ eſt Æduorum ciuitas: quo munere, inquit Vrſinus apud Surium & Ducheſnium, decem annos ſtrenuè cùm functus fuiſſet, Clotarius Rex qui eum promouerat, exceſſit è viuis.*

Anno Chriſti DCLXVI. *Clotarij II. 5. ſub die 23. Decembris conceſſa fuit charta ſeu Præceptum immunitatis ab omnibus teloneis pro monaſterio Corbeienſi ab ipſo Rege, & Regina matre ad Somonam in finibus Ambianorum fundato, quam exhibuit Sirmondus Tomo I. Concil. Galliæ pag. 501. Errant qui ad hunc annum reuocant obitum ſancti Vvandregiſili Fontanellenſis Abbatis cùm anno 673. conſignandus ſit.* Anaſtaſius Apocriſiarius in Lazica exul curſum expleuit martyrij die 11. Octobris Dominica Ind. 10. vt tradit Hypomneſticon citatum in Chronico Technico. Concilium Emeritenſe in Hiſpaniâ æra 704. Receſwinthi Regis Weſigothorum anno 18. in quo inter alia ſancitum, vt pro Regis militantis ſalute preces in Templis haberentur, & Miſſæ celebrarentur. Eodem anno die 23. Ianuarij obiit S. Ildefonſus Archiepiſcopus Toletanus: alij ad ſeq. an. referunt.

Anno Chriſti DCLXVII. *Clotarij III. 6. ſub die Kalendarum Februarij Momelinus Nouiomenſis Ep. & Bertinus Abbas Sithiuenſis concambium fecerunt, cui S. Audomarus ſub die 18. Maij anni eiuſdem Eccleſiam B. Mariæ in monte fundatam dedit: In Chriſti nomine, inquit, quamuis peccator ego Audomarus nomine abſque merito Epiſcopus hanc epiſtolam voluntarius dictaui, & recenſere audiui, & qui ſubterius ſcribere deberent, rogaui. Hæc abocellus feci, & alius manum meam tenens ſcripſit, & ſubſcripſit. Addidi in Miſcellaneis curio-*

sis pag. 448. & hanc obseruationem Ioannis Iperij in Chronico suo MS. Bertiniano: Et quia huius priuilegij data est anno Lotharij sexto, & aliquæ Chronicæ dicunt solùm hunc regnasse annis 4. hoc intelligo de 4. annis completis in se, & iunctis eidem parte sequente, in quo datum fuit hoc priuilegium. Sigillum enim Regium nec fallit nec fallitur. Hæc ille. S. Vedasti Atrebatensis Ep. anno Christi 540. defuncti post annos 128. translatum fuit Kalendis Octobris à SS. Episcopis Auberto Cameracensi, Audomaro Teruanensi, &c. Sapor Armeniæ Prætor, genere Persa, aduersus Constantem Imp. rebellis à Muhauiâ Saracenorum Principe impetrat auxilia: Verùm hic paullò pòst dum portæ ciuitatis appropinquasset, equum flagello percussit: qui iactanter saliens, inquit Miscella, sessoris caput in portam allisit, ac vitâ priuauit. Arabes Amorium Phrygiæ vrbem capiunt, quinque millibus armatorum custodiæ illius deputatis, qui sequenti hieme, cùm nix multa esset, Romanis per murum ascendentibus, omnes ad vnum interempti sunt.

Anno Christi DCLXVIII. *Clotarij III. 7. Bertefridus Ambianensis Abbas priuilegium exemptionis, quale indultum fuit Agaunensibus & Lirinensibus, Basilicæ domni Marcelli, monasterio Luxouiensi,* &c. *concessit Abbatiæ Corbeiensi sub die 8. Idus Septembris anno 7. regnante Clotario Rege Captonnaco in palatio publico. Eundem septimum Clotarij annum subministrat charta Besuensis in Burgundia cœnobij data 28. Sept. à nobis edita pag. 429. Miscellaneorum Curiosorum è Chronico MS. Bibliothecæ Regiæ, quod postea vulgatum est opera R. P. Lucæ d'Achery Monachi Benedictini, cum Chronico S. Benigni Diuionensis. S. Vvandregisilus Fontanellensis Abbas eundem Clotarium adiit hoc anno, & ab eo priuilegium confirmationis super arcâ cœnobij sui accepit liberalissimâ datione.* Constans Imperator die 15. Iulij labente vndecima Indictione Syracusis in Siciliâ occisus est dolo in balneo, cui nomen Daphne, cùm præfuisset annis 26. & mensibus saltem quinque. Successit filius Constantinus iunior dictus, cognomento Pogonatus, quòd cùm CP. egressus fuisset imberbis, eamdem reuisit barbâ prolixâ insignis ac decorus. Hic audita patris cæde cum multis nauibus in Siciliam venit, aggressúsque Mizizium siue Mitium, qui quod valdè decorus ac speciosus esset, coactus fuerat purpuram sumere inuitus, interfecit cum occisoribus patris sui, & ordinatis Hesperiis CP. rediit, Romanísque vnà cum Tiberio ac

Heraclio fratribus imperauit. Saraceni mouerunt exercitum in Africam, & captiua duxerunt millia 80. Theodorus, natione Cilix è Tarso oriundus, 60. natus annos, à Vitaliano Papâ in Archiep. Dorouernensem ordinatus est Romæ die 26. Martij Dominica. *Inde impetrata ab Ebroino Maiore domus Regiæ Clotarij Iunioris facultate pergendi quoquo vellet, per Gallias ad Agilbertum Parisiensem Ep. venit, transactáque hieme è Quentouico (quem locum Beda Stapulas interpretatur)* in Angliam Dominica die 27. Maij anni sequentis appulit. Sediſſe aiunt an. 21. mens. 3. dies 26. S. Wilfridus Eboracensis Episcopatus possessionem adit, quo post annos 10. deiectus anno 678. post varias peregrinationes illum recepit, defunctusque est die 12. Octobris an. 709. ab ordinatione Episcopali 45. vt fusius Beda, quem de his similibúsque consulet Lector.

Anno Christi DCLXIX. *Clotarij III.* 8. *duo concessa memorantur diplomata monasterio Besuensi, quorum alterum vulgauimus pag.* 429. *Miscellaneorum Curiosorum, alterius fragmentum edidit iam ab anno* 1612. *V. C. Hieronymus Bignonius in notis ad Marculfi Monachi veteres formulas. In iisdem quoque doctissimis notis reperies tertiam chartam in fauorem cœnobij S. Benigni Diuionensis datatam sub die 9. Kal. Nouembris,* &c. Baronius, Caluisius, aliíque, Vitaliani Papæ mortem in hunc annum coniiciunt, nos in 671. differre maluimus. Saraceni Syracusas in Sicilia occupant & prædantur, auecto Alexandriam ære, quod ex omni Italia corraserat Constans. Alias quoque prouincias direptionibus atque incendiis vastant.

Anno Christi DCLXX. *Clodouei III.* 9. *aut circiter celebratum creditur à S. Leodegario Antistite Concilium Augustodunense, cuius canones aliquot ex antiquis collectionibus publicam in lucem è tenebris eruit Sirmondus noster Tomo I. Concil. Galliæ.* Oswino postquam regnasset annos 28. vixisset 58. mortuo die 15. Februarij successit Ecfridus filius ad annos 15. Phadalas hieme apud Cyzicum transacta plurimos captiuos duxit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCLXXI. *Clotarij III.* 10. Vitalianus Papa die 27. Ianuarij defunctus est post sedem annorum 14. & mensium propemodum sex. Successit Adeodatus natione Romanus & Monachus, creatus die 9. Aprilis, vel vt alij medio mense Martio. *S. Batildis hoc circiter tempore in*

monaſterium Calenſe, quod ad Matronam centum à Lutetia ſtadiis exſtruxerat, ſe recepit, occaſione cædis Sigobrandi Pariſienſis Epiſcopi à Francis perpetratæ. Childericus Rex Auſtraſiorum cum Imnechilde, & Bilichilde vxore Reginis S. Remaclo Abbati pro monaſteriis ſuis Stabelao, & Malmundario à Sigeberto Rege conſtructis concedit 6. Sept. an. 8. regni ſui, vt S. Theodardus Ep. Traiectenſis, & Hodo Domeſticus cum Foreſtariis Regiis menſurent & deſignent certa loca, vt abſque impugnatione cuiuſuis perſonæ ea poſſidere valeant. Negatores Chriſti Muhammath & Cayſus, inquit Miſcellæ auctor, ſtolo magno conſtructo nauigauerunt in Ciliciam & Lyciam, & facta eſt mortalitas in Ægypto. Conſtantinus Imp. conſtruxit & ipſe trieres miræ magnitudinis ignem ferentes, & dromones, vt Saracenos ab oppugnandâ C P. arceret.

Anno Chriſti DCLXXII. *Clotarij III.* 11. Receſwinthus Weſigothorum in Hiſpania Rex æra 710. Kal. Septembribus feria 4. hora diei tertia cyclo Lunæ 8. Luna tertia, hoc eſt triduo poſt Nouilunium, poſtquam regnaſſet ſuperſtite adhuc patre Chindaſwintho eóque mortuo annos omnino 23. cum dimidio. Eodem die in locum eius ſuffectus fuit Vamba Regio Gothorum ſanguine ortus, qui cùm in villa Gerticos dicta in Salmanticenſi territorio coronam noluiſſet, inaugurationem diſtulit in 19. Septembris, Luna 21. quo die Toleti à Quirico Archiepiſcopo vnctus & coronatus eſt. De his vide Iulianum, Chronicon Gothorum à Pithœo præfixum Codici legum Weſigothorum, ſiue Appendicem Iſidori, aliósque Hiſpaniæ Hiſtoriæ ſcriptores, qui de rebellione Pauli Comitis, & expeditione Vambæ in Gothiam ſiue Septimaniam multa diſſerunt. Theodorus Cantuarienſis ſiue Dorouernenſis in Anglia Antiſtes hoc anno Egfridi Regis Nordhumbrorum tertio, die 24. Septembris, Indictione prima ineunte, Concilium celebrauit in loco qui dicitur Heruford, in quo inter cætera ſancitum fuit, vt à quinta decima Luna vſque ad 21. Paſcha pro more in Romana Eccleſia conſtituto celebraretur. Beda de his plura lib. 4. cap. 5. aliíque Angli. Saraceni ingenti claſſe vicinas C P. Thraciæ partes infeſtant ab Aprili menſe vſque ad Septembrem: Tum Cyzicum capiunt, ibíque hiemant, ex Theophane, Anaſtaſio, Miſcella, Cedreno, Zonara, *&c.* Callinicus architectus ab Heliopoli Syriæ ad Romanos profugus memoratur, qui marino igne adinuento,

Arabum

Arabum naues exuſſit, Romanúſque victoriæ ac triumphi cauſa extitit an. ſeq. θαλάσσιον ἢ ὑγρὸν πῦρ dicitur à Græcis.

Anno Chriſti DCLXXIII. *Clotarij III.* 12. *S. Vvandregiſilus Fontanellenſis Abbas expletis in regimine annis* 19. *menſ.* 4. *& diebus* 21. *ſancto fine deceſſit die* 22. *Iulij, vt docent eius Acta, in quibus Clotario tribuuntur non ſemel anni* 14. *Poſtquam exceſſit è vita Clodoueus Rex, inquit Auctor ille Anonymus, remanſit Baltildis Regina cum tribus filiis Clotario, Childerico ac Theodorico: è quibus Clotarius, qui maior natu erat, faſtigium adeptus eſt regni, rexítque populum Occidentalium Francorum annis* 14. *Deinde de iiſdem Regibus hæc ſubiicit: Clotarius qui maior natu erat, quartumdecimum regni agens annum conſortiis ſubitò caruit humanis. Childericus temerè ab inſidiatoribus interemptus, à præſenti ſublatus eſt vita. Tertius Theodericus matri ſuperſtes, regni ſuſcepit gubernacula. Hæc ille, ex quibus præter* 14. *Clotarij annos, quos primus chartarum communiui, prolatis in lucem ſubſcriptionibus, colligimus præterea S. Baltidem ſaltem vſque ad annum Chriſti* 680. *vitam protraxiſſe, quamuis annus ignoretur, quo die Ianuarij* 26. *ad ſuperos tranſiit. Porrò in Appendice ad Gregorij Turonenſis hiſtoriam cap.* 93. *à libellione omiſſam fuiſſe decuſſis notam, & pro XIV. ſubſtitutos IV. Clotarij annos docuimus in Tabulis noſtris Genealogicis priùs quam è ruderibus Tornacenſibus ſuum Childericum excitaret Chiffletius, & de præmittendis παρέργοις illis atque inutilibus obſeruatiunculis cogitaret.* Grimoaldus Langobardorum Rex, cùm regnaſſet annos 9. obiit: quo audito Pertharit Ariperti filius, qui è Francia tendebat in Angliam imploraturus auxilia, in Italiam reuerſus tertio poſt Grimoaldi obitum menſe recepit paternum regnum, & per annos 18. obtinuit. *Vamba ſuperatis Pyrenæorum montium clauſtris, Narbonem aliáſque Septimaniæ vrbes ſibi ſubiicit, & Nemauſum victor ingreditur Kalendis Septembribus, in quam ſe receperat Paulus Comes qui ſe Orientis Regem, Vambam verò Auſtri Principem vocitabat.* Plura ſubminiſtrabit Hiſtorica narratio de expeditione Vambæ à Iuliano Toletano ſcripta, & ab Andreâ Ducheſnio edita. Beda, hoc anno natus in Girwenſi territorio non longè à Tinæ fluminis oſtiis, refert Egfrido Cantuariorum Regi poſt 9. annos regni menſe Iulio mortuo ſucceſſiſſe Lotharium filium ad annos 12. Conſtantinus Imperator Saracenos ad Cyzicum vincit opera Callinici de quo an. ſuperiori. Quod ſi ante Synodum Hervfordenſem obiit, vt verba extrema ca-

pitis 5. libri 4. præ ſe ferunt, mortem illam Egfridi Regis anno ſuperiore collocare neceſſe eſt, nam vt monuimus in Chronico Technico, annus 673. pro 672. librariorum vitio, aut Bedæ ipſius ἀβλεψία obrepſit in fine Actorum illius Concilij.

Anno Chriſti DCLXXIV. *Clotarij III.* 13. Vamba pacatis Gothicæ prouinciæ turbis in Hiſpaniam victor redit & ad maiora ſuſcipienda ſe parat. obſidionem C P. quidam per ſeptem annos prorogant ex Cedreno, & Zonara. Verùm alij duos tantùm annos memorant. Vide Theophanem.

Anno Chriſti DCLXXV. *Clotarij III.* 14. *die 26. Iunij Drauſcius ſiue Drauſcio Auguſtæ Sueſſionum Epiſcopus monaſterio Beatæ Mariæ, quod ab Ebroino Maiore domus Franciæ* (quem miror bonæ memoriæ virum illuſtrem nominari) *Lentrude eius coniuge & filio vnico Bouone fundatum dicitur, priuilegium dedit inſtar Epiſtolæ: Dominis ſacris & Apoſtolicis fratribus Sueſſionenſis ciuitatis comprouincialibus, Nouiomi Epiſcopo, & Audeberto (ſiue Auberto Cameracenſi Præſule, qui hoc anno obiit die 13. Decembris ſuccedente ad plures annos ſancto Vindiciano ſiue Vindentiano qui cœnobium ſancti Vedaſti apud Atrebatas locupletauit, vt ſuo poſtea monebimus ordine) Clemente, Berthefredo & Audomaro*, &c. *quæ Melchior Reginaldus edidit poſt Compendium Sueſſionicæ Hiſtoriæ. Clotarium ſub huius anni exitum aut ſequentis exordium conſortiis caruiſſe humanis ſuadet Auctor vitæ ſancti Vvandregiſili ante biennium laudatus. A valida febre correptum obiiſſe in iuuentute teſtatur Appendix Gregoriana cap. 93. De Theodorico, & Childerico eius fratribus ac ſucceſſoribus dicemus anno ſequenti.* Concilia Toletanum XI. & Bracarenſe III. in Hiſpania celebrata ſunt æra 713. anno Vambæ Regis 4. qui Aſtures Vaſconéſque domuit, & Pampelonam inſtaurauit. Idem quoque Saracenorum 270. naues cepiſſe & cremaſſe perhibetur.

Anno Chriſti DCLXXVI. *Clotario III. Francorum Rege valida febre ſublato Neuſtraſij fratrem eius Theodericum ad regnum promouent, quo vix tres menſes, vel annum, vt alij, potitus fuit. Motâ enim aduerſus Ebroinum Maiorem domus Francicæ ſeditione, Theodericus crinibus capitis abſciſſis in Monaſterium S. Dionyſij detruſus eſt, & Ebroinus Francis pleriſque odioſus propter graue quod per eumdem ſub Clotario ſuſtinuerant ponderis iugum, vt loquitur Vrſinus in vita ſancti Leodegarij, pariter tonſus in Monaſterium Luxouienſe in Burgundia*

celeberrimum relegatus inuitus. His patratis Franci ad CHILDERICVM *in Auſtraſia iam à 12. annis regnantem Legationem mittunt,* Childericus. *eúmque cum Vulfoado Duce venientem ſuper cunctum regnum ſuſcipiunt, vt verbis vtar Appendicis Gregorianæ cap. 94. vnde mendum in caput præcedens irrepſiſſe obiter deprehendes, & expuncto Theodorico, legendum: Childericus verò frater in Auſtraſia à Francis in regnum eleuatus eſt apud Vulfoadum Ducem. Baldericus lib. 1. Chronici Cameracenſis cap. 27. retulit diploma donationis villæ Macerienſis in pago Laudunenſi ad Iſaram fluuium ſitæ factæ die 18. Martij anno 12. Hilderici glorioſi Regis ab Humberto Abbate Maricolenſi cœnobio ad Helpram Hanoniæ fluuium à viro illuſtri Choneberto in pago Fanomartenſi altero à Valentinianis lapide conſtructo. Childericus in Neuſtriæ regno confirmatus ſuper omnem domum ſuam S. Leodegarium Pontificem Auguſtodunenſem ſublimauit, & Maiorem domus in omnibus fecit, quo munere tribus pene annis ſeu potiùs quatuor feliciter functus eſt, numerandis ab huius anni fine, vt arbitror, ad ſolennes Paſchæ vigilias anni 680. cùm offenſionem Regis veritus ſponte in cœnobium Luxouienſe, in quo detinebatur Ebroinus, ſeceſſit. Per ea tempora par eſt credere euocatum ex tranſmarinis Hiberniæ Angliæque regionibus Dagobertum S. Sigeberti & Imnechildis filium, à Childerico cognato ſuo amplis Neuſtriæ ac Burgundiæ regnis aucto, exiguâ quadam regni parte ad Rhenum donatum fuiſſe. Quod ſanè probabilius eſt, quàm quod ab aliis dicitur Imnechildem per ea tempora Auſtraſius præfuiſſe, neque id expreſsè docet Vita S. Præiecti Aruernorum Epiſcopi. S. Theodardus Traiectenſis Ep. prope Spiram in Nemetibus occiſus eſt die 10 Septembris, cui ſucceſſit in Epiſcopatu S. Lambertus Childerico Regi præ omnibus Pontificibus, & Optimatibus dilectus. Huius anni decurſu cùm Clotario mortuo inter Theodericum & Childericum fratres dubia penderet victoria, ſcriptam exiſtimo S. Eligij vitam à S. Audoëno, & ad Chrodobertum Ep. Pariſienſem miſſam, ab eóque probatam, cùm quid de vtroque futurum eſſet ſolius Dei iudicio diffiniri dumtaxat poſſet. Certè ante annum 680. ſcriptam eſſe extra controuerſiam cenſeri debet.* Adeodatus Papa obiit die 26. Iunij poſt ſedem annorum 5. menſium 2. & dierum 17. Succeſſit Donus, ſiue Domnio, à Kal. Nouembribus ad annum vnum, menſes 5. & dies 10. Hoc anno Conſtantini Imp 9. Mardaïtæ Libanum ingreſſi, occupatíſque eius cacuminibus, ac receptis captiuis ſeruis, indigeníſque quamplurimis, Muhauiam, Saracenóſque ad pacem in 30. annos firmandam impulerunt, ea lege, vt quotan-

nis auri librarum tria millia, inquit Miſcellæ auctor, viros captiuos 50. & equos nobiles 50. præberent Romanæ Reipublicæ. His per orbem vniuerſum breui vulgatis, Chaganus Auarum Dux, Exarchi, Caſtaldi, Principéſque nationum ad Occidentem ſitarum Legatis ad Imp. miſſis pacificam ab eo circa ſe dilectionem petierunt.

Anno Chriſti DCLXXVII. *Childerici II. Francorum Monarchiæ primo, Regni Auſtraſiorum* 13. *Sancto Leodegario regnum adminiſtrante florebant omnia in Galliis, nondum corruptis Regis moribus, quem Appendix Gregoriana cap.* 95. *hiſce depingit coloribus: Leuis erat, atque citatus nimis gentem Francorum in ſeditionem mittens, & in ſcandalum ac deriſum*, &c. Edelredus Merciorum Rex multas in Cantio vrbes ac monaſteria deſtruit, referente Beda capite 12. lib. 4. Ingenti terræ motu per Meſopotamiam vicináſque Orientis regiones exorto corruit aſcenſus trullúſque Eccleſiæ Edeſſenæ, quem Chriſtianorum ſtudio conſtruxit Muhauias. Hunc Miſcella vocat Protoſymbolum Saracenorum, qui fuit Prætor annis 20. & Amiræ functus officio annis 24.

Anno Chriſti DCLXXVIII. *Childerici II. regni* 14. *Monarchiæ* 2. *S. Niuardus Remenſis Archiep. obiit Kal. Sept. ſuccedente S. Reolo.* Donus Papa defunctus eſt die 11. Aprilis, poſtquam ſediſſet anno 1. menſ. 5. & diebus 10. Succeſſoris Agathonis Pontificatus incipit à die 16. Iunij. Quæ dicitur ſcripta à Conſtantino Pogonato ad Donum Papam epiſtola Indictione 6. data creditur die 12. Aprilis non Auguſti. Hoc quoque anno Ecgfridi Regis Nordanhumbrorum 8. Cometes tribus menſibus apparuit excelſam radiantis flammæ quaſi columnam præferens, ortáque inter Regem illum, & Wilfridum Antiſtitem diſſenſione pulſus eſt à ſede ſui Epiſcopatus, duóque in eius locum ſubſtituti, vnus qui Deirorum in Lindiſfarnenſi, alter qui Berniciorum in Eboracenſi vrbe prouinciam gubernaret, vt fusè Beda citatus, qui cap. 13. ſubdit pulſum Wilfridum multa diu loca peruagatum Romam adiiſſe, & in Britanniam poſtliminio reuerſum, & ſi ob inimicitias memorati Regis in parochiam ſuam recipi non potuerit, non tamen ab euangelizandi miniſterio potuiſſe cohiberi. Verùm hæc poſtea: interim ex Anglia clam ſe ſubducens Wilfridus nauigauit in Friſiam, vt ex verbis Willelmi Malmeſburienſis lib. 3. de Geſtis Pontificum Anglorum comper-

tum est, quæ ideo in medium perfero, vt ostendam pugnantia loqui Scriptorem illum, neque propter eius auctoritatem viris eruditis in posteriore Diatriba à communi & paullo ante probata sententia *de cæde Childerici & initio Theoderici in annum 680. conferendis* recedendum fuisse: At Wilfridus, inquit ille, cuius prudentiam hostilium consiliorum machinæ non laterent, leui fauonio prouectus in altum proras in Eurum obuertit, vt Frisiam nauigaret, exceptúsque à Rege & populo honorificè ibidem hiemem, quæ imminebat, exegit. Commercium miserandum, vt inter barbaros tutiùs, quàm inter suos viueret eiectus à patria, dilectus in Frisia. Continuò igitur ad prædicationem eius Adalgisus Rex gentilem tumorem inflexus, faciliorem in cæteros prædicationis viam aperuit. Hunc ad necem vel expulsionem Viri Dei *Ebroinus* epistolis cùm tentasset aurum immensum pollicitus, irritus fuit. Chartam enim audiente Wilfrido & epulante in triclinio lectam Adalgisus proiecit in ignem, dicens: Sic ardeat, qui pactum cum amico initum pro auri cupiditate dissoluit. Hæc ille, quæ si vera sunt, falsa oportet esse 1. *S. Leodegarium sub solennes Paschæ ferias anni 679. ab aula recessisse.* 2. *Childericum illius anni ætate fuisse à Bodilone occisum.* 3. *Clodoueum creditum Clotarij III. filium ab Ebroino assumptum in Regem Austrasiorum.* 4. *Theodericum iam recepto regno sub finem illius anni Ebroinum in pristinum Maiorisdomus honorem euexisse, cuius iussu S. Leodegarius euulsis oculis seruatus sit apud Vvaymerum.* Quod enim hoc anno Egfridi 8. pulsus sit Wilfridus Beda disertè asserit, nec probabile est annum integrum, vt ex Anglia in Frisiam traiiceret, insumpsisse. Atque hæc obiter dicta sunto. Muhauia Saracenorum Duce mortuo die 6. Artemisij mensis Indictione 6. successit Izid vel Gizid filius eius. Bulgari, de quibus multa Theophanes, Anastasius, Miscella, aliíque, Thraciam vastant, & Romanum vincunt exercitum.

Anno Christi DCLXXIX. *Childerici II. regni 15. Monarchiæ 3. S. Vvilfridus, vbi primùm se verna temperies aperuit in flores, vt cum Vvillelmo Malmesburiensi loquar, itinere reincepto ad Dagobertum Regem Transrhenanorum venit. Is verò non immemor, quod eum quondam factione Magnatum pulsum, & de Hibernia ad se venientem hospitio receperit, & equis sociísque adiutum patriæ remiserit, benignè habuit, multísque precibus fatigauit, vt prouinciam remanen-*

tiâ suâ dignaretur, Episcopatum Straʋʋburgensem accipiens. At cùm rogantem ad suum de Româ reditum distulisset, cum Deodato Episcopo ire laxauit. Sociali ergo gratia fretus per Campaniam iter faciens, inde Romam ingressurus, ad Bertharium Ducem prouinciæ diuertit. Tandem ergo aliquando Romam veniens attonitam sui expectatione vrbem offendit. quod extremo tantùm anno factum arbitror. Childericus sancto Berchario Abbati Deruensis Monasterij priuilegium concessit. 4. Nonas Iulij anno 3. regni eius in Compendio palatio, éique subscripserunt Reolus, Leodegarius, & Attelanus cum Vulfoaldo Maiore domus, vt pluribus leges pag. 80. Promptuarij Antiquitatum Trecassinarum Nicolai Camusatij, qui paullo post subiicit epistolam siue instrumentum eiusdem S. Bercharij, quo concedit Cœnobio suo Deruensi plures villas vltra Ligerim de propria hæreditate sua, datum Remis ciuitate sub die 3. Kal. Sept. præsente Domno & glorioso Childerico Rege anno 4. regni eius cum subscriptionibus Nuardi Archiep. Remensis, Leodegarij Ep. Augustidunensis, & Mummoleni Ep. Noviomensis. Verùm postremam hanc chartam referendam putant ad priora tempora, & ad Austrasiæ regnum, non verò ad Monarchiam Childerici, quam modò illustratum imus. Sol defecit die 13. Iulij feria 4. labente Indictione 7. Anno regni Egfridi nono, inquit Beda, conserto graui prœlio inter ipsum & Edilredum Regem Merciorum iuxta fluuium Treanta occisus est Ælbuinus siue Alboinus Egfridi Regis frater iuuenis circiter 18. annorum vtrique prouinciæ multum amabilis. Ne verò latiùs serperet incendium, Theodori Archiep. Doroʋernensis interuentu pax inter vtrumque Regem firmata est. Plura de iis Willelmus Malmesburiensis, cuius verba quædam à Lectoribus expendi cupio: Hæc derisio, inquit Wilfridus, in magnum vobis mœrorem commutabitur futuro anno hoc eodem die: Ethelredus post abscessum Wilfridi non multis diebus guerram inceptans fudit Egfridi fratrem Edwinum: contigítque vt anno reuoluto eodem die quo Wilfridus præiudicium in Eboraco passus fuerat, cadauer regij adolescentis illatum vrbi longum indiceret iustitium.

Anno Christi DCLXXX. *Childerici II. Monarchiæ 4. sanctus Leodegarius Augustodunensis Episcopus, & Maiordomus Franciæ circa Paschales ferias Augustoduno ductus est Luxouium, sub perpetuo exilio recludendus, vt ex Vrsino alióque Anonymo vitæ eius scriptore constat. Childericus verò prauorum illectus consilio, & in varia prolapsus scelera, Francum vnum nobilem, nomine Bodilonem, ad stipitem*

alligatum cædi contra legem præcepit, animósque Francorum Ingolberti præsertim & Amalberti; aliorúmque procerum à se abalienauit: atque à memorato Bodilone in silua Lauchonia cum Bilichilde Regina prægnante, & filia interfectus est, & à S. Audoëno Rothomagi in Ecclesiâ S. Petri sepultus. Nam filius eius Chilpericus, cognomento Daniel, paricidarum gladiis subductus, & in Clericum postea attonsus, elapsis à cæde patris annis 36. à Raginfredo ad regni Francici culmen euectus est post Dagoberti II. obitum, vt ex diplomate Virdunensi à nobis in Miscellaneis edito nunc omnibus compertum est atque exploratum. Vulfoaldus Dux Rege trucidato per fugam lapsus euasit, & in Austriam reuersus est. Franci verò, inquit Auctor quisquis est Appendicis Gregorianæ extremo cap. 95. Leudesium filium Erchinoaldi nobilem in Maioris domus dignitatem statuunt per consilium S. Leodegarij, qui auditâ cæde Principis egressus è cœnobio Luxouiensi Augustodunum venit, Theoderico iam Chilperici fratre è monasterio S. Dionysij educto, & ad solium regni sibi debitum euecto. Ebroinus eodem tempore Luxouio pariter elapsus abiecto Clericatu cum quibusdam Austrasiis conspirans paruulum quemdam Clodoueum dictum quem Clotarij III. filium confinxerat, in regnum leuat, sparsóque de morte Theodorici Regis rumore multas prouincias populatur. Plurimis inde sceleribus perpetratis in Francorum, (Neustrasios intelligo, Theodoricus enim tum in Nouigento villa residisse dicitur) fines per vim inuasit, immanissimámque exercens tyrannidem, de Rege, quem falsò fecerat, declinat ingenium, & vt in THEODERICI *Francorum Monarchæ palatium rediret, quorumdam factione suscipitur, iterúmque Palatij Maiordomus efficitur in pristinum gradum restitutus: quod exeunte tantùm anno factum fuisse arbitror. Interim S. Leodegarius in ciuitate sua residens à Vvaymero Duce Campaniæ aliísque ab Ebroino missis obsessus, cùm nollet Clodoueo, quem falsò Regem fecerant, promittere fidem, iisque se sponte obtulisset, oculis euulsis excæcatus est, vt narrat Anonymus in vitâ ad Ermenarium scripta, & in ædibus eiusdem Vvaymeri detentus. Qui fuerint, Desideratus, cognomine Dido, Cabillonensis Ep. & Bobo anathemate de Ep. Valentinæ vrbis deiectus, Adalricus Dux, quem volebant fieri Patricium Prouinciæ, indidem disces, Amice Lector rerum nostrarum studiose.* Theodericus.

Agatho Papa Romæ Synodum collegit 150. Episcoporum in basilica Saluatoris, quæ Constantiniana dicitur, in quâ libello supplici seu petitione Wilfridi lecta probatáque innocens iudicatus, cum aliis Patribus residere iussus est, & sententiam dicere contra illos, qui vnam operationem prædicant in dua-

bus naturis D. N. I. C. inquit Willelmus Malmesburiensis: ex quo hæc etiam excerpenda putaui, esto in annum seq. quidam fortè commodiùs censeant esse reiicienda. Ethelredus triumpho functus, integritate regni receptâ, Winfridum Episcopum, qui Ceddæ apud Licefeld successerat, quòd Egfridi partium fuerat, expulit. *Is Gallico littori fortè appulsus, in Theodoricum Regem & Ebroinum Ducem Francorum incidit: quibus à Britanniâ mandatum erat, vt Vilfridum Ep. caperent, & spoliarent. Quem illi errore nominis acti sociis cociss, & rebus ablatis abire sinerunt. Luit ergo ille ambiguitatem vocabuli, alienúmque periculum suo redimens vel nudus profugit à latronibus. At Vilfridus*, &c. quæ cùm vno minimùm anno præcesserint minùs commodè subiecit, aliàs sibi ac Bedæ pluribúsque coætaneis scriptoribus aduersaturus. Sed parco pleniùs ista excutere, vereor enim, vt tricæ istæ æquè omnibus arrideant. Theodorus Archiep. Britanniæ insulæ & ciuitatis Dorouernis eodem anno Egfridi Regis Humbronensium 10. sub die 15. Kal. Octob. Indict. 8. Edilredi Regis Merciorum 6. Aldwlfi Regis Estranglorum 17. Lodtharij Regis Cantuariorum 7. in loco Hedtfeld dicto cum cæteris Episcopis Britanniæ concilium celebrauit, & damnatis hæresibus Fidem rectam & orthodoxam exposuit. Acta refert Beda cap. 17. lib. 4. & cap. seq. addit huic interfuisse Ioannem Archicantorem Ecclesiæ S. Petri & Abbatem monasterij B. Martini, qui nuper venerat à Roma per iussionem Papæ Agathonis duce Abbate Biscopio, cognomine Benedicto, eundémque, cùm Romam rediret, paullò post in Gallia obiisse, & Turonos delatum, honorificè fuisse sepultum. Oecumenica Synodus VI. hoc anno CP. cœpta est celebrari aduersus Monotheletas, anno 27. Constantini Pogonati, & 22. Heraclij & Tiberij fratrum eius, & post Consulatum Constantini (siue regni eius) anno 13. cuius prima actio die 7. Nouembris, II. 10. Nou. III. 13. Nou. IV. 15. Nou. in quâ refertur epistola à Synodo Romanâ ad Augg. Constantinum Heraclium & Tiberium missa, V. 7. Decembris VI. & consequentes duobus proximis annis peractæ sunt. Legati Papæ ad Concilium missi appulerunt CP. die Nou. 10. & die 18. Dominicâ in processione aduocati sunt ad Blachernas, & die 22. eiusdem mensis, in basilicâ, quæ Trullus appellatur, intra palatium recepti sunt; vt docet Anastasius initio

Vitæ

Vitæ Agathonis. Vamba clariſſimus Weſigothorum in Hiſpania Rex, ex graui morbo decumbens, iniecta ab Epiſcopo pœnitentiæ veſte, poſtquam ad ſe rediit, & valetudinem recuperauit, regno planè mundóque ſe abdicauit die 14 Octobris, feria primâ Luna 15. & in monaſterium ſeceſſit, cùm regnaſſet ann. 8. menſem vnum & dies 14. Die ſequente feria 2. Eruigius, vt habetur in Chronico, quod Pithœus edidit, præfixítque Codici Legum Weſigothorum, regni Sceptra ſuſcepit Idibus Octobris Luna 16. æra 718. dilata vnctionis ſolennitate vſque in ſuperuenientem diem Dominicum Luna 22. ſiue 21. eiuſdem menſis. Videndus quoque Iſidorus Pacenſis, vt Vaſæum, aliósque recentiores omittam.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCLXXXI. *Theoderici Monarchæ Francorum 1. iam à ſuperiori anno inchoato, conuenire arbitror, quæ narrantur in Appendice Gregoriana cap. 96. Ebroinus in Franciam regreditur, vſque Iſaram fluuium accedit, cuſtodes dormientes ad ſanctam Maxentiam interficit, atque Iſaram fluuium tranſiens, quos ibi inuenit de inſidiatoribus ſuis occidit. Leudeſius Maiordomus vna cum theſauris Regiis per fugam dilapſus euaſit, atque à Baciuo ſiue Baſio villa euadens confugit. Adueniens Ebroinus theſauros quos ibi reperit apprehendit. Inde egreſſus Criſcecum ſiue Creſciacum villam in Pontiuo veniens Leudeſium periurio deceptum occidit, &c. quæ ad conſequentes annos ſpectant. S. Lambertus de ſede ſua Traiectenſi ab æmulis depoſitus perrexit ad Stabulenſe monaſterium: ſubſtitutus in eius locum Faramundus poſt 7. annos de cathedra Pontificali repulſus eſt, reuocato ſancto Lamberto iuſſu Pippini Maioriſdomus, vt dicemus anno 687. Sanctus Leodegarius ab aduerſariis in quoddam cœnobium perductus, ibi biennium ferè latuit, & magnum reliquit patientiæ & humilitatis exemplum, vt loquitur Vrſinus in eius vita Anſoaldo Pictauienſi Ep. dicatâ.* Concilij VI. Generalis ſeu CP. tertij Actio VI. fuit die 12. Februarij. VII. & aliæ deinceps, & in XIII. ſuppoſititiæ Mennæ Patriarchæ CP. ad Vigilium Papam literæ falſitatis conuictæ. Neque verò abſoluta fuit plenéque perfecta Synodus ante diem 16. Septembris anni ſequentis. Interim Imperator Conſtantinus Heraclium ac Tiberium fratres exauthorat, ſolúſque cum filio Iuſtiniano imperare incipit. Concilium Toletanum XII. præſide Iuliano Toletano Archiep. à die 9. Ianuarij

ad 25. celebratum fuit æra 719. anno primo gloriæ noſtræ, inquit Eruigius Rex. Vide Concilia Hiſpaniæ, Iſidorum Pacenſem, alioſque.

Anno Chriſti DCLXXXII. *Theodorici I. ſiue, vt alij vocant, III. Francorum Regis 2. die 17. Aprilis S. Amandus Teſtamentum ſeu codicillum edidit, quo mandat corpus ſuum in Elnonenſi monaſterio, cuius Templum paullò ante conſecrarat, ſepeliri, nec inde auehi. Subſcripſerunt Epp. Reolus Remenſis, Mummolenus Nouiomenſis, Vindicianus Cameracenſis, Bertinus Abbas Sithiuenſis, Aldebertus Abbas S. Bauonis, Ioannes Abbas Blandinienſis, & Baudemundus tunc Notarius, pòſt Abbas tertius Blandinienſis, qui vitam S. Amandi ſcripſit. Conſule Faſtos Belgicos Miræi ad diem 6. Februarij.* Agatho Papa obiit die 10. Ianuarij poſt ſedem annorum trium, menſium 6. & dierum 25. Vacauit Romana ſedes anno vno & menſibus ſeptem, non tamen ex diſſenſionibus, aut ambitione, vt calumniator Pontificum Romanorum deblaterat Caluiſius. Schiwardus nobilis poſſeſſiunculas quaſdam contulit S. Condedo Abbati die 10. Octobris inchoato iam anno tertio Theoderici Regis.

Anno Chriſti DCLXXXIII. *Theoderici 3 S. Leodegarius ex monaſterio, in quo tenebatur abſconditus, in Regis præſentiam adductus eſt cum fratre Gairino, quem ad palum alligatum lapidibus obrui iuſſit Ebroinus, S. autem Leodegarium linguâ & labiis inciſis deformem Vvaningo cuſtodiendum commiſit, qui eum ad ſuum perduxit cœnobium, quod vocatur Fiſcannum, vbi erat congregatio Sanctimonialium ac Virginum, quibus præerat Childomarcha famula Chriſti: ibíque multis diebus ſtetit ſub cuſtodiâ, diu noctúque in Dei laudibus peruigil, & vix parumper ab Eccleſia recedens.* Eclipſis Lunæ Ind. 11. Aprilis exeunte 16. poſt Cœnam Domini contigit temporibus S. Leonis II. Papæ, inquit Anaſtaſius, quia is electus tum erat, & poſt confirmationem à Conſtantino Pogonato Imp. conſecratus die 15. menſis Auguſti. Concilium Toletanum XIII. celebratum fuit die 4. Nouembris æra 721. anno Eruigij Regis 4. inchoato ab aliquot diebus, præſide Iuliano Toletano.

Anno Chriſti DCLXXXIV. *Theoderici 4. mortuus eſt ſanctus Amandus die 6. Februarij ſabbato ante Dominicam ſeptuageſimæ (Paſcha die 10. Aprilis) & Elnone, vt petierat, tumulatus, quæ ab eo dicitur Amandopolis. S. Geneſio Lugdunenſi Archiepiſcopo Kal. No-*

uembris defuncto succeſſit S. Lambertus Abbas Fontanellenſis, cui ſuffectum volunt in illius Abbatiæ regimine S. Anſbertum, S. Audoëni in Archiep. Rotom. ſucceſſorem, cuius vita ab Aigrado ſcripta, ſed à recentioribus corrupta multis impoſuit epocham Concilij Rothomagenſis in anno Chriſti 682. defigentibus, vt aliàs quoque ſcripſimus in Synopſi Hiſtoricâ Conciliorum Galliæ ante decennium vulgatâ: quam cum cæteris opuſculis ante hocce Chronicon Hiſtoricum excuſis, ad illius rationes, tanquam ad certiſſimam Chronologiæ noſtræ amuſſim, reuocari velim, iis obliteratis, quæ ab ea regula deflectunt. Neque enim is ſum, qui viuendo plura non diſcam in dies ſingulos, aut qui detectis à me aliíſve hallucinationibus obſtinatiùs patrocinari cupiam. S. Leo II. Papa obiit die 28. Iunij cùm ſediſſet menſes tantùm 10. & dies 14. Succeſſit Benedictus II. Romanus Pontifex die 20. Auguſti. Eodem anno æra 722. celebratum eſt Concilium Toletanum XIV. die 20. Nouembris Dominica anno Eruigij Regis 5. vbi fit mentio Epiſtolæ Summi Pontificis Leonis II. cum geſtis Concilij Generalis VI. miſſæ hieme præcedenti, vt ex Canone 2. & 3. ad firmandos illorum temporum epilogiſmos obſeruauimus in Chronico Technico. Ecgfridus Rex Nordanhumbrorum, ait Beda lib. 4. cap. 26. miſſo in Hiberniam cum exercitu Duce Berto vaſtauit miſerè gentem innoxiam, & nationi Anglorum ſemper amiciſſimam, ita vt nec Eccleſiis ac monaſteriis manus parceret hoſtilis.

Anno Chriſti DCLXXXV. *Theoderici Regis Francorum 5. Synodum in quadam Regiâ villâ conuocatam memorant Auctores vitæ S. Leodegarij, in qua Epiſcopi aliquot gradu dilecti, atque inter cæteros Dido Cabilonenſis Antiſtes caluariam accepit in capite expulſus à ſancta congregatione. Ipſe quoque S. Leodegarius accerſitus eſt è Fiſcanenſi cœnobio, non ad Concilium confirmandum, ſed ſeorſum Rex & Ebroinus cum eodem colluctationem feciſſe dicuntur, in quâ eis multa prædixit futura, quæ euenisſe manifeſtum eſt. Tandem capitali ſententia damnatus, & Chrodoberto Comiti Palatij traditus ad necem die 2. Octobris in territorio Atrebatenſi, loco, qui dicitur Silua S. Leodegarij, abſciſſo capite martyrium compleuit, & ſepultus eſt in villa Sarcingo nomine, ſeu Sercinio, in confinio Epiſcopatuum Cameracenſis, & Morinenſis. Plura Vrſinus & alter Anonymus, Baldricus, Sigebertus, aliíque paſſim Hiſtoriæ Francicæ ſcriptores. Addunt verò in exigui illius Oratorij ſepulcro annis duobus & dimidio, vel per totum triennium humatum fuiſſe. Extat apud me beneficio V. C. Antonij Vyonij epiſtola, quam poſt*

obitum germani sui Gayreni amissis oculis labiisque incisis S. Leodegarius misit ad Sigradam genitricem suam Suessionibus in cœnobio puellarum sub Itheria Abbatissa commorantem, quam suo, si Deus dederit, tempore vulgabimus. S. Benedictus II. Papa obiit die 7. Maij, postquàm sedisset menses 8. & dies 17. Succedit Ioannes V. creatus die 22. aut 23. Iulij. Ecgfridus Nordhumbrorum Rex, cùm temerè exercitum ad vastandam Pictorum prouinciam duxisset, Cuthberto nuper ordinato Episcopo, aliisque prohibentibus, in angustias inaccessorum montium cum maxima parte copiarum, quas secum adduxerat, extinctus est anno ætatis 40. regni 15. die 13. Kal. Iuniarum. Ex quo tempore spes cæpit, & virtus regni Anglorum fluere, ac retro sublapsa referri. Nam & Picti terram possessionis suæ, quam tenuerunt Angli, & Scoti, qui erant in Britannia, & Britonum quoque pars nonnulla libertatem receperunt, quam & hactenus habent per annos circiter 46. teste Beda, qui hæc scribebat anno 731. Succedit Altfridus vir in scripturis doctissimus, qui frater Ecgfridi & filius Oswini Regis esse dicebatur. Eodem anno obiit die 6. Februarij vulneratus in pugna Australium Saxonum Lotharius Cantuariorum Rex, cùm post Egbertum fratrem, qui nouem annis regnauerat, ipse 12. annis regnauisset. Successit Edric filius Egberti, regnauítque per vnum annum cum dimidio. Constantinus Imperator Orientis, cognomento Pogonatus, requieuit Septembri circiter mense, inchoata iam indictione 14. cùm imperasset annos 17. & duos ferè menses. Successit Iustinianus II. eius filius, qui à præcisis postea naribus vulgò dicitur Rhinotmetus, adolescens 16. annos natus.

Anno Christi DCLXXXVI. *Theodorici 6. die 5. Martij in Pontigonensi Palatio iudicatum quoddam seu præceptum refert Dubletius in Historia monasterij Sandionysiani, de villa quadam sita super Isaram in pago Cameliacensi, quod Gairebaldus ad vicem Einardi recognouit. Vnde colligo saltem non vniuersum Austrasiæ regnum paruisse Dagoberto. Fateor quidem propter odium, quo Franci ardebant aduersus Ebroinum crudelissimum tyrannum, Dagobertum, qui in Alsatia & aliquot transrhenanis prouinciis dominabatur, à quibusdam Austrasiis accersitum, bellum cum Theoderico Rege atque Ebroino gessisse, eóque refero verba, quæ habentur in vita S. Salabergæ Laudunensis Abbatissæ, & priuilegium illud quod pro Stabulensibus concessum perhibetur. Ve-*

rùm nihil eſt, quo ſtatui certò poſſit, eum vniuerſo Auſtriæ regno potitum fuiſſe, eiúſque Maiorem domus fuiſſe Vulfoaldum Ducem: quinimmo exiſtimo ſub nomine Theoderici, eiúſque auſpiciis, à Vulfoaldo Duce, quemadmodum poſtea à Pipino Herſtallio adminiſtratam fuiſſe alteram illam regni Francici partem. Subſcriptio diplomatis Dagoberti Regis pro Horreenſi monaſterio à S. Irmina Treueris fundato, quod recenſet Henſchenius pag. 111. *Dagobertinæ Diatribæ:* Actum anno 646. Incarn. Dominicæ Indict. 4. ſub data 7. Kal. Sept. per manum Grimoaldi Maioriſdomus Regiæ anno regni Domini Dagoberti ſecundi Treueris in Dei nomine feliciter. Amen. Signum Dagoberti Regis, *plurimis ſcatet mendis, quæ prodant ab imperito conſarcinatore fuiſſe donationi ſubiectam: imò & Nanthildis nomen ipſi donationi inſertum, totum illud diploma meritò ſuſpectum reddit. neque in eo quicquam apparet, quo ad annum potius ſeptimum regni Dagoberti, quàm ad alium quemlibet poſſit reuocari præter ſecundum. At de his ſatis, quibus offuſam adhuc denſam caliginem video probatis ſinceritoribus Actis, cùm Deus voluerit, diſcutiendam ab iis, quibus arcana quælibet ab oculis vulgi remota atque imperuia ſcrutari, & in apertum proferre licet.* Ioannes V. Papa obiit die 2. Auguſti poſt ſedem vnius anni & dierum vndecim. Petrus & Theodorus, alter à Clero, alter ab Exarcho electi ſunt: ſed cùm neutra pars cedere vellet, communi conſenſu ſuffectus eſt die 20. Octobris ſenex Conon, patria Thrax, educatus in Sicilia, & Romæ per gradus omnes ad Sacerdotium proiectus. Theodorus Calliopas Exarchus, cùm annis ferè 36. præfuiſſet Italiæ, ſucceſſorem nactus eſt alterum Theodorum ad aliquot dumtaxat menſes. S. Kilianus Herbipolim in Franconia Orientali, cum ſociis quibuſdam, Chriſtianæ fidei præceptis hoc tempore excoluit. Iulianus Arch. Toletanus ſcribebat hoc anno libros aduerſus Iudæos, qui apud Chriſtianos verum ab orbe condito numerum annorum haberi pernegabant, vt ex his verbis liquet in calce lib. 3. Reſiduus annorum numerus à tempore Natiuitatis Chriſti vſque in præſens in promptu eſt vnicuique, & ſcire, ſi volet, & ſupputare, ſi placet, aſſumptis videlicet annis ſecundùm Eram ab ipſa Domini Incarnatione. Era enim inuenta eſt ante 38. annos quàm Chriſtus naſceretur. Nunc autem acclamatur eſſe Era 724. Detractis igitur 38. annis ex quo Era inuenta eſt, vſque ad Natiuitatem Chriſti reſidui ſunt 686. anni. Hæc ille.

De pace à Iustiniano Imperatore in perniciem Christianorum inita cum Abdelmelech siue Habdimelich Principe Saracenorum detracto de Libani munitionibus validissimis Mardaitarum agmine fusè conqueruntur Theophanes, Miscella, alij. Idem Imperator Leontio Prætore misso in Armeniam, hanc Romanis subiicit, dein Iberiam, Albaniam, Hyrcaniam, & Mediam. Habdimelus verò adiit Circesium & Eupolim subiugauit.

Anno Christi DCLXXXVII. *Theoderici 7. sub die 8. Idus Maij datum dicitur à Vindiciano Cameracensi Episcopo priuilegium Ecclesiæ B. Mariæ Atrebatensis iussu Regis & rogatu Ioannis summi Pontificis, qui cum Marino vicario sedis Apostolicæ, Austregisilo Ep. Leodegario ab impio iudice Ebroino cathedrâ Augustidunensi depositio, aliisque subscribit Indictione 2. apud Baldricum in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. 25. Verùm in Miscellaneis curiosis post Elogia Regum & Cancellariorum Historiam editis, hæc & similia multa diplomata à nugiuendulis conficta vel corrupta explosimus. Quis enim ferat chartæ quâ priuilegium immunitatis Abbatiæ S. Vedasti Atrebatensis conceditur inserta esse Austregisili, & Eligij, aliorúmque Episcoporum iam defunctorum, aut depositorum nomina, Vvandregisili Abbatis, &c. cum hac clausula: Ego Stupilio Abbas Monasterij S. Quintini iussu Domini Theoderici Regis, & rogatu Vindicienni Ep. hoc priuilegium scripsi & subscripsi. Data Kal. Maij anno 7. Theoderici Regis Indictione 2. Actum in Compendio palatio. De subscriptionibus nihil est quod addam iis quæ iampridem dixi pag. 63. Elogiorum & pag. 433. Miscellaneorum, vbi doctissimorum virorum & maximi iudicij Criticorum Sirmondi atque Petauij, qui diplomata illa non satis morosè expenderant, nominibus parcitum volui. In Austriâ, inquit Auctor Appendicis Gregorianæ cap. 97. mortuo Vvlfoaldo Duce Martinus Dux & Pippinus filius Ansegisili Franci quondam nobilis dominabantur. Ii commisso aduersus Theodericum Regem, eiúsque Maiorem domus Ebroinum prælio, in loco, cui vocabulum erat Locoficus, ingenti vtriusque partis strage superati in fugam lapsi sunt, Ebroino persequente, & maximam regionis illius partem vastante. Martinus Laudunum Clauatum ingressus intra muros illius vrbis se muniit, verùm deceptus falsis sacramentis Ægilberti, quem cum Regulo siue Reolo Remensis vrbis Episcopo, miserat Ebroinus, fide data super vacuas capsas egressus ad Ertrecum villam cum omnibus sociis interfectus est. Qui verò sunt defuncti vel decedentes Reges, quóve modo Ebruinus cum Martino & Pi-*

pino iungatur aduersus Theodericum, fateor mihi meras obuersari tenebras, non secus ac de Dagoberto Transrhenanorum, siue vt alij volunt Austrasiorum Rege, quem Grimoaldus attonsum miserat in Scotiam, à S. Audoëno procul à regno patriisque finibus Rotomagi in Ecclesia sancti Petri sepulto. Iis maiorem forte lucem fœnerabunt anni consequentes. Interim recens inuentis detectisque studio doctissimorum virorum vtendum suadeo, & speranda in dies meliora. Neque enim periit aut effœta est ingenij humani solertia, vt nihil noui parere possit. Quid alij hactenus, quid nos quoque præstiterimus, quæ supremi Numinis benignitas est atque clementia, omnibus perspectum esse arbitror. A mense Iunio huius anni incipiunt anni 27. cum dimidio, qui principatui Pippini Heristallensis vsque ad diem Decembris anni 614. quo defunctus est tribui solent. An verò tunc Ansigisus Pippini pater à Gondoino, quem ipse inuentum & nutritum de sacro fonte susceperat, & ad maximos militiæ honores prouexerat, aut anno 675. vt tradit Sigebertus, vel, aliquot ante annis occisus sit, quis certò referat? Annales Metenses in S. Arnulfi celeberrimo cœnobio scripti, quorum codex MS. in nostra seruatur Bibliotheca, quique non ab hoc dumtaxat anno, sed ab ipsis Francici regni exordiis incipiunt, Pippinum post plurima prælia, magnósque triumphos à Deo sibi concessos glorioso genitori feliciter successisse, & Orientalium Francorum suscepisse principatum docent. Reliqua vide pag. 262. Tomi III. Historicorum Franciæ à Ducheſniis editorum. S. Lambertus electo Faramundo suæ sedi Traiectensi restitutus est opera eiusdem Pippini Principis, vt tradunt vitæ illius scriptores. Conone Romano Pontifice mortuo die 13. Octobris cùm præfuisset Ecclesiæ mensibus 11. & diebus 23. Sergius I. oriundus ex Syria, sed in Sicilia natus, Pontificatum adiit die 26. Decembris, electis Theodoro Archipresbytero & Paschale Archidiacono, qui in Schismate fuerant electi. Ioannes Platon mortuo Theodoro iam tum creatus fuerat Exarchus, & à Sergio Pontifice promissas sibi à Paschale centum auri libras exegit. Eruigio exeunte hoc anno vel initio sequentis mortuo, Wesigothorum regnum obtinuit Egica, siue Egicanes gener eius, qui solus regnauit 10. annis & cum filio Vitiza quinque, in vniuersum 15. Anno secundo Imperij Iustiniani, verba sunt Miscellæ, facta est fames in Syria: quâ de re multi Romaniam sunt ingressi. Et veniens Imperator in Armeniam illic suscepit Mardaïtas, qui in Libano fuerant, æneo muro destructo. Destruxit autem & pacem cum Bulgaribus fixam, perturbans ty-

pos, qui à patre facti sunt; & iubet transire in Thracem equestres militias volens tam Bulgares, quàm Sclauinos deprædari.

Anno Christi DCLXXXVIII. *Theodorici* 8. *Ebroinum pro more crudeliter Francos opprimentem Ermenfridus Francus, quem spoliare decreuerat, collecta sociorum manu nocte super eum irruens interfecit, & ad Pippinum Ducem in Austriam cum muneribus suis peruenit. Quo facto Franci Vvaradonem illustrem virum loco eius in honorem Maioris domus constituerunt: qui cum Pippino pacem fecit. Gislemarus Vvaradonis filius, vir industrius, qui vice patris curam Palatij gerebat, sagacitate ac fraudibus patrem supplantare conatus, eóque nomine à S. Audoëno sæpius increpatus, à Deo percussus iniquissimum fudit spiritum. Illóque mortuo pater eius Vvarado pristinum honorem Maioris domus recepit: Appendix Greg. cap. 98. vbi etiam dicitur Gislemarum prædictum cum Pippino bella plurima gessisse, & ad castrum Manucum, siue literis transpositis Namucum, contra hostem, hoc est exercitum, Pippini Ducis consurgentem fraudulenter falso iuramento dato quamplurimos nobiles viros occidisse. De nece Ebroini transacto post S. Leodegarij glorioſam mortem trium annorum spatio, consule Vrsinum, aliúmque coæuum Vitæ S. Leodegarij auctorem. Huius vero corporis translatio medio Martio mense facta in seq. annum haud dubiè differenda: quemadmodum & mors S. Audoëni, quæ si ineunte die 24. Augusti exeunte verò Dominica contigit, huic anno videretur consignanda, & 43. anni in 42. commutandi, sed satius est fateri corruptam esse vitam, quàm à communi recedere sententiâ, quæ 43. annos tribuit cum mensibus 3. & diebus 10. à die 14. Maij anni 646. inchoatos. Inde quoque manifestè arguimus Anspherti vitam ab Aigrado scriptam aliquot nævis infectam fuisse ab interpolatoribus.* Concilium Toletanum XV. celebratum est æra 726. an. 1. Egicanis Regis die 11. Maij eodem de quo supra actum est Iuliano Toletano Antistite. Edricus Cantuariorum Rex moritur cum per duos ferè annos regnasset. De eius successore orta est controuersia, quæ triennali interregno locum dedit. Iustinianus Imp. Bulgaros repellit, Sclauinos cædit, multósque ex iis ad se confugientes recipit. Verùm in reditu à Bulgaris in arcto clausuræ interceptus vix cum ingenti damno remeare valuit. Habdimelich totam sibi subiicit Persidem.

Anno Christi DCLXXXIX. *Theoderici* 9. *Orta inter Pontifices Ansoaldum Pictauiensem, Ermenarium Augustodunensem, &*

Vindi-

Vindicianum Cameracenſem de corpore S. Leodegarij poſſidendo piâ contentione poſt ieiunia, & orationes inter Miſſarum ſolennia ſors Anſoaldo fauit, vno ex miniſtris iuſſo à Pontificibus manum ſubter pallam ponere, & vnam ex tribus paruis epiſtolis educere. Sanctum itaque corpus medio menſe Martio ex Atrebatenſi pago in Pictauenſem diœceſim tranſlatum eſt in monaſterium S. Maxentij, die 24. Aug. feria 3. non Dominicâ, vt multi ſibi perſuaſerunt. Obiit eodem an. in Clipiacenſi villa prope Lutetiam Pariſiorum S. Audoënus annos 90. natus, cùm Rotomagenſem Eccleſiam rexiſſet an. 43. menſ. 3. diebus 10. ſucceſſit S. Anſbertus tertius Fontanellæ Abbas. S. Audoëni virtutibus pleni interitum ad hocce tempus reuocat Appendix Gregoriana cap. 94. in quo ſubiicitur Vvaradonis Maioriſdomus obitus, cuius vxor ſtrenua ac nobilis matrona dicebatur Anſledis, gener verò Bertharius, qui in honore Maioriſdomus Neuſtriæ ſucceſſit, ſtaturâ paruus, intellectu modicus, leuis atque citatus, Francorum amicitiam atque conſilia ſæpe contemnens, de cuius cæde dicemus poſt biennium. Pippini verò vxor erat Plectrudis nobilis, & prudentiſſima, ex quâ genuit Drogonem & Grimoaldum. Pertharito Langobardorum Regi ſuccedit Cunibertus filius, qui à patre ante decennium fuerat ad regni conſortium adſcitus. Hoc anno Alfridi tertio die 10. Aprilis in ſabbato Paſchali Indictione 2. anno 4. Conſulatus Iuſtiniani, & 2. Pontificatus Sergij Ceadwalla Rex Occidentalium Saxonum Romæ baptizatus eſt, & die 20. eiuſdem menſis beatorum conſortio ſociatus eſt in cælis, teſte Beda cap. 7. lib. 5. Hiſtoriæ Anglorum, qui addit Epitaphium iubente Pontifice in eius monumento fuiſſe ſcriptum, vt & memoria deuotionis ipſius fixa per ſæcula maneret, & legentes quoque vel audientes exemplum facti ad ſtudium religionis accenderet. Vide locum, ac mirare felicem Chronologiæ noſtræ cum certiſſimis illis venerandæ antiquitatis monumentis concordiam. Succedit Hun ſiue Ina de ſtirpe Regia laudatiſſimus Princeps, qui cum 37. annis imperium tenuiſſet, ad limina Apoſtolorum Gregorio II. Pontificatum tenente profectus eſt. S. Kilianus in Franconiam cum ſociis Colonano & Totnano, inſtigante Geilâ Goſberti Ducis ex fratre nepte ac coniuge, fuit nocte clam interfectus. De eo Martyrologia die 8. Idus Iulij menſis. Habdimelich, non Perſidis modò regionem, ſed Meſopotamiam quoque & Magnam Armeniam ſubegit, & bellis inteſtinis finem impoſuit.

Anno Christi DCXC. *Theoderici* 10. *tantùm, non verò vltimo seu* 14. *aut* 24. *quemadmodum scripsi in Chronico Technico*, Iulianus Archiep. Toletanus obiit die 8. Martij æra 728. vt in eius elogio docet Felix, eadémque labente Kalendis Nouembribus anno 4. Egicanis Regis, notatur celebratum Concilium III. Cæsarauguſtanum. *Sanctus Vvillibrordus ex Anglia cum sociis vndecim venit ad Pippinum Ducem Francorum: à quo gratanter susceptì ad prædicandum missi sunt in interiorem Frisiam, quam expulso inde Radbodo Rege ceperat.* Sanctus Theodorus Cantuarienſis ſiue Dorouernenſis Archiep. ſenex & plenus dierum, id eſt annorum 88. defunctus eſt die 19. Septembris. Manſit in Epiſcopatu annis 22. ſepultúſque eſt in Eccleſia S. Petri cum epitathio monumenti 34. verſibus comprehenſo, quorum aliquos refert Beda cap. 8. lib. 5. Wictredus filius Egberti Cantuariis regnare incipit ad annos 33. Sanctus Aldhelmus de tonſuræ & Paſchalis obſeruationis calente per ea tempora controuerſiâ ſcripſit epiſtolam ad Geruntium Britannorum in Cornubia Regem.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCXCI. *Theoderici* 11. *die 8. Februarij Amalfridus quidam constructum in sua proprietate monasterium in pago Cameracensi super fluuium Scaldim, in loco vocato Hunulficurte, donatione firmauit Viromandis: quod idem Rex Theodericus Kalendis Aprilis post biennium anno* 14. *regni sui in Parisiaco Palatio Regali priuilegio confirmauit, vt testatur Ioannes Iperius, qui etiam addit Regem illum Theodericum pœnitentiâ ductum, pro morte S. Leodegarij & aliorum SS. afflictione, monasterium S. Vedasti construxisse iuxta villam Atrebatensem super fluuium Crinchon, in quo postea sepultus sit.* Audrannus, Reolus, multique alij Franci aduerſus Bertharium Maiorem domus Neuſtriæ meritò indignati, eo relicto ad Pippinum accedunt, qui commoto ex Auſtria exercitu contra Theodericum Regem & Bertharium in agro Virmandenſi, in loco, qui dicitur Textricium, conflixit, & victor euaſit, fugiente cum Rege Berthario, qui paullò pòſt inſtigante Ansflede ſocru ſuâ ab adulatoribus falſis amicis interfectus eſt. *Pippinus verò Theodericum Regem accipiens eo domum palatij cum thesauris in Austriam remeauit.* Euualdi fratres Sacerdotes ambo, quorum alter Niger, alter Albus dicebatur, die 3. Octobris interfecti ſunt à paganis in prouincia antiquorum Saxonum, corúmque corpora ad ſe adducta Dux Francorum

Pippinus condidit in Eccleſia Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenum. Chunibertus Langobardorum Rex Ticinum regiam ſuam vrbem recuperat, expulſo propter inſolentiam Alahi Duce Tridentino, qui eam aſtu occuparat. Iuſtinianus Imp. pacem cum Saracenis diſſoluit, quod maſſas aureas, non verò pecuniam imagine Imp. ſignatam obtuliſſent, iuſſítque Cyprios ex inſulâ recedere, vt pluribus Theophanes, aliíque ex eo.

Anno Chriſti DCXCII. *Theoderici* 12. *ſub Autumnum expleto & inchoato* 13. *celebratum perhibetur Rotomagenſe Concilium, quod aliàs cum Sirmondo ad annum* 682. *retulimus. Decepit vtrumque Angradus ſiue Aigradus Monachus aut quiſquis alius fuit vitæ S. Anſberti apud Surium die* 9. *Februarij interpolator in hæc verba:* Facta eſt autem hæc priuilegij auctoritas ſub anno Dom. Incarn. 682. Ind. 10. qui erat annus præfati glorioſi Regis Theoderici 13. *(Sirmondus in codice S. Michaëlis in periculo maris reperit annum* 16. *quem cum Atrebatenſibus diplomatis, quæ ſupra exſufflauimus, tanquam ἕρμαιον quoddam arripuit ad ſtabiliendam annorum* 24. *regni Theodericiani epocham illam, quam primi productis in medium argumentis annos* 14. *Clotario eius fratri vindicantibus falſam eſſe conuicimus*) & præfati venerandi Præſulis Pontificatus annus quintus, in Synodo generali Rothomago vrbe habitâ, vbi plurima Deo accepta, & S. Eccleſiæ vtilitatibus profutura diſputata ſunt. Inter eos, qui adfuerunt, recenſet Airardum Ep. Carnotenſem, Anſoaldum Pictauenſem, Aquilinum Ebroicenſem, Gerebaldum Baiocaſſinum, Annobertum Sagienſem, &c. *Henſchenius in Diatriba Dagobertina hoc anno habitum præcisè docet, quem vult eſſe Theoderici* 13. *labentem vſque ad æſtatem aut autumnum, nec quicquam de corrigenda Indictione (quæ quinta ipſi numerari debuit) ſollicitus, inſuper non animaduertit ſub exitum dumtaxat huiuſce anni inchoari annum Anſberti in Rotomagenſi Cathedra quartum. Quare anno eiuſdem Pontificis tertio currente, non quinto, deinceps addicetur Rotomagenſe Concilium, nec in vno tantùm ſed in pluribus corrigenda erit Sancti illius Vita, quam ad MSS. codices exactam cum integro menſe Februario iampridem auidè expectamus.* Berechtwaldus Abbas electus hoc anno Kal. Iulij S. Theodori in ſede Cantuarienſi ſucceſſor anno demum ſequente ordinatus eſt in Gallia, vt ex Beda mox dicemus. De Canonibus in Trullo ab Epiſcopis Græcis in Synodo, quæ Πενθέκτη Quini-

sexta dicta est, approbatis, & à Summis Pontificibus atque vniuerso Occidente reiectis, vide Baronium & Petauium, qui in annum Christi 705. reiicit, vt suo postea tempore obseruabimus. Neque enim in breui Compendio licet tantas componere lites. Iustinianus collecto ex Sclauis aliisque exercitu numerosissimo Saracenos aggreditur, eósque vincit; verùm corruptis pecuniâ à Muhammede Sclauorum viginti millibus, Imperator ab incepto desistere coactus, in residuos Sclauos sæuiit.

Anno Christi DCXCIII. *Theoderici* 13. *S. Ansbertus Rotomagensis Antistes corpus S. Audoëni in Ecclesiam S. Petri, quæ sita est in suburbano illius vrbis, transtulit in solennitate Ascensionis Domini, & in absside siue editiore loco recondidit, vt ex Aigrado constat, cuius narratio nullum potius huius quàm alterius anni characterem profert: nisi fortè cui compertus sit ipse Translationis dies cum Paschalibus feriis comparandus.* Concilium Toletanum XVI. æra 731. die 2. Maij anno Egicanis 6 celebratum fuit aduersus Sisbertum Archiep. Toletanum, qui in Regis necem coniurasse conuictus in exilium expulsus est. Berechtwaldus à Godwino Metropolitano Galliarum die 29. Iunij Dominica ordinatus est, & sedit in sede sua die 31. Augusti pariter Dominicâ, vt ex Beda discimus, qui etiam testis est à Wilfrido Ep. consecratum fuisse S. Switbertum, Berchwaldo, qui trans mare ordinandus ierat, necdum ad sedem Episcopatus sui reuerso. Switbertus accepto Episcopatu de Britannia regressus ad Boruchtuarios secessit, multósque eorum prædicando ad viam veritatis perduxit. Sol defecit die 5. Octobris Dominica, vt ex Theophane, Cedreno, &c. μιᾷ ἰνδικτιῶνος ε', ὥρᾳ γ', ὡσὶ φαίνειν λαμπρῶς ἀστέρας. Addit Paulus Diaconus eo tempore Rodoaldum Ducem Beneuentanorum Tarentum, Brundusium, aliáque in Calabria Romanis eripuisse. Saraceni Sclauis iuncti multos ex Romanis captiuos abducunt. Iustinianus triclinio in ædibus suis constituendo præposuit Stephanum Persam Sacellarium suum, hominem crudelem, qui in plerosque sæuiit, Monachum quoque Theodotum nomine, ac similes.

Anno Christi DCXCIV. *Theodoricus I. Francorum Monarcha anno regni post Childerici fratris cædem* 14. *vel expleto vel ad exitum vergente saltem post Kalendas Aprilis, & Paschales Ferias huius*

anni mortuus est, & sepultus in monasterio S. Vedasti apud Atrebates cum epitaphio (cuius antiquitatem nonnulli in dubium reuocant suadéntque Leonini illi versus posterioribus sæculis familiares) inscripto superiori limbo Mausolei illius Regij.

Rex Theodericus, ditans vt verus amicus
Nos ope multimodâ iacet hic cum coniuge Dodâ:
Regis larga manus, & Præsul Vindicianus,
Nobis Regale dant & ius Pontificale.
In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctum sciet hunc, qui quatuor addet.
Quâ legis hac horâ Dominum pro Regibus ora,
Muneribus quorum stat vita Dei famulorum.

Quæ verò hic dicitur Doda coniux, fortè dici debuit Cloda, cùm constet ex veteribus diplomatis matrem Clodouei, & vt par est etiam suspicari, Childeberti, fuisse nominatam Clotildem siue Clodildem. Successerunt duo fratres ætate paruuli CLODOVEVS III. *ad annos 4. &* CHILDEBERTVS *cognomento Iustus ad annos 17. si ab hoc initio numerare incipias, vt fecit Anonymus Auctor obseruationis illius Paschalis auro contra non caræ, de quâ agemus ad annum 599. & cum eo Fragmentum Ercamberti, Annales Metenses, Chronicon Moissiacense, & alia Breuissima apud Duchesnium, Sigebertus, Geruasius Tilleberiensis, aliíque vulgò, vel ad annos tantùm 13. si ab anno 598. & ab obitu fratris numerare velis, cùm Monarchiam regni solus obtinuit; quod fecit Auctor Appendicis Gregorianæ Fredegarius seu quis alius, qui Childebrandi Principis iussu munus scribendæ Pipini, eiúsque filij Caroli Marcelli Historiæ suscepit, & post eum alij quidam ex recentioribus. Nos facilem expeditámque viam vtriusque opinionis conciliandæ Lectoribus Chronologiæ studiosis commonstrauimus. Ex his enim quæ supersunt Clodouei diplomatis hoc vnum liquet præcipuè in Austriâ imperasse: & dissensio illa Principum, cuius occasione Pipino suspectus fuit S. Ansbertus Rotomagensis Antistes, & in Altum montem Hannoniæ cœnobium ad Sabim relegatus, nescio quid turbarum inter Neustriam Austrasiámque exortum fuisse subindicant. Plura vetant addere Scriptorum illius temporis penuria atque incuria.* Concilium Toletanum XVII. celebratum fuit aduersus Iudæos, qui in Regem conspirauerant, die 9. Nouembris Æra 732. anno Ægicanis Regis 7. Sub finem huius anni aut seq. initio Iustinianus Imperator, cùm tyrannicum in morem Stephano Rufo Patricio iussisset, vt & Patriarcham, & promiscuum vulgus CP. noctu interfice- Clodoueus.

ret, & in odium incurriſſet omnium, à Leontio Patricio, qui in bellis ſe præclarè geſſerat, quémque per tres annos in cuſtodia detinuerat, de ſolio deiectus, naſo truncatus, & in Cherſoneſum amandatus eſt, cùm iam nouem annos regnaſſet, & decimum delibaſſet. Turba verò Theodotum illum Monachum, atque Stephanum Sacellarium Perſam, illius ſcelerum adminiſtros, funibus ligatos per plateas ductos incendit. Vide Theophanem eiúſque exſcriptores Miſc. Cedrenum, Zonaram &c. Alachis Dux Tridentinus aduerſus Cunibertum Langobardorum Regem rebellis altero prœlio victus cadit.

Anno Chriſti DCXCV. *Clodouei & Childeberti primo ab anno ſuperiore inchoato priuilegium S. Bertino Sithiuenſi Abbati Kalendis Iunij à Clodoueo Rege conceſſum eſt. S. Anſbertus exul in Altomonte poſt celebrata miſſarum ſolennia, perceptione Corporis & Sanguinis Domini ſe muniens ac ſanctæ Crucis vexillo ſe cunctóſque circunſtantes ſignans, obiit die 9. Februarij, eiúſque corpus 30. ab obitu die in Fontanellenſe cœnobium, quod Abbas per aliquot annos rexerat, tranſlatum eſt, & in templo S. Pauli ſepultum.* Sergius Patricius ſeditione concitata Lazicam Arabibus ſubdidit.

Anno Chriſti DCXCVI. *Clodouei III. & Childeberti 2. Bertoëndus Catalaunenſis Epiſcopus, rogatu Regis Clodouei & Pipini Maioris domus Regiæ, dedit Deruenſibus Monachis electionem Abbatis die 15. Februarij, vt pluribus docebit te Nicolaus Camuſatus pag. 82. Promptuarij Antiquitatum Trecaſſinarum, & ex eo §. 5. cap. 4. noſtrorum Miſcellaneorum. Henſchenius addit ex codice Bambergenſi diploma Clodouei datum Papoleno Abbati monaſteriorum Stabulai, & Malmundarij die 25. Iunij anno ſecundo regni. S. Villebrordus à Pippino Romam miſſus ordinatus eſt Friſonum Epiſcopus die 22. Nouembris natali S. Cæciliæ, & à Sergio Papâ Clemens dictus, reuerſus eſt in inferiorem Germaniam, ſedem Epiſcopalem Vltraiecti ſtatuit an. ſequenti, & poſt 35. Epiſcopatus annos viuebat adhuc Bedæ ætate anno Chriſti 731. Vide cap. 12. lib. 5. Hiſtoriæ Anglorum. Sigebertus de originatione Vltraiecti hîc ſplendidè nugatur, vt docet Philippus Cluuerius lib. 2. de Germania Antiqua cap. 36.* Arabes Africam acie mota obtinent relictis præſidiis. Ioannes Patricius eò cum claſſe miſſus à Leontio, hoſtes in fugam vertit, & viriliter inſequutus vniuerſa liberauit Africæ caſtra, atque ibidem hyemauit.

Anno Christi DCXCVII. *Clodouei III. & Childeberti fratrum* 3. *Laubiensis monasterij Ecclesia die* 26. *Augusti consecrata fuit, teste Fulcuino Abbate Laubiensi in sui Monasterij Chronico MS. apud Miræum, qui etiam docet Cathedram Pontificalem primùm statutam in Ecclesia S. Saluatoris, successu temporis ad basilicam S. Martini fuisse translatam. Pippinus Radbodum Frisiorum Ducem iuxta Doreſtadum vincit, inquit Auctor Annalium Metensium. Verum id ad tempora Childeberti refert Gregoriana Appendix cap.*102. *Pippinus contra Radbodum ducem gentilem Frisionum gentis castro Doreſtate bellum infert, & victor cum multis spoliis, & præda reuersus est. Tum cap.*103. *subiungit, Pipinus aliam duxit vxorem nobilem & elegantem, nomine Alpaidem, ex quâ genuit filium, vocaúitque nomen eius lingua propria, scilicet Thiotisca, Karolum: creuítque puer elegans, atque egregius effectus est. Superstitem tum fuisse Plectrudem res certa est, licet superinductæ illius nobilis vxoris causa nos lateat. Vnde factum est, vt à plerisque facti illius ignaris Alpais concubina, & Carolus nothus diceretur. Ea occasione S. Lambertum Traiectensem Episcopum à Dodone Alpaidis fratre interfectum volunt Leodici die* 17. *Septembris anni superioris, dum Pippinum adulterij non cessaret arguere. Verùm Henschenius in Traiectensi Diatriba Lamberti cædem differt in annum* 707. *multis post Carolum natum annis.* Vitiza ab Egicane patre triennium ante obitum in consortium regni adscitus, Tudæ in Gallecia sedem habere iussus est, vbi & Fauilam Pelagij patrem Cantabriæ Ducem occidit, eiúsque vxorem adulterio violauit. Arabes cum potentiori exercitu reuersi in Africam Ioannem profligant, pellúntque ex Africa. Huius milites ab Imperatore sibi metuentes Absimarum Drungarium Imp. eligunt, Tiberiúmque nominant, qui improuiso C P. appulit, & applicuit ex aduerso ciuitatis in Syces. Dein aditu à proditoribus per murum Blachernarum patefacto vrbem ingressus, Leontium capit, & præciso naso in monasterium Dalmatij detrudit, cùm annis tribus regnasset. Heraclium verò germanum suum virum idoneum in Cappadociam aduersus hostes dimisit.

Anno Christi DCXCVIII. *Clodoueus adhuc puer ægrotans mortuus est, cùm annos dumtaxat quatuor vnà cum fratre regnasset sub tutela, & regimine Pipini, qui Principibus illis nomina Regum imponens, ipse totius regni habens priuilegium, cum summa gloria, & honore tractabat.* CHILDEBERTVS, *cognomento Iustus, Clodouei*

frater ætate paruulus ſolus imperare incipit ad annos 13. Drocus ſiue Drogo à Pippino genitore eruditus, inquit Auctor Appendicis Gregorianæ cap. 101. Ducatum Campanenſem accepit. Grimoaldus verò iunior Maiordomus Palatij ſuper Francos electus eſt, fuítque vir mitiſſimus, omni bonitate & manſuetudine repletus, largus in eleemoſynis, in orationibus promptus. Saracenis inter ſe de regno Perſico digladiantibus, Romani Syriam peragrantes vſque ad Samoſatam occiſis ducentis hoſtium millibus, plurimíſque ſpoliis ditati, reuerſi ſunt.

Anno Chriſti DCXCIX. *Childeberti Regis Francorum 5. Monarchæ verò poſt fratris obitum primo, (qua ratione conciliandos eſſe inuicem Hiſtoriæ noſtratis Scriptores docuimus) refero cum doctiſſimis viris Arnaldo Pontaco Ep. Vaſatenſi, Ioſepho Scaligero, Ægidio Bucherio, Dionyſio Petauio, aliíſque, quibus nihil non debet Chronologia Chriſtiana, inſignem illam obſeruationem, quæ reperitur antiquâ manu extra ordinem grandibus & uncialibus literis in primâ paginâ libri aduersâ, vbi debebat eſſe titulus generalis, exarata in codice Bongarſiano Euſebiani Chronici, quem Antiquarius notat ſe ſcripſiſſe anno Chriſti Dionyſiano 624.* IN ANNVM V. CHILDEBERTI REGIS FRANCORVM PIPINO IVBENTE AB ADAM SVNT ANNI V. MILLIA DCCCC. FVIT PASCHA X. K. APRILIS, ASCENSIO DOMINI FVIT K. MADIAS, PER CYCLVM NVMERVM ANNORVM C. XL. REPETITIO A CAPITE CYCLI. *Subiungit Scaliger: Notent ſtudioſi, quum annus Chriſti 699. fuerit quintus Childeberti Regis Francorum, eius initium conſurgere ex anno 695. non ex 698. vt Hiſtoricis noſtris placet, qui peccant manifeſto anachroniſmo triennij ſolidi. Hæc ille: quam decretoriam ſententiam Bucherij, Sirmondi, Petauij, Ducheſnij, Miræi, aliorúmque calculis munitam, vt eludat potiùs quàm euertat vir eruditus, qui nuper de hiſce rebus ſcripſit, duo proponit: Primum arbitrari ſe aliquot poſt hunc annum ſæculis illud ab imperito Chronographo compoſitum fuiſſe: Verùm quis amabo antiquam manum meliùs diſcernere queat Scaligero atque Pontaco, qui plures codices calamo ſcriptos peruoluerant, quàm multi alij typis excuſos: Imperitum certè non fuiſſe Chronologum res ipſa fateri cogit quemcumque rerum iſtarum peritum. Quare ſecunda excogitari debuit aduerſus hominem innocentem accuſatio: Socordiæ crimen impingitur, quòd an. 1. Childeberti alibi lectum in an. 5. commutarit. Quid ita? Suadet ratio illa ab Adamo numerandi illis temporibus ſub obitum vnius & initium regni alterius vſitata.*

vſitata. At prolato vnius dumtaxat Childeberti poſt Sigebertum patrem Auſtraſiorum Regis anno 1. appoſitis ab Adamo annis indicato apud Greg. Tur. lib. 4. cap. 46. & Fredeg. in Hiſtoriâ Epitomatâ cap. 73. hæſit illicò aqua, cùm nobis non deſint quamplurima ſcriptorum exempla, qui Adamicis annis conſignarint annos Regum & Imperat. à primo diuerſos. Greg. Turon. annum, quo ſcribebat, neque Childeberti neque Guntramni primum, vltimúmve, Mundanâ Epochâ inſignire voluit, Auctor Appendicis ad Chronicon Marij annum Clotarij 40. Fredeg. vel quis alius Appendicis Gregorianæ collector, Theoderici Regis an. 15. & ne à Bongarſiano codice recedamus, quem Aurelianenſem Pontacus vocat, ex monaſterio Floriacenſi S. Benedicti ad Ligerim deſumptum, ſcripta ſunt ad calcem eius hæc verba: & à 14. Valentis vſque hodie Ind. XII. die Kal. Martias Heraclio Imp. anni ſunt 248. Fiunt omnes anni ab Adam vſque huc 5824. Certè Heraclij annus ille nec primus fuit nec poſtremus. Cætera omitto quæ in gratiam ſchedæ illius, non de triuio aliquo deſumptæ, ſed ab eruditiſſimis viris noſtræque ætatis Principibus maximo fauore exceptæ atque approbatæ dici poſſunt, vt moneam nouum mihi penitúſque mirandum ὀξύτητος videri, cùm ſanare queas perdere velle. Gaudeo ſanè in Chronico MS. Collegij Treuirenſis Societatis noſtræ Auctore Anonymo Saxone hæc reperiri, quibus mea fulciatur coniectura: Clodoueus filius Theoderici cum fratre Hildeberto regnare cœpit. In Vvaſſeburgio diligentiam deſidero, quò fit vt ab eius auctoritate libenter abſtineam, cùm alia non deſint opinationis noſtræ adiumenta. Habdella Saracenorum Princeps commoto in Romaniam exercitu Antaradum inſulam (quæ in Miſcella mendosè Tarentum dicitur) oppugnauit, nihílque proficiens rediit, ac ædificauit Mopſueſtiam, & poſuit in ea cuſtodes, hoc eſt præſidiarios milites.

Anno Chriſti DCC. *Childeberti regni 6. Monarchiæ 2. S. Maurontum Rictrudæ Marchianenſis filium die 5. Maij obiiſſe quidam volunt, dum S. Vvlfrannus Archiep. Senonenſis ad Radbodum profectus Friſios per quinquennium docet, pluribuſque baptizatis redit in Franciam, vt ex Iona Monacho vitæ illius auctore conſtat. Ven. Beda anno ætatis 30. à Sergio Papa Romam vocatus fuiſſe perhibetur: Baronius negat pedem mouiſſe ex Anglia, quòd Sergius Papa anno ſequenti fuerit defunctus.* Baanes cognomento Heptadæmon Armeniam ſubiugauit. Abſimarus verò Imp. Philippicum Nicephori Patricij filium in Cephalœniam inſulam exilio relegauit, quòd aſſereret ſe in ſomnis vidiſſe caput ſuum ab aquila obtegi atque obumbrari.

OCTAVVM ÆRÆ CHRISTIANÆ SÆCVLVM, PIPINI REGIS ET ICONOCLASTARVM.

Ab anno Domini IESV 701. *M.* 4754. *Romæ* 1454. *ad annum Christi* 800. *M.* 4853. *Romæ* 1553.

SEPTINGENTESIMO PRIMO *Æræ Christianæ anno, Childeberti Francorum Monarchæ 3. ab obitu verò Theoderici patris 7. datum volunt priuilegium B. Bertino Kal. Iunij, cuius meminit Iperius. Verùm cùm apud eum fieri dicatur mentio annorum 13. 14. & 16. nostri huius Childeberti, non immeritò quis reuocandum censuerit ad annum 697. S. Irmina Dagoberti Austrasiorum Regis, vt creditur, filia Kal. Nouembris ac Decembris iam inchoato Childeberti 4. ab obitu fratris anno, Horreensis in Treuiris Monasterij fundatrix, multa contulit Epternacensi cœnobio, quod S. Vvillibrordus condidit ad Suram fluuium, vt constat ex diplomatis, quæ Miræus & Brouuerus ediderunt.* Sanctus Sergius I. Papa obiit die 9. Septembris post sedem annorum 13. mensium 8. & dierum 14. Successit Ioannes huius nominis sextus creatus die 29. vel potiùs 30. Octobris. De Cereis Romæ in Natali Domini variis annorum characteribus inscribi solitis vide Ven. Bedam lib. de Temporum ratione cap. 45. cuius verba non pigebit adscribere, vt planum omnibus faciam longè ante tempora Pippini & Caroli Magni ex Dionysiana supputatione annos ab Incarnatione Domini IESV CHRISTI & ab eius Passione, saltem in Romana Ecclesia, numerari solitos. *Sancta Romana & Apostolica Ecclesia hanc se fidem tenere & ipsis testatur Indiculis quæ suis in cereis annuatim scribere solet, vbi tempus Dominicæ Passionis in memoriam populis reuocans numerum annorum triginta semper & tribus annis minorem quàm ab eius Incarnatione Dionysius ponat, adnotat. Denique anno ab eius Incarnatione iuxta Dionysium septingentesimo primo, Indictione quartadecimâ, Fratres nostri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in natali Domini in cereis sanctæ Mariæ scriptum vidisse, & inde descripsisse referebant. A Passione Domini nostri* IESV CHRISTI *anni sunt* DCLXVIII. Hæc ille: vnde etiam discas tempus quo liber

ille exaratus est, eósque aberrasse qui sub Sergio Papa I. Bedam petiisse Romam tradiderunt. Mortuo Cuniberto hoc anno imperant Luitbertus, Raginpertus, eiúsque filius Aripertus ad annos vndecim, teste Paulo Diacono. Egicanes Wesigothorum in Hispania Rex, cùm regnasset annos ferè 13. obiit, eiúsque regnum solus administrare incipit filius Vitiza Princeps perditissimus. Principes Armeniæ peremptis Saracenis Romanos in regionem suam reducunt. Verùm submisso à Muhammede exercitu Armeni victi, corúmque optimates in vno loco cremati. Heraclius Imperatoris frater in Cilicia multos Saracenos occidit, aut vinctos Imperatori transmisit.

Anno Christi DCCII. *Childeberti* 4. *vel* 8. Ioanni Platoni Exarchus ab Imp. suffectus est Theophylactus. Iustinianus Rhinotmetus, benignè exceptus à Cazarorum Chagano sororem eius Theodoram ducit vxorem, veritusque insidias fugit, & ad Trebellim Bulgariæ dominum venit.

Anno Christi DCCIII. *Childeberti* 5. *vel* 9. Iustinianus Rhinotmetus auxiliis Bulgarorum CP. obsidet, eámque per aquæductum ingressus Tiberium Absimarum in fugâ captum, eiúsque fratrem Heraclium, cum pluribus aliis è muro suspendit. Quæ in biennium vsque cum aliis differenda censuimus in Chronico Technico.

Anno Christi DCCIV. *Childeberti* 6. *vel* 10. *S. Austroberta Paulianensis Abbatissa in Diœcesi Rotomagensi obiisse traditur die* 10. *Februarij Dominica, qui annus more plurimorum in Gallia vsque ad Pascha dicebatur annus* 703. *His temporibus beatus Ermelandus Abbas effectus est, vt docet Chronicum breuissimum ex schedis Tilianis editum.* Aripertus Rex Langobardorum Cottias Alpes Pontifici Romano tradit, & donationis diploma aureis exaratum literis Romam transmittit. Vide Paulum Diaconum. Concilium Toletanum XVIII. sub Vitiza Rege celebratum fuit ærâ 742.

Anno Christi DCCV. *Childeberti* 7. *vel* 11. *die* 20. *Ianuarij facta est commutatio inter Pipinum Regem eiúsque coniugem Plectrudem & Armonium Ep. Virdunensem, eiúsque Archidiaconum Anglebertum, quam edidimus in Miscellaneis Curiosis.* Leontij & Absimari mortem in hunc annum distulimus, qui Iustiniani iterum imperantis primus fuisse creditur. *Vingfridus, qui postea*

dictus est Bonifacius, ex Anglia Vltraiectum venit ad S. Vvillibrordum, & cum eo per 13. annos manet. Ioannes VI. Papa obiit die 10. Ianuarij post sedis annos 3. menses 2. & dies 12. Successit Ioannes VII. Kalendis Martiis. Alfrido Nordhumbrorum Rege post annos regni 19. & menses aliquot defuncto regnum suscepit Osredus filius octennis ad annos 11. ex Beda lib. 5. cap. 19. Adamannus Presbyter & Abbas Monachorum, qui erant in insula Hie, ad Alfridum venerat, ibique legitimam Paschatis obseruationem edoctus in Hiberniam rediit, multósque pristinum morem dedocuit. Idem scripsit de locis sacris librum, *cuius auctor erat docendo ac dictando Galliarum Ep. Arculfus, qui è Palæstina patriam nauigio reuertens, vi tempestatis in Occidentalia Britanniæ littora delatus est.* Sunt qui Adamanni mortem coniiciant in 23. Octobris anni superioris.

Anno Christi DCCVI. *Childeberti* 8. *vel* 12. *S. Bainus Fontanellensis Abbas obiit die* 20. *Iunij, Ioannis VII. Papæ* 2. *Indictione* 4. Vitiza Wesigothorum in Hispaniâ Rex munitiones vrbium destrui iussit, præterquam Toleti, Legionis, & Asturicæ: sícque aditum facilem Saracenis præbuit, vt breui tempore totam fermè Hispaniam subiugarent. Vlid Saracenorum Princeps eripit Catholicis Ecclesiam Damasci pulcherrimam, prohibétque Græcè scribi publicos Logothesij codices, sed in Arabicis annotari sine computo.

Anno Christi DCCVII. *Childeberti 9. vel 13. Floriacum cœnobium in pago Velocassino extructum fuit à Pippino, eiúsque coniuge Plectrude. Idem Pippinus Frisonum Ducem Ratbodum bello superauit: Alij tamen in annum sæculi præcedentis 97. referunt, vt diximus. Quid verò si pro vna geminam de Frisiis victoriam Pippini fateri necesse sit? Eiusdem anni die 17. Septembris censet Henschenius S. Lambertum Traiectensem ad Mosam Ep. à Dodone de Primatibus Palatinis vno & Pippini Ducis familiari, telo transfixum animam Deo transmisisse. Alij ad annum 696. aut 698. referunt, volúntque quum sanctus Lambertus Pippinum crebrius adulterij argueret, à Dodone Alpaidis fratre Legiæ siue Leodij, quæ tum villa erat parui adhuc nominis, fuisse obtruncatum. S. Lamberto successit S. Hubertus, eiúsque corpus transtulit & Sedem Episcopalem ibidem defixit. De anno ne ipsi quidem inter se consentiunt Belgici Scriptores.* Ioannes VII. Papa obiit die 18. Octobris post sedem annorum duorum mensium septem, & dierum 17. Reliquo anno vacauit Romana sedes. Sunt qui

Vitizam hoc anno excæcatum velint à Roderico, cui tribuunt annos regni septem. Nos in annum 710. differemus. De Canonibus Trullanis Synodi Quinisextæ consule Petauium.

Anno Christi DCCVIII. *Childeberti* 10. *vel* 14. *Drogo Pippini Maioris domus filius primogenitus valida febre correptus verno tempore obiit, & in basilica S. Arnulfi Confessoris iuxta vrbem Metensem sepultus est. Frater eius Grimoaldus genitore suo ordinante in principatum succedit, qui ex concubina iam ab aliquot annis genuerat filium nomine Theudoaldum seu Theobaldum. Hæc & alia Appendix Gregoriana cap.* 102. *Annales Metenses, Nazariani, Tiliani, aliique à Duchesnio editi tribus Tomis prioribus Historicorum Franciæ, quos deinceps sæpissimè citabimus.* Sisinnius Papa Ioannis VII. successor Romanam sedem per dies 20. tantùm occupauit, à die 18. Ianuarij ad diem 7. Februarij, quo obiit, adeò podagrâ, vt ferunt, affectus, vt nec cibum capere posset. Constantinus illi subrogatus die 7. Martij ad annos 6. vitam prorogauit. *Rigobertus Abbas villam de Rumiliaco emit solidis* 1500. *vbi monasterium ædificauit die Maij* 16. *ex Iperio. Quid verò si referas ad annum* 704. *Nam paullò post subdit Athletam Domini Bertinum Nonis Septembris obiisse anno ex quo monasterium suum fundauerat in veteri loco* 73. *ex quo in nouo* 59. *ætatis suæ* 112. *Hildeberti Francorum Regis* 14. *qui in hunc annum Christi* 708. *congruit. S. Svvitbertus Episcopus, cùm agente Brunone Saxonum Duce è Bructuariorum, quibus Christi fidem prædicarat, prouincia fuisset electus, Coloniam venit ad Plectrudem, & inde Iupiliam ad Pipinum, à quo Vverdam insulam Rheni infra Coloniam impetrauit, ibique monasterium ædificauit, quod nunc est Canonicorum Collegium.*

Anno Christi DCCIX. *Childeberti* 11. *vel* 15. *Pippinus in Alemanniam perrexit aduersus Suauos, eorúmque Ducem Vvilarium, ac magnificè de illis, omníque illa regione triumphauit. Ann. Metenses aliique. Gothofridus mortuus est testibus Hepidanno, & Auctore Annalium, qui in Monasterio S. Nazarij iuxta Rhenum scripti dicuntur. De eo referam hîc Erkanberti fragmentum: Illis temporibus Gotefredus Dux Alamannorum, cæteríque circumquaque Duces noluerunt obtemperare Ducibus Francorum, eò quòd non potuerunt Regibus Merouei seruire, sicut antea soliti fuerant; ideò se vnusquisque secum tenuit, donec tandem aliquando post mortem Godofredi Ducis Carlus, cæteríque Principes Francorum, paulatim ad se reuocare illos arte, quâ poterant,*

ſtuduere. Teſtamentum Vvolfandi fundatoris Abbatiæ S. Michaëlis ad Moſam factum dicitur anno 15. Childeberti Regis apud Richardum Vvaſſeburgium in Hiſtoria Virdunenſium Epiſcoporum. Michaël Archangelus, inquit Sigebertus in Chronico, apparens Autberto Abrincatenſi Epiſcopo monuit ſemel & iterum, vt in loco maris, qui propter eminentiam ſui Tumba vocatur, fundaret Eccleſiam in memoriam ſui, volens talem venerationem exhiberi ſibi in pelago, qualis exhibetur in monte Gargano, &c. Chronica tamen duo ex ſchedis Abbatiæ illius in Periculo Maris ſitæ deſcripta annum ſuperiorem conſtanter proferunt. Conſtantinus Papa ab Imp. Iuſtiniano euocatus C P. ingreſſus eſt iter die 5. Octobris & Hydrunti hyemauit teſte Anaſtaſio Bibliothecario. Anno Oſredi Nordhumbrorum Regis quarto Coënredus Rex Merciorum Romam veniens attonſus eſt in Monachum, & ad limina Apoſtolorum in precibus, ieiuniis, & eleemoſynis vſque ad diem permanſit vltimum. Cum eo venit Offa filius Sigheri Regis Orientalium Saxonum, & ſimiliter Monachus effectus, relictis vxore, agris, cognatis, & patria propter Chriſtum. Eodem anno die 12. Octobris S. Wilfridus Antiſtes eximius poſt 45. annos ſuſcepti Epiſcopatus diem clauſit extremum, vt pluribus Beda lib. 5. cap. 20. vbi recitat eiuſdem Epitaphium.

Anno Chriſti DCCX. *Childeberti 12. vel 16. Pippinus iterum contra rebelles Alamannos eorúmque Ducem Vvilarium in Sueuiam exercitum duxit, incenſáque eadem regione, captiuiſque & ſpoliis multis adeptis, victor ad propria reuertitur. Eodémque anno inundauerunt aquæ. Annales Metenſes, aliíque. Idem Pippinus cum coniuge Plectrude Hugoberti filia poſſeſſiones quaſdam dedit S. Vvillibrodo Ep. Epternacenſis cœnobij ad Suram in pago Bedenſi conſtructi Rectori ac Gubernatori die 13. Maij, vt docent Brouuerus, & Henſchenius poſt Theofridum in vita S. Irminæ. Exhibet quoque diploma datum eodem anno 12. Childeberti die 12. Martij Dubletius pag 688. Antiquitatum Sandionyſianarum.* Anno poſt Wilfridi obitum proximo Oſredi regis 5. Adrianus Abbas defunctus eſt, quem ante annos 41. Vitalianus miſerat Theodori ſocium. Quorum doctrinæ teſtimonium præbet, quod Albinus Adriani diſcipulus & in monaſterij regimine ſucceſſor, in tantum ſtudiis ſcripturarum inſtitutus eſt, vt Græcam quidem linguam non paruâ ex parte, Latinam verò non minus quàm Anglorum, quæ ſibi naturalis eſt, nouerit, inquit Beda lib. 5. cap. 21. vbi etiam de Accâ

Ep. Wilfridi ſucceſſore loquitur. Poſt Theophylactum Exarchus Italiæ fuit Ioannes Rizocopus, qui Romam profectus in plures ſæuiit. Nouus Rauennatium Epiſcopus, qui Pontifici Romano ſubiectus eſſe nolebat, iuſſu Imperatoris C P. adductus, in Pontum relegatus eſt. Iuſtinianus in Cherſonitas crudeliſſimè ſe gerit, vt per otium ex Theophane, Miſcella, Cedreno diſces. Vitiza à ſuis capto & excæcato Rodericus regnare incipit in Hiſpaniâ.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCXI. *Childebertus Francorum Rex, cognomento Iuſtus, obiit aïe vt vulgò perhibent 22. Nouembris, cùm regnaſſet gubernante Pippino à morte patris Theoderici annos 17. ſolus verò, ſiue ab obitu fratris Clodouei III. annos 13. Sepultus eſt Cauciaci, haud procul villâ Compendio, in baſilica S. Stephani Martyris. Succeſſit* DAGOBERTVS II. *eius filius adhuc puer ſeu iuuenculus, ad annos 4. Vide Appendicem Gregorianam cap. 104. Annales Metenſes & Chronica quamplurima. Eodem anno Grimoaldus dicitur vxorem duxiſſe filiam Radbodi Ducis Friſionum.* Dagobertus II. Iuſtiniano Rhinotmeto cum filio Tiberio interfecto Auguſto vel Decembri menſe, cùm regnaſſet à reditu ſuo annis ſex ſeptémve, Philippicus Bardanes ſuſcepit imperium, tenuítque anno vno cum aliquot menſibus. Tarich à Moſe miſſus ex Africâ anno Hegiræ 92. menſe Regiab, hoc eſt ineunte fermè Maio, appellit in Hiſpaniam cum Comite Iuliano, & caſtra munit in monte Abilâ, qui ab eo Gebel-Tarich, & modò Gibalter dicitur.

Anno Chriſti DCCXII. *Dagoberti iunioris primo, Pippinus iterum obſtinatione Alamannorum ſeu Suauorum duce Vvillario motus, Rhenum tranſiens, cum valida manu totam illam regionem ſubuertit, ſuæque ditioni ſubegit. Annales Metenſes, Tiliani, aliíque*, in quibus etiam mentio Heriperti Regis Langobardorum, ſiue Ariperti: quo, cùm in Galliam fugeret, in Ticino flumine demerſo poſt nouem regni annos, Anſprandus regnum occupauit, tenuítque tribus dumtaxat menſibus, tum eius filius ac ſucceſſor Luitprandus ad annos 31. cum aliquot menſibus. Hic multa legibus Langobardorum fertur addidiſſe: de quibus plura Paullus Diaconus. Ioannes Exarchus tyrannicum in morem ſæuiens in quoſlibet, à Rauennatibus cæſus eſt. Philippicus Imperator Monotheletis fauens, voluit eiecto Cyro

Patriarchâ, & coactâ Græcorum Epp. Synodo Sextam Synodum Oecumenicam abrogare. Bulgari vastata Thracia vsque ad portas Regiæ vrbis accedunt, multísque spoliis ditati reuertuntur. Moses Armeniæ Præfectus subsidio Tarich adueniens anno Hegiræ 93. in mense Rhamadan circa finem Iunij Hispalim aliásque plurimas vrbes capit, Gothósque debellat, vt pluribus narrant Isidorus Pacensis, Lucas Tudensis, Rodericus Toletanus, aliíque Hispanicæ Historiæ scriptores.

Anno Christi DCCXIII. *Dagoberti II. 2. Pippinus Princeps infra principatus sui terminos ea, quæ pacis erant, disponens, in nullam partem exercitum duxit. Dagobertus rogatu Herlemundi Cenomanicæ vrbis Ep. confirmauit immunitates Ecclesiæ eius, & Anisolensi monasterio, vbi S. Karilefus corpore requieuit, à Childeberto patre suo. Diploma exhibuimus in nostris Miscellaneis. Hugo Drogonis filius, dum adhuc laicus esset, quædam largitus est Benigno Abbati Fontanellensi anno Dom. Incarn. 713. Dogoberti iuuenculi Regis non 3. vt habet Chronicon Abbatiæ Fontanellensis ab Henschenio laudatum, sed 2. Pippini autem Ducis 26. die 21. Iunij feria 4.* Multa hoc anno refert Baronius in Annalibus de miraculis ad reliquias S. Martyris Anastasij Persæ patratis, in quibus inter cætera dæmon Energumeni ore protulit se modò venisse de Hispaniâ, & fecisse ibi hominum cædes innumeras, & multam effusionem sanguinis. Rodericus Wesigothorum Rex anno Hegiræ 94. die 3. Septembris Dominicâ pugnat cum Saracenis, iísque integra hebdomade fortiter resistens, tandem in prælio cadit, omnísque fermè Hispania à Mahometanis occupata æra exeunte 751. & sequentis initio: qua currente falsum est Saracenos primùm euocatos fuisse in Hispanias, cùm iam à biennio freto Herculeo transmisso regiones illas infestasse compertum sit eruditis. Romani imaginem Imp. hæretici admittere recusant, auditóque de eius morte nuncio, Petrum, qui eam abiecerat, recipiunt. Philippicus Bardanes die tertia Iunij ipso sanctæ Pentecostes Sabbato, Indict. 11. circa Vesperam oculis orbatus est, & seq. die Philartemius in Ecclesia S. Sophiæ renuntiatus Imperator, mutatóque nomine Anastasius appellatus à Patriarcha Ioanne coronatus est, vt ex Agathone Diacono diximus in Chronico Technico. Hic sibi timens à Saracenis, triremes, aliásque naues ædificat,

&

& Græco instruit igni, Regiæque vrbis ciues parare iubet commeatum in triennium.

Anno Christi DCCXIV. *Dagoberti II. 3. agrotante Pippino in Iopilia seu Iobii villa publica, quæ sita est super fluuium Mosam, cùm ad eum visitandum filius eius Grimoaldus properaret, & ad orationem in basilica S. Lamberti Martyris processisset, ac diutius in oratione pronus persisteret, à nequissimo viro, nomine Rangario, gladio percussus occubuit. Pippinus verò Princeps de infirmitate conualescens omnes, qui in illo consilio fuerant, iusta vltione interemit: in locúmque Grimoaldi filium eius paruulum ex concubina natum nomine Theodaldum Maiorem domus cum Dagoberto Rege constituit. Appendix Gregor. cap.103. Annales Metenses, Tiliani, &c. Theofridus in vita S. Vvillibrordi docet ab eodem Pippino munifico Principe sub chirographi conscriptione anno 4. (corrige tertio labente) 6. Nonas Martij Suestram seu Susteram villam in pago Mosariorum sitam, & à præterfluentis fluuij nomine dictam, traditam fuisse S. Vvillibrordo. Addit Brouuerus lib. 7. Annalium Treuirensium cauisse, vt in nepotum Grimoaldi & Drogonis filiorum tutelâ esset, & cùm propter magnitudinem morbi subnotare non posset, Plectrudi coniugi dedisse negotium, vt ipsa donationem subscribendo corroboraret. Idem verò Princeps iterum molestia corporali correptus, circumsitis gentibus Francorum dominationi subactis, in pace obiit die 16. Decembris, ex Annalibus Metensibus, nam Ephemerides Epternacenses & quidam Annales Francorum Kalendas Decembres notant. Rexit autem populum Francorum annis 27. & mensibus sex ab anno 687. Annales Fuldenses hunc annum rectè obseruant fuisse Anastasij Imp. 2. Quæ post mortem Pipini de turbis in regno Francorum excitatis narrantur Appendicis Gregorianæ cap. 104. ad annum seq. pertinent.* Constantinus Papa obiit die 9. Aprilis, cùm præfuisset Ecclesiæ annis 6. mense vno & diebus 2. Succedit post dies 40. die 22. vel vt alij 20. Maij Gregorius II. quem sedisse constat annos 16. menses 8. & dies 20. Saraceni Cordubam præ cæteris vrbibus Hispaniæ eligunt, in qua Palatium aulámque constituant. In locum Ioannis Patriarchæ C P. de gradu suo deiecti substitutus est S. Germanus ex sede Cyzicenâ in Regiam vrbem translatus, die, vt volunt Theophanes & Miscellæ auctor, 11. Augusti. Walid Saracenorum Principi, cùm 14. annos imperasset, succedit frater eius Soliman annis tribus.

Anno Christi DCCXV. *Dagoberti iunioris 4. cum quo in veteri quadam Annotatione ad calcem Appendicis Gregorianæ comparatur*

mense Augusto Indictio 13. finiens. Cùm Plectrudis omnia suo consilio ac regimine ageret, Franci mutuò in seditionem versi, commissa acie in Cocia silua contra Theudoaldum, & Leudes Pippini quondam atque Grimoaldi (sic enim legendum arbitror) iniere certamen, corrúitque ibi immodicus exercitus. Theudoaldus à sodalibus suis per fugam lapsus euasit. Eo tempore elegerunt in honorem Maioris domus Francum quemdam, nomine Raganfridum, commotóque exercitu hostili vsque ad Mosam fluuium properant, cuncta vastantes, & cum Radbodo Frisonum Duce fœdus inierunt. His diebus Carolus Dux à Plectrude sub custodia detentus Dei auxilio liberatus est. Hæc App. Gregor. capp. 104. & 105. Ex Annalibus autem Metensibus discimus. I. Theobaldum Grimoaldi ex concubina filium adhuc puerum non valuisse tantum regnum cum dignitate gubernare. II. Karolum, quem solum pater dignum haredem tantæ potestatis superstitem reliquerat, nouercales insidias grauiter toleraſſe. III. Plectrudem incomparabili odio contra Karolum succensam custodiâ eum publicâ custodiri iussisse. IV. Eandem dum crudeliùs, quàm oporteret, æstu fœmineo regni negotia disponere decreuisset, iram Neustriorum Francorum in nepotis sui interitum & eorum Principum, qui cum eo erant, celeriter conuertisse. V. Theodaldum paullò post pugnam in Cotia silua commissam vitam innocentem finiisse. VI. Veluti cùm Sol radios præclaros eclipsim ad modicum passos cuncto exerit orbi, sic Karolum Pippini dignissimum hæredem languentibus & pene desperantibus de salute populis robustissimum defensorem illuxisse. Plura ibidem leges. Dagobertus iunior Benigno Abbati Fontanellensi largitus est suggerente Theodaldo Maiore Domus Regiæ quartam partem de Arlauno foreste anno 5. (repone 4.) regni sui, Indict. 13. die 9. Iunij Dominica. Eadem quoque menda ex Tabulis Hugonis filij Drogonis & fratris Arnulfi apud Meurissium in Epp. Metensibus, & pluribus aliis codicibus eradenda, cùm enim certum sit apud magnos omnes minutósque Chronologos, saltem huiusce ætatis, Childebertum, non ante exeuntem annum 711. defunctum fuisse, qui fieri potest, vt filius eius Dagobertus anno 715. more Gallico aut ineunte apud Romanos anno Christi 716. obierit, & annos quinque solidos integrósque regnarit. quare ex omnibus arbitror certius ad veritatis scopum collimasse Auctorem Chronici Tiliani, in quo Dagobertus regnauisse dicitur annos 4. & obiisse in quinto. Eodem anno ex Annalibus Metensibus aliisque constat Saxones terram Hattariorum vastauisse. Anastasius II. siue Philartemius, post imperij biennium & menses 9. in ordinem redactus Thessalonicam in exilium relegatur, subíti-

tuto à militibus Theodosio III. siue Adramytteno quieto homine ac tributorum exactore, de quo plura Græci, & ex iis Anastasius, Miscella, alij. Gregorius Idibus Martiis dedit Capitulare quoddam Martiniano Ep. Georgio Presbytero, & aliis in Baioariam dimissis, in cuius subscriptione fit mentio Anastasij Augusti à Deo coronati anno Imperij eius secundo, vt docuimus aduersus Binium pag. 196. Chronici Technici. Idem Pontifex ereptas sibi à Duce Beneuentano Cumas ex insidiis recuperat, teste Anastasio Biblioth. in eius vita.

Anno Christi DCCXVI. *Regníque sui quinto ineunte, ægrotans Dagobertus Rex Francorum Iunior seu II. mortuus est, relicto filio Theoderico, qui post quinque annos ad regium honorem fuit à Carolo Martello è Calensi cœnobio euocatus. Alij diem obitus præscribunt* 19. *Ianuarij, alij volunt die* 23. *Decembris martyrio sublatum in silua Scoria pago Vaporacensi, deinde sepultum Sathanaci ad Mosam in æde Diui Remigij, vbi colitur die* 2. *Septembris. Plura ex Theofrido Epternacensi Abbate, ex Alberico Monacho Triumfontium Ord. Cisterciensis, aliisque subministrabit curioso Lectori R. P. Alexander Vultheimius Antiquitatum Belgicarum scrutator diligentissimus. Successit Dagoberto cognatus eius* CHILPERICVS II. *de quo hæc habet Auctor Appendicis Gregorianæ cap.* 106. *Franci Danielem quondam Clericum cæsarie capitis crescente in Regnum stabiliunt, atque Chilpericum nuncupant. Nec plura de eius origine ac parentibus nostrates omnes Historici scripsere, donec ex Virdunensi codice MS. qui in Bibliotheca Collegij Parisiensis seruatur in mundissimis membranis descriptus, prodiit à nobis primùm vulgatum diploma pro Abbatia Corbeiensi, quo natiuitatem huius Principis hactenus incompertam in Miscellaneis nostris curiosis cap.* 5. *§.* 2. *in Tabulis Genealogicis, & in Chronico Technico certam atque indubitatam omnibus fecimus, vt minus necesse sit pluribus de ea hoc loco disputare, aut plures chartas in medium producere, quibus probetur iam ab huius anni mensibus Martio & Aprili regnasse, vt nostra magis ac magis Chronologia firmetur. Fontanellensis ad manum se offert data* 25. *Martij anno primo regni Compendio tempore Benigni Abbatis: Cùm per præceptiones aui nostri Clodouei Regis, seu & auunculi nostri Clotarij & Theoderici, vel genitoris Childerici & parentum nostrorum Childeberti & Dagoberti, &c. Cùm verò audisset idem Chilpericus cum Raganfrido, inquit Auctor Annalium Metensium, quòd Karolus solium patris magna ex parte conscenderat, inuidia & terrore ducti exercitum aduersus eum congregant Radbodo suggerentes, vt ipse ex vnâ*

Chilpericus II.

parte ſuper eum irrueret, illi verò ex alterâ parte per Arduennam ſiluam in Ribuarios exercitum ducerent. Karolus Radbodo occurrit, initóque certamine, magnâ vtrimque ſtrage editâ, diſceſſit, paratóque maiori exercitu, & copiis in multas turmas diuiſis, ipſe per Arduennam ſiluam Amblauam villam aſcenſu ſuperat, & hora prandij, dum milites Chilperici, vt æſtiuum ſuadebat tempus, in tentoriis, & vmbraculis reſicerent corpora ſua, in eos irruit, multóſque in fugam conuertens iis, qui ad Eccleſiam confugerant, vitam conceſſit, & poſt Chilpericum per plana fugientem abire permiſit. Chilpericus cum laſſo exercitu Coloniam Vbiorum perrexit: quam cùm expugnare tentaret, & in ambiguo exitu certaminis perduraret, ac Caroli Principis aduentus die noctéque terreret, acceptis ab oppidanis muneribus, regni ſui tutamina, non victor, ſed profugus, celeritate, quâ potuit, penetrauit. Egbertus Preſbyter S. Columbæ monachos, qui in Hyenſi inſula degebant, die 29. Aug. ſabbato ad Romani Paſchatis obſeruationem perduxit, mansítque in ea inſula annos 13. De Maſalma & Saracenis plurima leges in Theophane, Anaſtaſio, Miſcella, Cedreno, &c. Falluntur verò, qui cum Baronio, Caluiſio, Miræo, aliíſque Leonis Iſaurici exordia ab huius anni Martio menſe repetunt.

Anno Chriſti DCCXVII. *Chilperici II. ſecundo, Karolus Princeps non immemor iniuriæ Chilperici, exercitum ab Oriente commouet, Carbonariámque ſiluam tranſiens, regnum eius magna ex parte depopulatus eſt. Quo comperto, Chilpericus cum Raginfrido Maiore domus ad defendendam patriam, illi in occurſum properat: & vterque exercitus caſtra metatus eſt in pago Cameracenſi iuxta villam, quæ dicitur Vinciacus (ea ſita haud procul Crepicordio oppido pertinere dicitur ad Cameracenſem S. Auberti Abbatiam) Commiſſa pugna eſt in Quadrageſimâ, die Dominicâ, quæ dicitur Paſſionis, 21. Martij, victórque Carolus in fugam lapſos ac terga vertentes Chilpericum, & Raganfridum Pariſios vſque perſecutus eſt, cunctáque illâ regione ſubactâ, cum proſperitate magna atque lætitia ad Orientales partes ſui imperij reuerſus eſt: Coloniámque vrbem ingreſſus paternis theſauris à Plectrude nouercâ ſuâ receptis in ſolio regni ſui digniſſimus hæres reſedit, vt cum Annalibus Metenſibus loquar: qui præterea monent Chilpericum, & Raganfredum legationem ad Eudonem Ducem Aquitanorum direxiſſe, eius auxilium poſtulaſſe, magníſque muneribus, vt cum eis Karolo reſiſteret, inuitaſſe. Iidem in Pariſienſi ciuitate die 24. Aprilis pro Glannofolienſi cœnobio priuilegium conceſſerunt, de quo in Miſcellaneis noſtris; necnon*

de simili diplomate, quod cùm ad pugnam properarent, monasterio sancti Dionysij Compendij pridie Kalendas Martias indultum fuit. Theodosius Adramyttenus imperio cessit elapsis anno vno & mensibus duobus, & in clericum cum filio attonsus Ephesi postea defunctus est. Leo Isaurus, qui & Conon & ☽ dictus est, militaribus suffragiis electus die 25. Martij huius anni inauguratus est Imperator ad annos 24. Masalmas vastatâ Thracia CP. obsidet die 24. Augusti. Leo Imp. cum classe armata igne Græco occurrit classi Solimanis Amiræ Damasci, eámque incendit ac disturbat: Moritur deinde 8. Octobris Ind. prima Soliman, succedente Omar ad annos duos. Cebredo Merciorum Regi succedit Edelualdus ad annos 40. Osredo quoque Nortumbriæ Regi Osricus annis 12. Pelagius in Asturiæ montibus collecto ex Christianis militibus exercitu, Saracenis resistere incipit, & regni Ouetani siue Legionensis fundamenta iacere. *Sanctus Rigobertus Remensis Archiep. qui Carolum Martellum de sacro fonte susceperat, cùm ad bellum properanti ingressum in Remorum vrbem negasset, ab eodem victore in exilium actus est, substituto in eius locum Milone quodam tonsurâ Clerico, qui moribus, actu, habitu irreligiosus, Episcopia Remense ac Treuirense per 40. circiter annos pessumdedit. De eo vide Hadriani I. ep. Hincmarum, Flodoardum, Hugonem Flauiniacensem in Chronico Virdunensi, quod nunc sub prælo iacet, aliósque. Sanctus Svvitbertus Bructuariorum Frisiorúmque Apostolus defunctus est in Vverda Cæsaris ad Rhenum insula Kalendis Martiis tribus annis post mortem Pipini de Herstallo. Non obiit tamen feria 6. vt habet Pseudo-Marcellinus apud Surium, sed feria 2. si annus 717. more Romano numeretur, vel feria 3. si more Gallico. nec Dominica dies, quâ in suo illo monasterio est sepultus, fuit tertia, sed sexta ab eius sancti viri obitu. Verùm tota hæc narratio pluribus scatet mendis, nec fidem meretur imperitus interpolator quisquis fuit. Idem post aliquot annos à Leone III. Romano Pontifice Carolo Magno Imp. multisque Francorum Optimatibus præsentibus in Sanctorum numerum relatus est. Sanctus Vvinocus Abbas die 6. Nouembris migrauit ad Dominum, in monasterio à se condito Bergis sepultus. Vide Miræum.*

Anno Christi DCCXVIII. *Chilperici II.* 3. *Eudo Dux Aquitanorum commoto exercitu Vasconum simul cum Chilperico, & Ragenfrido aduersus Carolum Principem arma corripit. Carolus autem, qui Clotarium sibi huius nominis IV. Regem, nomine, non pote-*

ſtate conſtituerat, intrepidus eis occurrere maturauit. Quod cùm audiſſet Eudo, territus fugit, Regémque Chilpericum ſublatis theſauris regalibus ſecum auexit. Carolus inſecutus eum vſque Pariſios Sequanam fluuium tranſit, & Aurelianos venit, ibíque caſtris poſitis Legatos ad Eudonem miſit, & vt ſibi Regem cum theſauris, quos abſtulerat, tranſmittere non tardaret, mandauit. Interim obiit Clotarius Rex, cuius mentio habetur in Chronico Fontanellenſi, vbi dicitur Hugo Drogonis filius dediſſe Vvitlanam villam anno primo Clotarij Regis, quem Carolus poſt fugam Chilperici ac Ragenfridi Regem ſibi ſtatuerat. Ipſe verò Eudo terrore perculſus verba Karoli Principis contemnere non audens, ſtatim ſibi Regem Chilpericum cum theſauris direxit. Suſcepto autem Rege Karolus miſericorditer erga ipſum egit, ſedémque illi Regalem ſub ſua ditione conceſſit. Hæc Annales Metenſes, quæ Appendix Gregoriana, cap. 107. Fuldenſes ſiue Pithœani, aliíque Annales in ſeq. annum differunt. Eodem anno Karolus vaſtauit Saxoniam plagâ magnâ, & peruenit vſque ad Vviſeram fluuium, omníque illâ regione ſubactâ ad propria victor reuerſus eſt. Idem Metenſes multa narrant de Vvinfrido Romam profecto, & auctoritate Gregorij Papæ in Franciam ad prædicandum verbum Dei miſſo. De Eclipſi Solis die 3. Iunij feria 6. ab hora diei 7. vſque in horam nonam præter citatos in Chronico Technico vide pag. 46. Sebaſtiani Salmanticenſis. Omar necquicquam oppugnata CP. obſidionem ſoluere coactus eſt die 15. Auguſti, eiúſque claſſis ferè tota in Ægæo mari periit. Sergius Protoſpatharius & Siciliæ Prætor cùm comperiſſet CP. à Saracenis obſideri, Imperatorem nouum coronauit, Tiberium nomine. Quo audito Leo Iſaurus Paulum Chartularium miſit, quo Syracuſam ingreſſo obſtupuit Sergius, & ad propinquos Calabriæ Langobardos confugit. Tyrannus verò aliíque ſeditioſi, partim occiſi, partim verberati aut tonſi, partim abſciſſis naribus in exilium deſtinati. Plura pro more Miſcella ex Theophanis fontibus. Idem Omar, terræ motu magno facto, ciuitatibus vinum inhibuiſſe dicitur, & Chriſtianos ad defectionem coëgiſſe: apoſtatas tributis eximebat, reſiſtentes verò variis ſuppliciis interimebat. Sanxit inſuper teſtimonium Chriſtiani aduerſus Saracenum minimè recipiendum, ſcripſítque ad Leonem Imp. epiſtolam dogmaticam, qua perſuaderet, vt à ſua fide recederet. Pelagius in Aſturicis montibus viginti millia Saracenorum trucidat, & regnare incipit ad annos 18.

Anno Christi DCCXIX. *Chilperici 4. quem hoc tantùm tempore cum multis muneribus ab Eudone ex Aquitania missum, & à Carolo receptum volunt App. Greg. cap. 107. Annales Fuldenses, aliique: dein in vrbem Nouiomum venisse, & post non multum tempus curſum vitæ & regnum amisisse, qua de re anno ſequenti. Interim Carolus congregato exercitu Rhenum transiit, Alamanniámque lustrans ad Danubium vſque peruenit, illóque traiecto, cum thesauris multis & matronâ quadam Plectrude, aliâ: Biltrude, & neptâ ſuâ Sonihilde, victor proprias ad ædes reuersus est ex Annalibus Metensibus. Tiliani aliique notant eodem anno Raibodum Ducem Frisiorum mortuum fuisse cùm annos 41 regnasset. Successit filius eius Adgillus ad annos 49.* Artemius, siue Anastasius nominis huius II. frustra tentato ope Bulgarorum in vrbem C P. reditu, ab iisdem Leoni proditus occiditur. Sub exitum eiusdem anni Indictione 3. iam inchoatâ, natus est Constantinus anno patris Leonis labente tertio, quem patre magis impium & Antichristi præcursorem vocat Auctor Miscellæ: ex quo etiam disces die Natali Christi Mariam Augustam fuisse coronatam ἐν τεικονίῳ, τῆ Αὐγουστίνης & processisse solam cum solenni obsequio sine viro suo ad Magnam Ecclesiam, atque oratione ante ingressum altaris effusa, transiisse ad baptisterium magnum, Augusto iam cum paucis familiaribus ingresso. Vbi cùm Germanus Patr. C P. solennes pro more baptismi ritus perageret, paruulus sacros in fontes stercus elisit infausto omine, ita vt S Antistes propheticè diceret: Constat maximi Christianis & Ecclesiæ mali per eum efficiendi hoc signum esse futurum. Hinc verò patet error Caluisij & aliorum qui baptismum Constantini Copronymi vno anno præuerterunt. S. Bonifacio potestatem prædicandi fidem per Germaniam dedit Gregorius Papa Idibus Maij Leonis imperij an. 3. Indict. 2.

Anno Christi DCCXX. *Chilpericus II. huius nominis, antea dictus Daniel, cùm quatuor annos regnasset, & delibasset quintum, Nouiomi sub hiemis, vt videtur, initium mortuus est. Successit illi à Carolo Martello constitutus in sedem regni Francorum Theodericus II. aliis IV. Cala vulgò dictus, quòd in Calensi villâ siue cœnobio fuisset educatus. Hunc Dagoberti fuisse filium plerique veteres scriptores asserunt Ercambertus. Scriptor de Maioribu domus Regiæ, Iperius, &c. nec diffitentur recentiores: Certè nec Chilperici II. fratrem, nec Childerici II. fuisse filium contra quàm sentire visus est vir eruditus in posteriore Dia-*

tribâ, apertissimè docet ipsemet Theodericus in diplomate pro Abbatia Sithiuensi Erkembodoni eius Abbati concesso, quando fecit Martius dies tres, anno primo regni nostri Suessionis ciuitate, hoc est anno Christianæ Epochæ 721. Illud edidit Miræus tum cap. 6. lib. 1. Diplom. Belgicorum, tum cap. 13. Notitiæ Ecclesiarum Belgij, habetúrque in Chronico Iperij, & in Archiuis S. Bertini, nósque hanc clausulam pag. 439. nostrorum Miscell. Præceptionem ipsius Principis proaui nostri Clodouei cum confirmationibus prædecessorum auunculorum nostrorum Clotarij & Childerici, seu auorum nostrorum Theoderici & Childeberti, atque consobrini nostri Chilperici quondam Regis, &c. vt mirum sit indagatores Antiquitatis sagacissimos hoc argumentum meridianis radiis illustrius præteriisse. Eodem anno quidam Annales referunt bellum habuisse Karolum contra Saxones. S. Siluinus apud Alciacum obiit die 17. Februarij sabbato. Petronax Brixianus ciuis euocatis Roma Monachis S. Benedicti cœnobium Cassinense instaurare aggreditur. Imperator filium suum Constantinum Indictione 3. ipso Paschatis festo die 31. Martij coronari iussit in Tribunali 19. Accubitorum S. Germano Patriarcha C P. solennes preces ac ritus obeunte. Omare mortuo Gizid Arabum Dux creatus est filius Habdimelich, qui quatuor annis præfuit.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCXXI. *Theoderici II. siue Calensis primo adhuc currente indultum est die 10. Nouembris priuilegium de terris quas S. Bertinus adhuc viuens emerat de fisco Regum, vt testatur Iperius. Expugnauit Eudo Saracenos de terra sua, inquiunt Annales breuissimi, cum Hepidanno Sangallensi mon. & aliis, cóque referenda arbitror, quæ de Zama duce ab Izit Rege Saracenorum misso in Galliam Narbonensem & in obsidione Tolosæ ab Eudone prælio victo atque interfecto leges apud Isidorum Pacensem Episcopum & Chronicon Moissiacense. Soma seu Zema Rex Saracenorum nono anno postquam Spaniam aggressi sunt, Narbonam obsidet, &c. pag. 137. Tomi III. Collectionis Duchesnianæ. Annales Fuldenses ex malè intellectâ Gregorij Turonensis Appendice scribunt Carolum hoc anno Saxoniam vastasse & dum Raganfridum persequitur Andegauos vrbem cepisse: quæ nos in annum 725. cum Metensibus differemus.* Concilium Romæ à Gregorio Papa celebratum fuit die 5. mensis Aprilis Indictione 4. Leonis Imp. non 6. sed 5. & Constantini filij eius 2. Quidam Syrus pseudo-Christus apparuit, & seduxit Iudæos, inquit Miscella. Ioannes Eboracensis Episcopus Bosæ viri multæ sanctitatis

ſanctitatis & humilitatis ſucceſſor, cùm in Epiſcopatu manſiſſet annis 33. cæleſtia regna conſcendit, ſepultúſque eſt in porticu S. Petri in monaſterio ſuo, quod dicitur in ſilua Deirorum, an. 721. inquit Beda extremo cap. 6 lib. 5. Hiſt. Angl.

Anno Chriſti DCCXXII. *Theoderici II.* 2. *Carolus Martellus Kal. ipſis Ianuarij in Hcriſtallio villâ publicâ dedit monaſterio, quod eſt infra muros in Traiecto caſtro conſtructum, vbi Apoſtolicus vir Vvillibrordus præeſſe dignoſcitur, omnem rem in fiſci ditionibus,* &c. *Diploma illud recitat Guillelmus Heda in Hiſtoria Epiſcoporum Vltraiectinorum, & ex eo Aubertus Miraus cap 3. lib. 2. Dipl. Belg. & cap 14. Notitiæ. Magnam fertilitatem & bella contra Aquilonem annotant Annales Nazariani aliique. At Fuldenſes Carolum ſcribunt Alamannos & Baioarios armis ſubegiſſe.* S. Bonifacius ordinatus à Rom. Pont. Epiſc. pridie Kalendas Decembres in feſto S. Andreæ Ind. 6 quam mendosè docuimus coniungi cum anno Leonis 7 & filij eius 4. Vide pag. 193. Chronici Technici, vbi de Epiſtolis Gregorij II. Papæ, quæ extant apud Baronium, Binium, ac Sirmondum, nonnulla aduertimus. Leo Imp. coëgit Hebræos & Montanos baptizari, vt Theophanes, Anaſt. Miſcella, Cedrenus, alij.

Anno Chriſti DCCXXIII. *Theoderici II.* 3. *die* 12. *Iulij in Gundulfi villa conceſſum eſt priuilegium Moarbachenſi Abbatiæ, quæ dicta eſt Viuarium peregrinorum, in quo memorantur Pirminius Ep. Eberardus Comes. Vide pag.* 440. *noſtrorum Miſcellaneorum. Annales Nazariani, & alij, Drogonis filios duos ligatos, & vnum mortuum narrant: Karlum verò infirmatum: Fuldenſes verò Alemannos & Noricos iterùm pacis iura temerare viſos fuiſſe.* Gizid ſeu Iezid Saracenorum princeps mortuus eſt anno Hegiræ 105. regni quarto, cùm paullò ante perſuaſus à Iudæo quodam malefico ex Laodicea maritimæ Phœnices oriundo edictum generale contra ſanctas imagines promulgaſſet. Succeſſit Haſtan filius Abdelmelech ad annos 20. Eodem quoque anno Beſer quidam ex Chriſtiano Mahometanus, & Nacoliæ Epiſcopus perditiſſimus, Leonis animum aduerſus cultum ſacrarum imaginum inflexiſſe dicuntur. Plura Theophanes, & ex eo alij.

Anno Chriſti DCCXXIV. *Theoderici II.* 4. *rebellaſſe aduerſus Carolum Andegauos teſtantur Annales plerique: Fuldenſes verò Carolum tranſito Ligere Eudonem fugaſſe vaſtata & incenſa regione eius, ſed ij aliquot annis anteuertunt.* S Bonifacius ad Chattos ſiue Haſſos, Thuringios, & Altſaxones Euangelium Chriſti prædicaturus

proficiſcitur, acceptis priùs à Carolo ſecuritatis literis quas vide inter Bonifacij epiſtolas, & Tomo I. Conciliorum Galliæ ante epiſtolam Gregorij II. Papæ ad eundem Bonifacium datam pridie Nonas Decembris, Leonis an. 8. poſt Conſ. eius an. 8. & Conſtantini 5. Ind. 8. De S. Pirminio ab eodem Papa in Augiam inſulam miſſo, eiuſque prædicatione, fundatiſque ab eo monaſteriis, vide fragmentum Alberti Argentinenſis Chronico in editione Chriſtophori Vrſtiſij præmiſſum, Hepidanni Annales, *&c.* neque enim minuta quæque vacat enucleare ſcrupuloſiùs. De Suprarbienſis regni fundamentis à Garſia quodam Gotho iactis multa Hieronymus Blanca, aliíque Hiſpani, quæ V. C. Arnaldus Oihenartus ad examen reuocauit. Nouus Arabum Rex anno Leonis 8. teſte Miſcella cœpit ædificare per ciuitates & regiones palatia, & nouales facere, & paradiſos, & aquas educere. Mouit etiam aciem contra Romaniam, multiſque eorum, qui ſecum erant, amiſſis reuerſus eſt. *Pro monaſterio Murbacenſi charta refertur data Metis in cœnobio ſancti Arnulfi Kal. Maij in qua & Indictionem & annum Theoderici vitio laborare arbitror.*

Anno Chriſti DCCXXV. *Theodorici II. 5. tranſactis fermè quinque annorum curſibus, inquit Auctor Annalium Metenſium, quem vt optimum Ducem ſequemur uſque ad annum 750. Ragenfridus quondam Maiordomus contra Carolum ſe erigere tentauit: contra quem Carolus exercitum duxit, & illum in ciuitate Andegauis incluſit: filiúmque eius obſidem ducens, ipſum illi Comitatum, quamdiu vixit, ſolita pietate habere conceſſit. Annales Nazariani aliíque referunt Hrothrudem mortuam, Bettonem mortuum, & Saracenos veniſſe primitus: Dein Carolum primùm pugnaſſe aduerſus Baioarios. Fuldenſes verò, Saracenos ab Eudone in auxilium vocatos cum Rege ſuo Abdirama Garumnam Burdigalámque peruenisſe cunctis locis vaſtatis, eccleſiíſque igne crematis, ipſam quoque ſancti Hilarij baſilicam Pictauis incendiſſe. De SS. Luglio Ep. eiúſque fratre Lugliano Hibernis tempore S. Baini Taruanenſis Ep. in territorio Morinenſi à ſicariis occiſis, eorúmque reliquiis Lillerij in Artheſia quieſcentibus, vide Miræum in Chronico Belgico, necnon de S. Richardo qui apud Anglo-Saxones natus Lucæ in Italia obiit.* Luitprandus Langobardorum Rex miſſis in Sardiniam Legatis S. Auguſtini Hipponenſis Ep. reliquias in Italiam transferri curauit, & in Ticinenſi ſeu Papienſi vrbe collocari die 28. Februarij Indictione 8. Extat eâ de re Maximi cuiuſdam

ſcriptum. Hoc anno Oſrici Nordanhumbrorum Regis 7. Victredus filius Egberti Rex Cantuariorum defunctus eſt nono die Kalendarum Maiarum, & regni, quod per 34. & ſemis annos tenebat, filios tres Edilbertum, Eadbertum & Aldricum reliquit hæredes. Hæc Beda cap. vltimo lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gentis Anglorum. Leo impius Imperator anno imperij ſui nono cœpit contra ſanctas & venerabiles imagines facere verbum. Quod cùm didiciſſet Gregorius Papa, inquit Miſcellæ auctor, tributa Romanæ vrbis prohibuit & Italiæ, ſcribens ad Leonem epiſtolam dogmaticam: non oportere Imperatorem de fide facere verbum, & nouitate violare antiqua dogmata Eccleſiæ Catholicæ, quæ à SS. Patribus ſunt prædicata. Sed de his ac ſimilibus conſule ſis Baronium, Bellarminum, *&c.*

Anno Chriſti DCCXXVI. *Theodorici II. 6. multa diplomata conſignata fuiſſe reperimus apud Miræum. I. Iulij die 9. II. 20. Octobris. III. Teſtamentum S. Vvillibrordi, vt monuimus in Miſcellaneis. Annales Fuldenſes volunt Carolum hoc anno Sarracenis cum manu valida occurrentem, & auxilio Dei fretum, Regem eorum Abdiramam cum infinita multitudine proſtrauiſſe, deuictiſque hoſtibus cum triumpho regreſſum. Hanc opinionem Baronius, Caluiſius, Bucherius, Miræus, & plerique ſequuti ſunt: nos in annum 732. differemus cum Annalibus Metenſibus & antiquioribus Chronicis. Nam de Appendice Gregorij Turonenſis, quæ Fredegario paſſim tribuitur, nihil eſt quod ſolliciti ſimus, cùm per annos diſtincti non ſint euentus rerum. Gregorius II. Papa reſpondit ad varias S. Bonifacij interrogationes, & conſulta die 22. Nouembris anno Leonis 10. Conſtantini eius filij 7. Indictione 10. Auctor Geſtorum à Franciæ Regibus, aut vixit, aut vixiſſe videri voluit hoc tempore. Quod enim de Theoderico dixit; qui vſque nunc in regno ſubſiſtit, haud multum abſimile iis, quæ habet Appendix Gregoriana: Qui nunc locum ſolij Regalis obtinuit annis vitæ ſimul protelatis. Continuator Aimoini Monachus S. Germani Pratenſis ſic more ſibi familiari quaſi ipſe præſens non duodecimo tantùm, ſed pluribus ſæculis interfuiſſet, expreſſit: Qui nunc ſexto anno in regno ſubſiſtit: ex quibus verbis Ercambertum volunt incertæ ſibi ætatis ſcriptorem in fragmento de Maioribus domus annos dumtaxat ſex Theoderico tribuiſſe. Quanquam aliam nos quoque deſperato huic loco medicinam admouimus in noſtris Elogiis & Chronico Technico pag. 200. Quæ ſi vera eſt, in dubium reuocauerit nemo, quin Ercambertus anno 740. ſcripſerit.* Tobias Roſ-

fensis Eccleſiæ Præſul vir doctiſſimus obiit, teſte Beda cap. vltimo, vbi tradit Theodori Archiepiſcopi & Adriani Abbatis diſcipulum tam notas & familiares ſibi habuiſſe Græcam Latinámque linguas, quàm natiuitatis ſuæ loquelam. Miſcella anno 10. Leonis docet I. Maſalmam Saracenorum Ducem contra Romaniam, (id eſt Romanum Imperium, non verò, vt habet Caluiſius, Romandiolam) mouiſſe exercitum, & Cæſaream Cappadociæ cepiſſe. II. æſtiuo tempore vaporem, vt ex camino, viſum eſſe ebullire inter Theram & Therasiam inſulas ex profundo maris per aliquot dies: dein pumices grandes tranſmiſiſſe per totam minorem Aſiam, & Leſbon, & Abydum, & maritima Macedoniæ, ita vt tota ſuperficies maris his pumicibus eſſet repleta. In medio autem tanti ignis ex terræ congerie inſulam, quæ Sacra dicitur, copulatam fuiſſe. III. Populum, qui in Regia vrbe morabatur, valdè triſtem ſuper nouis doctrinis voluiſſe aduerſus Imperatorem inſurgere, & quoſdam Regios homines occidiſſe, Dei deponentes icona, quæ ſuper magnam Æneam portam poſita cernebatur. adeò vt multi eorum pro veritate punirentur membrorum detruncationibus, & flagris, & exiliis, & rerum iacturis, ita vt etiam eruditionum ſcholas vſque à Conſtantino Magno ſeruatas extingueret. Quæ verò ad Gregorium Pontificem ſpectant, ſuggerent Anaſtaſius, Baronius, *&c.*

Anno Chriſti DCCXXVII. *Theoderici II. 7. ſi quæ fides Annalibus Fuldenſibus, Carolus Burgundiam petens Lugdunum, & ciuitates reliquas ditioni ſuæ ſubegit. Annales ab anno 708. ad 800. Danielem ferunt in Atiniaco mortuum, ſed quis ille ſit perinde ac Martinus, cuius mortem anno ſuperiori collocant, fateor me neſcire. S. Hubertus Epiſcopus, & patronus Leodicenſium ſingularis, migrauit ad Chriſtum die 30. Maij feria 6. & modò quieſcit in Abbatia ſui nominis in Arduennâ ſiluâ. Vide vitam eius ſcriptam à Iona Aurelianenſi, vt ferunt, Epiſcopo, quæque ad eius illuſtrationem contulit noſter Ioannes Roberti, aliique Scriptores Belgæ atque Germani. Corpus eius anno ab obitu eius 16. Carlomanni ac Pippini fratrum à morte patris Caroli tertio, die Dominica, tertia Nouembris eleuatum fuit. Quæ cum aliis aliàs à nobis vulgatis oſtendunt non ante anni 744. initium Childericum à Carolomanno & Pippino fratribus in Regis ſolium ſublimatum: quâ de re poſtea dicendum erit. Succeſſit S. Huberto in Epiſcopatu Florebertus filius eius. S. Villeicus Preſbyter S. Suitberti ſocius, & in regi-*

mine Vverderſis cœnobij ſucceſſor, hoc quoque anno defunctus eſt, teſte Miræo. Agallianus Turmarcha Helladicorum militiæ Dux, Stephanus, aliíque naualium exercituum ductores diuino zelo moti aduerſus Imperatorem proximantes Regiæ vrbi die 18. Aprilis decimæ Indictionis ſuperati ſunt à Byzantiis, nauibus eorum concrematis. Agallianus armatus ſeipſum præcipitauit: Coſmas & Stephanus capite plexi. Saracenorum duo Duces Nicæam Bithyniæ fruſtra obſident circa æſtiuum ſolſtitium eiuſdem Indictionis. Legant verò recentes noſtri Iconoclaſtæ, ſi vacat, infelicem interitum Conſtantini cuiuſdam Stratoris Artabaſdi, qui aduerſus imaginem Dei genitricis apprehenſum lapidem proiecit & contriuit, cúmque cecidiſſet, calcauit: vtque viderit in ſomnis aſtantem ſibi Dominam noſtram, & dicentem: Noſti quam fortem cauſam in me operatus fueris? Verùm contra caput tuum hoc feciſti. Legant quoque & expendant ſequentia Auctoris verba: Ex hoc tempore Leo impudenter beato Germano Patriarchæ CP. derogabat, accuſans omnes anteceſſores ſuos Principes, atque Pontifices, & populos Chriſtianos, quaſi idololatræ fuerint ſuper orationem ſanctarum ac venerabilium iconum, non capiens idiota infidelitate captus de affectuali oratione ſermones. Hæc ille.

Anno Chriſti DCCXXVIII. *Theodorici II.* 8. *Karolus fuit in Saxonia & Hidulfus ſiue Hadulfus Epiſcopus mortuus eſt, vt habent Annales breues ab anno* 708. *ad* 800. *Tiliani verò Carolum ſecundâ vice in Baioaria pugnaſſe aſſerunt, vt minùs verum videatur, quod Fuldenſes inſinuant, Eudonem Ducem mortuum eſſe, & Carlum Aquitaniæ prouinciam abſque bello recepiſſe.* De S. Ioanne cognomento Chryſorrhoâ, Damaſci in aula Saracenici Principis in magnâ dignitate conſtituto, & artibus Leonis Imp. Iconomachi ex ea cum ignominia eiecto, vide Cedrenum, & auctores vitæ illius. Filius Chagani Cazariæ Principis Gradacum Arabum Prætorem trucidauit, & depopulatus Armenorum Medorúmque regiones ingentem Arabibus metum incuſſit.

Anno Chriſti DCCXXIX. *Theodorici II.* 9. *Carolum voluiſſe pergere in Saxoniam quidam Annales tradunt: Fuldenſes verò pronuntiant Carlum nauali euectione Regnum Freſonum ingreſſum interfectis quamplurimis Popponem Ducem eorum interemiſſe, ſubuerſíſque locis & fanis victorem cum præda magna reuertiſſe. S. Bainus*

Morinensis Ep. corpora SS. Ansberti, Vvandregisili & Vulfranni eleuat & transfert. In Chronico Technico ex Bedæ libri vltimi capp. 23. & 24. docuimus Ecgbertum die Paschatis 24. Aprilis in Hya insula obiisse & Osricum Regem Nordanhumbrorum die 9. Maij, cùm mense Ianuario duo Cometæ apparuissent circa Solem, & grauissima Saracenorum lues Gallias miserâ cæde vastaret. Quod verò addit non multò pòst in eadem prouinciâ dignas suæ perfidiæ pœnas luisse, hoc videtur spectare annum 732. quo in Turonensibus agris & Carolo Martello Saraceni vix creditâ posteris strage profligati sunt. Anno 13. Leonis Musalmas aduersus Turcos castra mouit, & post mutuam cædem metu perterritus fugiénsque in montes Cazariæ, reuersus est. Plura in eadem Miscella leges de colloquio S. Germani P. CP. cum misero Conone Antichristi præcursore, & diuinæ Incarnationis euersore, qui sæuus tyrannus beato viro minas prætendebat instar Herodis percussoris: necnon de impio Anastasio Syncello Germani, eiusque successore: denique de Gregorio sanctissimo viro Apostolico senioris Romæ & Petri Apostolorum Principis confessore, verbo & actu coruscо, qui remouisse dicitur Romam & Italiam, nec non & omnia tam reipublicæ, quàm Ecclesiastica iura in Hesperiis, ab obedientia Leonis, & imperij sub eo constituti.

Anno Christi DCCXXX. *Theoderici II.* 10. *Carolus pugnauit in Suauiâ contra Lantfridum, quem Nazariani Annales mortuum, hoc est occisum, fuisse asserunt. Fuldenses Auenionem à Saracenis collecto exercitu captam & circumquaque regiones deuastatas contendunt. Hugo Drogonis filius Pippini nepos Archiepiscopus Rotomagensis, & Baiocensis, ac Parisiacæ Ecclesiarum rector siue procurator, atque Abbas Fontanellensis, sanctè obiit die 8. Aprilis Indictione XIII. ex Chronico Fontanellensi, cuius verba ab Henschenio allegata pag. 209. eruditissimæ Diatribæ de tribus Dagobertis castigatione indigent, dum asserit Præsulatus illos extra decreta Canonum tenuisse factione patris (legendum haud dubio patrui sui, Carolus enim Pippini filius & frater Drogonis fuit ex alia coniuge) Caroli Principis.* Errat Miræus, dum ait S. Germanum P. CP. acerrimum sacrarum imaginum propugnatorem scriptísque clarum hoc anno fuisse mortuum. Illud enim dumtaxat asserendum fuit hunc sanctissimum virum in tribunali decem & nouem accubituum coram impio Leone abrenunciasse summum sacerdotium pallio tradito die Ianuarij 7. feria 7. (non 3. vt habent Theophanes & Miscella)

& ſeceſſiſſe in paternam domum, cùm ſediſſet annos 14. menſes 5. dies 7. die verò eiuſdem Ianuarij 22. ſubſtitutum ei fuiſſe Anaſtaſium, quem Gregorius Papa abiecit. Addunt multos Clericos Monachos Laicóſque pro cultu venerabilium imaginum perſecutionem fuiſſe paſſos, & Muſalmam in Cappadocia dolo cepiſſe Curſianum caſtrum. Tiberius quidam in Italia tyrannidem arripit, & ab Eutychio Exarcho victus cæſo capite & CP. miſſo meritas pœnas luit. Vide Anaſtaſium plura diſſerentem in Gregorio II.

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCXXXI. *Theoderici II. Francorum Monarchæ* 11. *lapſis curriculis annorum ſex à Raganfridi rebellione repreſſa, Eudo Dux Aquitanorum à iure fœderis, quod Karolo Principi promiſerat, receſſit. Quo comperto, Carolus exercitum congregans Ligerim fluuium tranſiit, & Eudone fugato bis Aquitaniam populatus eſt, multíſque theſauris ſublatis, ad proprias ſedes Principatus ſui cum gaudio remeauit: Hæc Annales Metenſes. Nazariani addunt Ragenfridi mortem, ſed in hoc errant, quod Bedam Preſbyterum Anglorum eodem anno obiiſſe profiteantur. Fuldenſes alia omnia loquuntur, & Auenionem à Carolo magnâ Saracenorum ſtrage receptam prædicant.* Gregorius II. Papa obiit die 11. Februarij poſt ſedem annorum 16. menſium 8. & dierum 20. Succedit Gregorius III. natione Syrus, à Græcis pleriſque Dialogus dictus, creatus die 16. eiuſdem menſis. De eius epiſtolis, quas poſt Baronium Binius, aliíque nonnulli Gregorio deceſſori tribuunt, plura, quàm forte pro inſtituto obſeruauimus in Chronico Technico. Ven. Beda hoc anno ætatis ſuæ 59. ab aduentu Anglorum in Britanniam circiter 285. finem impoſuit Hiſtoriæ ſuæ ſaltem poſt diem 10. Iunij, eámque Dominicam, quâ Tacuinus memoratur conſecratus in Archiepiſcopum Cantuarienſem, ſucceſſor Bertwaldi, qui longâ conſumptus ætate defunctus fuerat die 9. Ianuarij, poſtquam ſediſſet annis 37. menſ. 6. diebus 14. Reliqua eodem cap. vltimo pertractata ſtudioſis Lectoribus conſulere non erit iniucundum, vt ſpero, nec infructuoſum. Primus enim, aut certè vnus eſſe videtur ex primis, qui res geſtas præteritorum temporum ad annos Dominicæ Incarnationis ſecundùm vulgarem Dionyſij Exigui epocham exegit, quem deinde morem ſequuti ſunt plerique omnes Chriſtiani Tractatores. Maſal-

mas anno 15. Leonis castra mouit aduersus Turciam, cúmque peruenisset vsque ad Caspias portas, metuens inde reuersus est.

Anno Christi DCCXXXII. *Theodorici II.* 12. *Adela siue Addula, S. Irminæ & Regentrudis soror, filia Dagoberti Austrasiorum Regis, condidit cœnobium Virginum Palatiolum dictum ad ripam Mosellæ fluminis testamento facto Kal. Aprilis, in quo meminit Alberici dulcissimi filij. Editum est à Brouuero pag.* 430. *Antiquitatum Treuirensium, & ab Henschenio cap.* 14. *lib.* 2. *de tribus Dagobertis, vbi decessisse è viuis ait Adelam illam sub hocce nostro Theoderico, cùm tamen pag. seq. ex vita S. Gregorij, qui Vltraiectinæ sedi vice Episcopi præfuit Presbyter, à S. Ludgero eius discipulo conscriptâ, referat adhuc illam Abbatissam vixisse anno* 754. *quo die* 5. *Iunij passus est in Frisia S. Bonifacius : Per idem tempus puer Gregorius quasi* 14. *agens ætatis annum, venit ad auiam suam, id est ad matrem patris sui Albrici, supradictam Abbatissam, Deum timentem Addulam, & dimisit eum ire cum sancto Magistro in opus quod compleuerunt simul vsque ad martyrium eius,* &c. *Eudo Dux cernens se esse superatum, & viribus imparem, Saracenos ad auxiliandum sibi inuitat : qui cum Abdirama Rege Garumnam transeunt, Burdigalam perueniunt, ibíque Ecclesiis igne concrematis, plurimisque Christianis interfectis, vsque ad Pictauam vrbem profecti sunt, succensáque S. Hilarij basilica, cùm ad S. Martini subuertendam Ecclesiam summo conamine contenderent, à Carolo Martello ad internecionem cum ipso suo Rege deleti sunt. Annales Metenses docent Karolum iuxta Pictauam vrbem, alij in Turonensibus campis, aciem instruxisse, & super eos inuocato Christi auxilio irruisse intrepidum, acceptísque spoliis eorum, totâ iam Aquitaniâ subactâ, ad propria reuersum : Nazariani referunt Carolum pugnasse contra Sarcinos die sabbato ad Pictauis, quibus alij addunt mensem Octobrem. Sunt qui testentur Eudonem Carolo reconciliatum castra Saracenorum irrupisse, & reliquias eorum contriuisse. Paullus Varnefridus Diaconus lib.* 6. *Historiæ Langobardorum cap.* 46. *ait interempta ex parte Saracenorum trecenta septuaginta quinque millia : ex Francis verò cecidisse tantùm mille & quingentos. Fuldenses, ne nihil dicerent, Carolum volunt hoc anno Gothorum fines penetrantem Narbonem obsedisse, Rege Saracenorum Athirnâ intus incluso : dein tribus annis consequentibus : Saracenos de Hispaniâ, audientes vrbem obsessam, armatos superuenisse, & Carolum contra eos dimicantem Regem cum populo vsque ad internecionem deleuisse, Saracenos à Carolo in bello superatos, qui gladium effugere poterant, ascensis*

nauibus

nauibus demersos in mari : Francos Carlo duce Saracenos protriuisse, &c. quæ in plures annos digessit. Gregorius Papa Concilio Romæ celebrato in causâ Imaginum legationem mittit C P. ad Imperatorem, sed nihil profecit, vt videre est apud Anastasium. Miscella verò docet. I. Leonem filio suo Constantino vxorem dedisse Irenem filiam Chagani Cazarorum, quæ cùm sacras literas didicisset, pietati dans operam claruit, hos impietatis redarguens. II. Muhauiam è Paphlagonia cum prædâ multâ rediisse. III. Imperatorem contra Papam atque recessum Romæ & Italiæ sæuiisse, & aduersus eum classem magnam direxisse. IV. tributa capitalia Thraciæ parti Siciliæ ac Calabriæ superimposuisse. V. Patrimonia, quæ dicuntur SS. Principum Apostolorum, quæque olim Ecclesiis auri dimidium & tria conferebant talenta, publicæ rationi exolui præcepisse. VI. describere natos mares iussisse instar Pharaonis, quod nec ipsi tentarunt Arabes.

Anno Christi DCCXXXIII. *Theodorici II.* 13. *Carolus Princeps regionem Burgundiæ cum validâ manu penetrauit Massiliam & Arelatem vsque, finésque illius Leudibus suis probatissimis viris atque industriis ad resistendum infidelibus statuit : Lugdunum quoque in Galliâ fidelibus suis tradidit, firmatisque fœderibus induciariis inde victor reuersus ad propria rediit, in omnibus sese sapienter & fiducialiter agens.* Eclipsis Solis die 14. Augusti memoratur Continuatori Bedæ. Gregorius alios Legatos ad Imp. mittit, sed absque vllo fructu. Theodorus Mansur in exilium missus est apud Climata eremi: factum est signum in cælo igneum resplendens, & Muhauias Asiam depopulatus est: Hæc Auctor Miscellæ, qui in eo grauiter peccauit, quod Zachariam hoc anno statuat Romanum Pontificem.

Anno Christi DCCXXXIV. *Theodorici II.* 14 *labente, Brandolenus Presbyter chartam S. Benigni Diuionensis scripsit, & notauit die sabbati proximo ante medium mensem Aprilem, hoc est ipso* 15. *die. Carolus profectus in Frisiam rebelles omnes trucidauit, cæterósque acceptis obsidibus suæ ditioni subiugauit. Ann. Metenses, Nazariani, aliíque, vt Hermannus Contractus, qui etiam obseruat Heddonem siue Heddum Argentoratensibus eodem tempore creatum Episcopum.* Eclipsis Lunæ die 24. Ianuarij in Appendice Ven. Bedæ, de cuius morte vel hoc anno, vel sequenti, vel 742. aut etiam ex opinione Baronij seriùs multò collocanda, disputant acriter in-

ter se Chronologi. Sandoualius post Isidorum Pacensem, & alios pag. 87. refert chartam Albaceni Regis Conimbricensis æra de Christianis 772. secundùm verò annos Arabum CXLVII. (corrige CXVI.) Luna XIII. Dulhiia, &c.

Anno Christi DCCXXXV. *Theoderici II.* 15. *Eudo Dux mortuus est, inquit Auctor Annalium Metensium. Quod cùm audisset Carolus adunato exercitu Ligerim fluuium transiit, & Burdegalam ad Garumnam, ac Blauia castra occupauit, illámque regionem cepit ac subiugauit cum vrbibus ac suburbanis castrorum: Ducatúmque illum solitâ pietate Hunaldo filio Eudonis dedit. qui sibi & filius suis Pippino, & Carolomanno fidem promisit. Eudonis mortem Fuldenses anno 728. illigant, quem tamen Gesta MS. Pontificum Antisiodorensium, Miracula S. Austregisili Bitur. Archiep. aliáque vetustatis monumenta superstitem fuisse vsque ad Pippini tempora insinuant. At de his satis. Inter chartas cœnobij S. Galli vna reperitur, cuius hæc refertur clausula: Feci mense Iunio 5. Kal. Iulias anno 15. regnante Theodorico super Carolum Maiorem domus. Vide pag. 48. Tomi III. Rerum Alamannicarum. Miræus Sirmondum Petauiúmque pro more sequutus Theodericum II. hoc anno obiisse tradit, & interregnum 7. annorum ex eo capite minùs accuratè deducit.*

Anno Christi DCCXXXVI. *incunte, Collector Appendicis Gregorianæ, qui Fredegarius vulgò dicitur, scribebat, quæ habentur cap. 109. Ab initio Mundi vsque ad Passionem D. N. I. C. anni 5538. & à Passione Domini vsque in istum annum præsentem (Christianæ epochæ 735. more Gallico, vel 736. more Romano) in cyclo Victorij anni 177. Kalendis Ianuariis die Dominica, & vt istud millenarium compleatur, restant anni 265. Aimoini continuatori lib. 4. cap. 54. rectè hic annus dicitur Martelli 19. scilicet à pugnâ Vinciacensi. Hoc verò anno Theoderici Regis 16. narrat Auctor Metensium Annalium, I. Cùm perfida Frisionum gens fidem promissam fraudare conaretur, Carolum nauali euectione præparasse exercitum, altúmque mare ingressum copiâ nauium adunatâ, ad Vistriamchi & Vastrachiam insulas peruenisse, tum super Bordinem seu Burdonem fluuium castris positis Popponem gentilem Ducem illorum interfecisse, exercitum prostrasse, fana destruxisse, & cum innumerabilibus copiis Christo auspice ad propria reuertisse. II. eundem Principem Burgundiam adiisse, Lugdunum Galliæ vrbem munitissimam suæ ditioni cum maioribus natu & Præfectis subegisse, Massiliam vsque atque Arelatem penetrasse, suísque Ducibus omnia in potestate tradidisse. III. eundem collecto exercitu Sa-*

xoniam bello contriuisse, sibique tributariam fecisse. Addit Appendicis Greg. collector, quisquis est, Carolum, vbi Luppia fluuius Rhenum amnem ingreditur, transmeasse in Germaniam & obsides quamplures accepisse. Fuldenses verò Carolum cum Francis regionem Gothicam ingressum vrbes famosissimas Nemausum, Agathen, & reliqua castella cepisse destructis muris, & mœniis earum vsque ad fundamenta. Quis autem sit Hatto ille ligatus in Nazarianis quæro; & quis Audoinus Episcopus mortuus in Tilianis. Edilberto Cantuariorum Regi succedit frater Edbertus ad annos 24.

Anno Christi DCCXXXVII. *Theodericus Francorum Rex hoc anno obiit regni 17. cuius mentio in diplomate S. Benigni Diuionensis, quod Ansfridus scripsit & notauit die Veneris mense Martio. Post huius mortem cœpit celebre illud annorum septem Interuallum, quo sub Carolo Martello, eiusque filiis Pippino & Carolomanno, nullus alius Rex in regno Francorum extitit. Consule sis Lector studiose pag. 198. & seqq. Chronici nostri Technici Annotationem illam perneccssariam de Tempore Theoderici II. Regis Francorum, & de septem ann. Interregno ante Childerici II. inaugurationem: Elogia quoque Regum Francorum cum Miscellaneis curiosis & chartarum veterum Sylloge à nobis ante aliquot annos vulgata, ex quibus gaudeo plurima arrisisse Henschenio nostro, aliisque Magnis viris, qui ingenuè professi sunt nec pauca, nec vulgaria ad Francicam Historiam spectantia è tenebris densissimis in apertam lucem nostrâ primùm, quantulacumque est, sollertiâ emersisse. Ipse quoque Chifletius, quamuis dissimulet, in Anastasi Childericianâ non alio ex fonte hausit, cùm alia, tum Diploma Chilperici II. pro cœnobio Corbeiensi datum sub die tertio Kalendas Maij Compendio, &c. neque enim Sirmondus in notis ad Tomum I. Conciliorum Galliæ, neque Petauius, neque Sammarthani fratres, tempus concessi illius priuilegij vmquam vulgarunt, sibique Chilpericum illum Childerico genitum ignotum prorsus fuisse expressis verbis docuerunt: primusque quod sciam, eundem illum esse, qui antea Daniel Clericus dicebatur, & Dagoberto Iuniori Childeberti Iusti filio anno 716. à Raganfrido suffectus est, ad posteritatis memoriam typis mandaui, atque insigni illo antiquitatis χειμηλίῳ, quod in antiquis membranis nitidissimè exaratis seruatur, aliisque probationibus confirmare aggressus sum. Verùm Annales Metenses, aliique ad se nos reuocant. Nunciatum est inuicto Karolo Principi, quòd sæua gens Saracenorum obtenta Septimania & Gothia in partes iam Prouinciæ irruissent, castrúmque munitissimum Auenionem per fraudem Prouincialium Comitum (Mauronti præsertim) obtinuissent. Qua-*

propter exercitum congregans, illuc iter direxit, machiníſque compoſitis vrbem diruit, & cum habitatoribus igne & gladio conſumpſit, Rhodanum fluuium tranſiit, Gothorum fines penetrauit, Narbonam celeberrimam vrbem caſtris circumcinxit, ſuper Atace fl munitionem inſtruxit, Regem Saracenorum nomine Adthima cum ſatellitibus ſuis ibidem recluſit. Hæc audientes Saraceni, qui morabantur in Hiſpaniâ, collecto exercitu, cum alio Rege, nomine Amormachâ, aduerſus Carolum arma corripiunt. Contra quos, Narboná ſub cuſtodia derelictâ, in loco, qui vocatur Birra, in valle Corbariâ, ſeptimo ab vrbe milliario, intrepidus occurrit: vbi diuinâ miſericordiâ ſuccurrente, pugnâ commiſſâ victor extitit, Regem interemit, exercitum deleuit, ſpoliíſque ditatus relictâ circa Narbonam cuſtodiâ remeauit in Francíam. Addunt Nazariani Annales, Hepidannus, & Adreualdus lib. 1. Miraculorum ſancti Benedicti pugnatum fuiſſe in Gothia die Dominico. Appendix Greg. aliíque aſſerunt Nemauſum, Agatham, Biterras tunc fuiſſe dirutas, quibus Geruaſius Tilleberienſis adiicit Magalonam. Ceolfus Nordhumbrorum Rex, cui Beda ſuam dicarat Hiſtoriam, ſponte Monachum induit poſt 8. regni annos. Succeſſit frater eius Eadwertus annis 21. Vide Epitomen Bedæ additam, aliósque ſcriptores Anglicanos. Occiſo à Venetis Vrſino Duce, qui ſe omnibus exoſum fecerat, ſubſtituitur Dominicus Leo cum annuo dumtaxat Magiſtratu.

Anno Chriſti DCCXXXVIII. *Interregni* 2. *Carolus Rhenum tranſiens, Saxoniámque hoſtiliter inuadens, Saxones obſidibus acceptis propriæ reſtituit ditioni, ipsóſque iterum tributarios fecit.* Rechefius Dux Foroiulienſis Sclauinos viciſſe dicitur. Leonem apud Venetos excepiſſe dicitur Felix Cornicula cognominatus, Dux ſiue Magiſter militiæ in annum tantùm creatus, quo elapſo Theodatus ſucceſſit, aliíque deinceps.

Anno Chriſti DCCXXXIX. *Interregni* 3. *Carolus Princeps germanum ſuum virum induſtrium Childebrandum Ducem, cum pluribus Ducibus & Comitibus, validóque exercitu in Prouinciam mittit, quos deinde ſequutus Auenionem iterum cepit, totáque Prouinciâ vſque ad littus maris peragratâ Maſſiliam peruenit, fugatóque Duce Maurontо, qui Saracenos in ſuæ perfidiæ præſidium aſciuerat, regionem illam Francorum imperio ſubiugauit, reuerſúſque ægrotare cœpit in Vermeriâ palatio ſuper Iſaram fluuium.* De Tranſamundo Duce Spoletano & obſidione Romanæ vrbis à Luitprando Langobardorum Rege conſule Anaſtaſium Bibliothecarium in

Gregorio III. cuius extat epistola ad S. Bonifacium data die 29. Octobris Indictione 8. Leonis anno 23.

Anno Christi DCCXL. *Interregni 4. Carolus deuictis in circuitu Francorum hostibus interiora regni cum pace disponens in nullam partem exercitum duxit: ideóque Annales quidam hunc annum notant sine hostilitate vllâ, vel sine hoste fuisse: Fuldenses verò eleganter: Pax & quies regno Francorum per Carlum redditur ad tempus, Gothis superatis, Saxonibus & Fresonibus subactis, expulsis Saracenis, Prouincialibus receptis. Sacratissimus Paschalis ordo turbatus est, & in Sole Luna & stellis noua signa apparuere.* Indictione 8. mense Maio Leonis Imp. non 22. sed 24. anno iam inchoato Zubrimim seu Soliman Saracenorum Princeps exercitum 80. millium aduersus Romanos educit, & spoliis ditatus domum rediit. Indictione verò 9. die 26. Octobris feria 4. hora 8. terribili motu terræ CP. & in Asia ac Thraciâ plurima corruerunt, vt fusiùs edocent Theophanes, Anastasius, Miscella, Cedrenus, alij, qui annum hunc variis characteribus designant. *De Legationibus à Romano Pontifice ad Carolum missis dicemus anno seq. cum Annalibus Metensibus.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCXLI. *Interregni 5. Carolus Princeps domitis circumquaque positis Gentibus, dum ea, quæ pacis erant, disponit, geminam legationem beatissimi Gregorij Papæ ab Apostolica sede directam suscepit: qui sibi claues Sepulcri Principis Apostolorum, eiusdémque pretiosa vincula cum muneribus magnis obtulerunt. quod antea nulli Francorum Principi à quolibet Præsule Romanæ Vrbis directum fuit. Epistolam quoque decreto Romanorum Procerum miserat Pontifex, quod sese populus Romanus relicta Imperatoris dominatione ad suam defensionem & inuictam clementiam conuertere voluisset. Ipse verò his omnibus cum gaudio & gratiarum actione Domino repensis, cum maioribus muneribus Legatos ad propria direxit. Viros quoque religiosos ex suis fidelibus cum magnis muneribus ad limina B. Petri anno eodem misit, Grimonem Corbeiensis Monasterij Abbatem, & Sigibertum Reclusum basilicæ sancti Dionysij Martyris, & per eos omnia scriptis epistolis destinauit. Eodem anno cùm se ægrotare cerneret, congregatis in vnum omnibus Optimatibus suis Principatum suum inter filios suos æqua lance diuisit. Primogenito suo Karolomanno Austriam, Alamanniam, Thuringiámque subiugauit. Filio verò iuniori Pippino Neustriam, Burgundiam, Prouinciámque concessit. His*

ritè peractis, Pippinus iam Princeps factus, cum patruo suo Childebrando Duce, multisque Proceribus pro quibusdam causis corrigendis exercitum in Burgundiam duxit, & quæ erant emendanda correxit. Ipse autem Carolus ad Parisiacam vrbem properans ad sepulcrum B. Martyris Dionysij peruenit, & post orationem multa munera deuoto animo contulit. Inde veniens Carisiacam villam super fluuium Sara, vel Sera, (sic enim legendum non Isera aut Isara) sitam perrexit, in qua validâ febre correptus in pace obiit, rexitque populum Francorum annis 26. mens. 6. vel vt habet Appendix Gregoriana annos 25. à Vinciacensi scilicet victoriâ: transiit die 22. Octobris, sepultúsque est in Basilica sancti Dionysij Martyris haud longè à Parisiaca ciuitate. Succedunt in Præfecturâ Regiæ Aulæ filij Carolomannus, & Pippinus ex decreto patris, qui tertio filio suo Griphoni, quem ex Sonihilde, quam de Baioaria captiuam abduxerat, habuit, suadente eadem, partem ei in medio principatus sui tribuit. Quod cùm Francis displicuisset, & Gripho cum Sonihilde intra Lugdunum clauatum se recepisset, nec posset euadere, Carolomanno traditus est, qui in Noua castella custodiendum transmisit. Sonihildi autem Cala monasterium datum. De Hiltrude filia Martelli, quæ consilio nefario nouercæ suæ fraudulenter per manus sodalium suorum Rhenum transiit, & Odiloni Duci Baioariæ nupsit contra voluntatem fratrum suorum, consule Appendicem Gregorianam cap. 110. Tabulæ Roberti Comitis Hasbanienſis datæ 7. Aprilis & Caroli Martelli die 17. Septembris, quarum mentio pag. 200. Chronici nostri Technici, mirum in modum firmant sententiam nostram de anno 5. interregni post obitum Theoderici Regis, Miræique, & aliorum, ex quibus hausit, explodunt Chronologiam, qui Childerici exordia à morte Martelli vel etiam ante illam arcesserunt, vel cum Caluisio hoc demum anno mortuum tradunt Theodericum, éique à Martello subrogatum fuisse Childericum stupidum ad annos vndecim. Ad eundem annum pertinet infelix obitus Leonis Isauri Imperatoris die 18. Iunij, ex intestinorum morbo, cùm imperasset annis 24. mensibus 2. diebus 25. Theophanes & Miscella rectè numerant annos eius à 15. Indictione ad 9. Successit peior patre filius Constantinus Caballinus, & Copronymus dictus ad annos 34. menses 3. & dies duos, ex iisdem Auctoribus ab Indictione 9. ad 14. Is cum die 27. Iunij contra Saracenos in Asiam profectus fuisset, & Artabasdi filios ex sorore suâ nepotes sibi dari vellet, Artabasdus populo fauente Imperium inuasit, filiósque Constantini cæsos ac tonsos custodiæ

mancipauit, tum per totam vrbem CP. sacras erexit imagines. Obiit quoque eodem anno Gregorius III. Romanus Pontifex die 28. Nouembris post sedem annorum 10. mens. 9. & dierum 12. Succedit Zacharias natione Græcus die 2. vel 6. Decembris insignis etiam virtute rebúsque gestis Pontifex.

Anno Christi DCCXLII. *Interregni 6. Carlomannus & Pippinus fratres transmisso Aurelianis Ligeri in partes Aquitaniæ cum exercitu aduersus Hunaldum Eudonis filium perrexerunt, qui defuncto Carolo ab iure fidei promissæ superba præsumptione recesserat. Ipsi verò occurrentes sibi Aquitanos, quos Romanos vocat Appendix Gregoriana, proterunt, vsque ad Bituricensem vrbem accedunt, suburbana eius igne comburunt, Aquitaniam vastant, fugientem Hunaldum persequentes. Lucas quoque castrum destruunt. Regnum diuidunt in loco qui dicitur Vetus Pictauis, & cum ingenti præda reuersi circa tempus Autumni vltra Rhenum contra Alamannos Duce Theobaldo rebellare tentantes exercitum dirigunt, cúmque castra metati essent super Danubium in loco, qui nuncupatur Vsquequo, Alamanni se victos professi obsides dederunt, oblatísque muneribus, ac petita pace, eorum se ditioni submiserunt. Zacharias Papa Synodum Romæ fecit die 22. Martij, vt patet ex epistola ab eo scripta ad Austrobertum Viennensem Archiep. quam exhibet Chronicum Technicum, & Nonis Maij legendum docet, non Martij. Concilium incerti loci in Germania præsente Carolomanno Duce & Principe Francorum celebratum fuit die 21. Aprilis, vt constat ex Liptinensi.* Zacharias Papa ad Luitprandum Langobardorum Regem accedit, qui non tantùm vrbes Ecclesiæ Romanæ ablatas restituit, sed etiam multa Græcis Imperatoribus erepta vltro donauit, vt discres ex Anastasio. Stephanus permissu Principis Saracenorum fit Patriarcha Antiochenus, cùm sedes vacasset annis 40. Cosmas verò Alexandrinus Patriarcha vnà cum tota ciuitate abiurata Monotheletarum hæresi Catholicam doctrinam amplexus est. Plura suggerent Theophanes, Miscella, aliíque de Hali & Petro ab Arabibus martyrium passis, de S. Ioanne Damasceno, qui auito nomine dicebatur Mansur, quíque propter auream & fulgidam Spiritus sancti gratiam, quæ in ipso, tam verbo, quàm vitæ actu efloruit, cognominatus est Chrysorrhoas, de Nicetâ Monostratego filio Artabasdi, qui mense Augusto 10. Indictionis terga vertens in bello aufugit, alteróque eiusdem filio

Nicephoro, quem coronauit Anastasius Patriarcha C P. plura suggerent Græci Scriptores.

Anno Christi DCCXLIII. *Interregni 7. Odilo Dux Baioariorum, qui Hiltrudem inuitis fratribus coniugem duxerat, se, Ducatúmque, quem à Carolo Martello habuerat, à dominatione Francorum subtrahere nitebatur: Quamobrem compulsi Carlomannus & Pippinus collecto aduersus eum exercitu, Rheno Danubióque transmissis, castra metati sunt in planitie super ripam Lechi amnis per dies 15. ex aduerso stantibus Baioariis, qui Saxones, Alamannos, Sclauósque in auxilium conduxerant. Franci irruptione facta commisso prælio hostes cædunt, Odilone cum paucis turpiter trans Innum fluuium fugiente. Annales Metenses plura suggerent de Sergio, qui se missum à Zacharia Papa fingebat; de Pippino dicente Baioariam Baioarióque ad Francorum Imperium pertinere; de Hunaldo Duce Aquitaniæ, qui dum bellum aduersus Baioarios ageretur impulsu Odilonis Ligerim cum manu valida transgressus Carnotensem vrbem cepit, diruit, cremauit, cum Ecclesia Episcopali in honore S. Mariæ Dei Genitricis consecrata; & de Carlomanno, qui eodem anno perrexit in Saxoniam, & Theodoricum Ducem subiugauit. Pippinus Kalendis Ianuarij anno secundo Principatus sui in ciuitate Metis in Palatio Regio confirmauit immunitates Ecclesiæ Matisconensis, vt docuimus in Miscellaneis Curiosis & in Chronico Technico. Synodalis Episcoporum conuentus congregatus hoc anno fuit Calendis Martiis apud Liptinas in agro Cameracensi, qui decreta Concilij, anno superiori habiti confirmarunt. Die tertia Nouembris Dominica, anno Principatus Carolomanni, qui præsens aderat, tertio, corpus S. Huberti Leodiensis Episcopi terrâ leuatum est, vt non pauci referunt Auctores Belgici: ex quo aliisque argumentis docui verum esse quod Vetus codex habet: Interea septem annis nullus fuit in Gallia Rex.* Zacharias Papa ad Wittam hoc anno scripsit Kal. Aprilis Indictione 11. quâ finitâ, Constantinus Copronymus Septembri mense traiecit ex Asia in Thraciam, & die secunda Nouembris C P. occupauit, Artauasdum cum duobus filiis, oculis priuauit, Anastasium Patriarcham asino impositum per plateas vrbis circumduxit, *&c.* quæ dabunt Theophanes, Miscella, Anastasius. Luitprandus exercitu immisso in Exarchatum quasdam vrbes occupauit, sed Pontificis precibus pax redintegrata est. De his, non secus ac de Synodo Romana, quæ mense Septembri tredecim capita edidit de disciplina Ecclesiastica: consule Baronium.

Anno

Anno Christi DCCXLIV. CHILDERICI III. *Francorum Regis primo. Hunc enim Theoderici Calensis filium, vt Genealogia Rgum Francorum apud Duchesnium Tomo I. pag. 793. aliique Scriptores asserunt, mense circiter Ianuario à Carolomanno, & Pippino fratribus in Regiam sedem dignitatémque euectum existimamus, probamúsque cùm ex aliis, tum ex Concilio Suessionensi die 2. Martij anni sequentis (qui more Gallico dicebatur Incarnationis Dominicæ 744.) præsente Pippino Duce & Principe Francorum à compluribus Episcopis celebrato. Annales Fuldenses tradunt his temporibus fundari cœptum esse Cœnobium Fuldense à sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo in solitudine, seu silua Boconia. Auctor vitæ sancti Sturmi primi illius loci Abbatis hunc annum nominatim designat. Ex Metensibus verò discimus. I. Pippinum & Carlomannum non immemores iniuriarum Hunaldi perfidi Ducis Ligeri transmisso Aquitaniam petiisse & Hunaldum, vt se totum Francorum manciparet seruitio, obsidibus datis, sacramentísque adegisse. II. Eosdem aduersus rebellantes Saxones exercitum duxisse, & Theodericum perfidum Ducem illorum cæteris subactis alterâ iam vice cepisse, captiuúmque secum in Franciam deduxisse. III. Hunaldum Hatroni germano suo, quem falsis sacramentis deceptum de Pictauis ad se venire iusserat, oculos eruisse, & sub custodia retrusisse. IV. eundem Hunaldum coronâ capitis depositâ, & Monachi voto promisso, in Monasterium quod Radis insulâ situm est, intrasse, filiúmque suum Vvaifarium in Principatu reliquisse, quam in rem nonnulla reperies scitu digna in vita SS. Bertharij & Ataleni. Vvaimatus Abbas Sithiuensis, cui anno seq. Nanthonus successit, die 23. Aprilis priuilegium libertatis & confirmationis impetrauit à Childerico Rege anno primo regni, vt docet Iperius.* Childericus III.

Luitprandus Langobardorum Rex obiit, postquam regnasset annis 31. & mensibus septem, cui suffectus est Rachisius ad annos 6. reiecto Aldebrando Luitprandi nepote. Mirum porro est Zachariæ Romani Pontificis litteras die 24. Iunij & 5. Nouembris huius anni datas ad S. Bonifacium Artauasdi & Nicephori Impp. meminisse, cùm à Nouembri mense anni superioris vrbe C P. potitus Constantinus fuerit, & Artauasdum cum filiis excæcarit. Isidorus Pacensis hunc annum æræ Hispanicæ 782. componit cum anno Arabum siue Hegiræ completo 126.

Anno Christi DCCXLV. *Childerici Regis secundo sub die 6. Nonas Martij, & Luna 14. celebratum fuit Concilium Suessionense*

præsente Pippino, in quo multa ad religionis Christianæ cultum promouendum sancita sunt. Carlomannus cum valido exercitu Saxoniam ingressus absque vllius belli discrimine eos, qui regno suo affines esse videbantur, subegit: quorum plurimi Christo duce baptismum susceperunt. Eius verò frater Pippinus in Alamanniam ingressus Theobaldum rebellem Godefridi Ducis Alamannorum filium viriliter in fugam conuertit, & ex Alpibus, ad quas confugerat, reuocatum Ducatu loci illius donauit. Zacharias Papa Romæ Synodum celebrauit in Patriarchio Lateranensi die 25. Octobris Indictione 14. *De B. Magdalenæ reliquiis Viceliacum translatis à Geraudo Comite Burgundiæ, hoc anno plura Sigebertus, quæ non est operæ precium hoc loco refellere, aut expendere scrupulosiùs: id præstiterunt ante nos viri eruditi.*

Anno Christi DCCXLVI. *Childerici III.* 3. *S. Bonifacius Archiepiscopus cum auctoritate Sedis Apostolicæ annuente Carlomanno duas sedes Episcopales constituit, vnam in castro Vvirziburg, vbi Burgartum collegam suum ordinauit, alteram in loco, qui dicitur Eihstat, cui præfecit Vvillibaldum, cuius soror Vvalpurgis monialis fuit in cœnobio Heidenheimensi. Neque tamen hoc pigebit admonere in vita S. Godehardi Hildenhesheimensis Ecclesiæ Episcopi triennio dumtaxat, postquam Romæ attonsus est in Monachum Carolomannus, distributionem Episcopatuum in Baioaria factam à S. Bonifacio ex decreto Zachariæ Papæ, & consensu Pippini, quando Vvillibaldo Eistatensis, Ioanni Salisburgensis, Eremberto Frisingensis, Garibaldo Ratisbonensis Ecclesiæ sunt commendatæ. Idem Carlomannus spectata Alamannorum infidelitate, cum exercitu fines eorum irrupit, & Placitum instituit in loco, qui dicitur Condistat: fuitque ibi magnum miraculum, inquit Auctor Annalium Metensium, quòd vnus exercitus alium comprehendit atque ligauit, absque vllo discrimine belli: Ipsos verò, qui cum Theobaldo suppetias tulerant Odiloni apprehensos secundùm singulorum merita correxit. Idem Princeps germano suo Pippino confessus est velle deserto sæculo omnipotentis Dei mancipio totum se mancipare, & pergere Romam ad limina SS. Apostolorum Petri & Pauli. S. Othmarus Augiæ Abbas à Sidonio Constantiensi Ep. mittitur in exilium, teste Hepidanno. Huic anno congruere videtur charta vetus S. Galli anno 3. regnante Hilderico Rege sub Carlomanno Maiore domus die 9. Nouembris.* Arabes subiiciunt sibi Damascum, Heliopolim, Ierusalem, &c. in Syria & Palæstina, vbi σκότος ὁμιχλῶδες à die 10. Augusti ad 15. narrant Historici.

Anno Christi DCCXLVII. *Childerici III.* 4. *Carlomannus*

Maiordomus Franciæ, relicta quam tenebat poteſtate, & filio ſuo Drogone manibus Germani ſui Pippini commiſſo, ad limina Beati Petri Apoſtoli cum plurimis ſuis Optimatibus, & donis innumerabilibus peruenit, capitiſque coma depoſita, habitum clericalem, ordinante beato Zacharia Papa, adſumpſit, aliquantóque tempore ibidem manſit. Conſilio verò accepto eiuſdem Pontificis ad Caſſinum montem, & cœnobium S. Benedicti perrexit. Ibíque obedientiam regulariter Optato Abbati promittens, monachicæ vitæ profeſſionem ſpopondit, & in Soracte monte Monaſterium ædificauit in honore S. Silueſtri: cúmque ibi per aliquod tempus moram feciſſet, exinde ad S. Benedictum in Caſſinum vſque peruenit, & ibi Monachus effectus eſt, vt de eo pluribus Annales Metenſes, aliíque. Ex Chronico breuiſſimo Bibliothecæ Tilianæ, quod Carolo ipſo regnante ſcriptum fuiſſe conſtat, inquit Sirmondus, extátque editum pag. 7. Tomi II. Ducheſnianæ Collectionis, diſcimus Pippino Regi maiorem natu filium Carolum hoc anno fuiſſe natum, quem alij ante quinquennium, iam in lucem prodiiſſe aſſerunt. Matrem eius fuiſſe Bertradam, cognomine Bertam, Chariberti Laudunenſis Comitis filiam, ex Annalibus Bertinianis iampridem docuimus in Tabulis Genealogicis Regiæ apud Francos familiæ Stemmate ſecundo, vbi etiam verba quædam ex epiſtola Stephani III. Papæ ad Carolum & Carolomanum deſcripſimus: Nullus ex veſtris parentibus, ſed neque auus veſter, neque proauus, ſed nec genitor veſter ex alio regno vel externâ natione coniugem accepit, &c. Eodem anno Pippinus omnium Francorum generaliter Princeps, miſericordia motus, fratrem ſuum Grifonem de cuſtodia, in qua eum Carolomannus recluſerat, liberauit, & ipſum fraterna dilectione honoratum in palatio ſuo habuit, dedítque ei Comitatus & fiſcos plurimos. Mendoſas aliquot ſubſcriptiones Epiſtolarum Zachariæ Papæ apud Serarium in Chronico rerum Moguntinarum, Baronium, Binium, alióſque facile corriget Lector ex regulis in Chronico Technico à nobis allatis. Vnam ſeligo quæ ad an. ſeq. pertinet, datam Kal. Maij imperij Conſtantini anno 29. pater eius (ſcribe, Conſulatus eius) anno 7. Indict. 1. De peſte quæ C P. depopulata Ind. 15. cœpit à cruciculis plurimis, veluti ex oleo deſignatis, quæ ſubitò in hominum veſtimentis, & in ſacris Eccleſiarum indumentis, veliſque apparuerunt cum aliis prodigiis. Conſule Theophanem, Miſcellam, alióſque. Eadem lues vere atque æſtate anni ſequentis crudeliſſimè deſæuiit, vt vix ſani ſupereſſent, qui mortuos poſſent ſepulturæ mandare.

Anno Christi DCCXLVIII. *Childerici III. 5. Pippinus placitum suum habuit in villa Duria : in qua Synodum congregari iussit pro Ecclesiarum restauratione, & causis pauperum viduarum orphanorúmque corrigendis, iustitiisque faciendis. Grifo verò, quem de custodia fraterno affectu soluerat, tyrannico fastu multos sibi nobilium sociauit, & fuga lapsus Rhenum transiens, in Saxoniam venit. Quem plurimi iuuenes ex nobili Francorum genere, inconstantia ducti, relicto proprio Domino, subsecuti sunt. Pippinus adunato exercitu per Turingiam in Saxoniam veniens fines Saxonum, quos Nordosquanos vocant, cum validâ manu intrauit : ibíque Duces gentis asperæ Sclauorum in occursum eius venerunt, vnanimiter auxilium illi contra Saxones ferre parati, pugnatores quasi centum millia. Ex iis Saxonibus plurimi subacti ad Christianam fidem conuersi sunt, & perfidus Saxonum Dux Theodericus tertia iam vice à Francis captus. Inde proficiscens peruenit ad fluuium, qui dicitur Obacra, castríque iuxta ripam eius positis, cùm Saxones, qui aduersam insederant, munimentis suis diffisi per noctem fugâ se proripuissent, cum exercitu suo totam penè Saxoniam per dies 40. vastauit, & castellis eorum destructis victor ad propria remeauit. Zachariæ epistolam ad quosdam Galliæ Belgicæ Germaniæque Episcopos multi ad hunc annum referunt, alij ad annum 744. Verum de eâ nihil certi proferri posse puto, cùm desint in eâ soliti temporum characteres.* Imperatoria classis suppetias venit Cypriis aduersus Saracenos, qui eam insulam inuaserant. De illorum intestinis bellis vide Miscellam, vel potius fontes, ex quibus illa collecta est.

Anno Christi DCCXLIX. *Childerici III. 6. Grifo ratus Saxonum armis se minimè defendi posse, in Baioariam concessit, cuius Dux Odilo eo tempore defunctus erat, successore filio eius Tassilone. Hunc de principatu Grifo abegit, sibíque Baioarios subiugauit, cui etiam in solatium Lanfridus venit. His auditis Pippinus cum exercitu illuc peruenit, victísque Baioariis, Grifonem secum Lanfridúmque inde abducens, Tassilonem in Ducatu Baioariorum collocauit. Solita autem pietate Grifoni, fratri suo, & omnibus, qui cum eo confugium fecerant, misericorditer non solùm pepercit, sed etiam beneficiis ditauit, datâ Grifoni Cenomanicâ vrbe cum 12. Comitatibus. Quibus ille soluto more despectis, Vvasconiam petiit, & ad Vvaifarium perfidum Aquitanorum Ducem peruenit. Sunt qui hoc anno velint Burcardum Vvirtzburgensem Episcopum cum Fulrado Abbate S. Dionysij & Capellano Pippini missum fuisse ad Zachariam Papam scitatum, vtri Regium nomen esset*

potiori iure deferendum, éne, qui poteſtatem haberet, an qui ſine Regali poteſtate maneret. Verùm in biennium vſque legationem illam differendam cum optimis quibuſque huiuſce ætatis Chronologis hactenus cenſuimus, cùm alia plurima argumenta, tum Appendicem Gregorianam iuſſu illuſtris viri Childebrandi Comitis & Pippini patrui ad ſua vſque tempora perductam ſequuti: cuius hæc poſtrema verba à conſequentibus aliquot Annalium Chronicorúmque ſcriptoribus minùs benè intellecta, opinionem noſtram confirmant. Et quieuit terra (poſt victoriam de Baioariis reportatam) à præliis annis duobus. Quo tempore vnà cum conſenſu, & conſilio omnium Francorum miſſâ relatione, à Sede Apoſtolica auctoritate perceptâ, præcelſus Pippinus electione totius Franciæ in ſedem Regni cum conſecratione Epiſcoporum & ſubiectione Principum, vnà cum Reginâ Bertradane, vt antiquitus ordo depoſcit, ſublimatur in regno, quemadmodum dicemus anno 752. Anaſtaſius monaſterij S. Euthymij Abbas extinctam Petri Gnaphei ſeu Fullonis hæreſim reuocans à S. Ioanne Damaſceno egregiè confutatus eſt.

Annus Chriſti DCCL. *Childerici III. 7. ſine hoſte fuit, inquiunt Annales Francorum Tiliani ab anno 708. ad 800. ipſo regnante Carolo Magno ſcripti, quos quampluribus aliis poſtea exaratis meritò præferas, quibus præter alia multa natales Caroli Magni eiúſque fratris Carolomanni debemus. In aliis verò in altero codice Tiliano repertis ſimillimum vero eſt Amanuenſis incuriâ factum eſſe, vt primus ille ex duobus annis, quibus quieuit terrâ 750. & 751. quique ſine hoſte fuerunt, periocham anno 752. debitam acciperet: Pippinus ſecundùm morem Francorum electus ad Regem, & vnctus per manus ſanctæ memoriæ Bonifacij Epiſcopi eleuatus à Francis in regno Sueſſionis ciuitate. Hildericus verò, qui falsò Rex vocabatur, tonſoratus eſt & in Monaſterium miſſus. quod vltimum nemo dixerit poſſe huic anno 750. conuenire. Nec tantæ ſunt auctoritatis Annales alij, qui citantur, quibus opponere poſſumus Nazarianos, Fuldenſes, Sangallenſes, & reliquos, qui ſaltem in annum proximè ſequentem differunt Pippini inaugurationem. Quòd ſi res diplomatum teſtimonio tranſigenda ſit, noſtra eſt victoria. Nam vnius loco, quod mendi ſuſpectum meritò cenſuit, qui vulgauit Aubertus Miræus, plura Sirmondus noſter, quis, quantúſque vir, Deus Bone! in medium adduxit in Notis ad Tomum II. Conciliorum Galliæ his verbis: Pippini Regis anni, quando primùm inauguratus eſt à S. Bonifacio, conſurgunt ex anno Chriſti 752. quod docet Chronicon Pithœanum, & confirmant antiquæ tabulæ Monaſterij S. Galli, in quibus comparatur*

tertius annus Pippini Regis 8. Idus Augusti cum anno Christi 754. item annus sextus Pippini 12. Kalendas Ianuarias cum anno 757. & rursum annus 10. Pippini eiusdem 5. Idus Maias cum anno 761. Hæc ille, quibus & alia quoque causæ nostræ firmamenta suis postea locis, vt se dabit occasio, subiungere non grauabimur. Præsertim palmare illud argumentum petitum ex Vita Caroli Magni scripta ab Eginartho, & edita à Frehero, Duchesnio, ipso etiam Bollando die 28. Ianuarij, aliisque, vbi dicitur Pippinum eius genitorem solum Francis imperasse annos 15. aut eo amplius, quæ verba aduersariis nostris non fauent. Neque sanè res illa tanti videtur in re Chronologicâ momenti, vt propterea discedere oporteat ab epilogismis Baronij, eiusque Epitomatorum, Gordoni, Caluisij, Bucherij, Sirmondi, Petauij, Duchesnij, Miræi, verbo dicam omnium insignium huiusce æui Chronologorum. Interim hoc anno Pippinus Legatos suos direxit ad Vvaifarium, vt sibi fratrem suum fugientem redderet. Quod ille prauo consilio inito facere contempsit. Rachisus Langobardorum Rex pactis violatis Perusiam obsidet, Zacharias cum Clericis ad castra tendit, eúmque sic oratione sua flectit, vt relicta dignitate cum vxore & filia in cœnobium abierit, acturus de peccatis pœnitentiam. Succedit Aistulfus frater. Ad hunc annum pertinent, quæ habet Isidorus Pacensis pag. 23. Huius regni in anno VI. (id est Constantini Copronymi, quem malè statuit cœpisse anno demum 744. (cuius erroris per omne Chronicon fusi originem aliàs aperui) in ærâ DCCLXXXIV. (corrige DCCLXXXVIII.) Nonis Aprilis, Dominicâ, hora prima, & feriis 2. & 3. visi tres Soles, *&c.* Paullò pòst subdit: Huius Constantini tempore æra 788. anno imperij eius sexto, Arabum 133. Abdella sedem appetiit Regiam, *&c.* Indictione 3. labente die 25. Ianuarij natus est Imperatori Constantino filius ex Chagani Cazariæ Regis filia Maria, quem nominauit Leonem, eodémque anno ingenti terræ motu in Syriâ multæ ciuitates concussæ, vt tradit Theophanes, *&c.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCLI. *Childerici 8. mortuum Lantfridum, & natum fuisse Carlomannum Regem Pippini ac Bertradæ filium obseruant Annales breues Tiliani. Fuldenses verò, siue Pithœani, hæc habent: Pippinus missa Romam Legatione Zachariam Papam interrogat de Regibus Francorum ex antiquâ Merouingorum stirpe descendentium, qui Reges quidem dicebantur, sed potestas*

Regni tota apud Maiorem domus habebatur, excepto quod Cartæ & Priuilegia Regis nomine ſcribebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plauſtro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti ſedens, ſemel in anno populis viſus, publica dona ſolemniter ſibi oblata accipiebat, ſtante coram Maioredomus, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent populis adnuntiante. Sicque Rege domum redeunte, cætera Regni negotia Maiordomus adminiſtrabat. Orat ergo ſibi decerni, quis eorum iuſtè Rex debeat dici & eſſe, is, qui ſecurus domi ſedeat, an ille, qui curam totius Regni & omnium negotiorum moleſtias ſufferat. Quid reſponſi tulerint Burcardus & Fulradus eam ob rem à Francis Romam miſſi, dicetur ex iiſdem Annalibus anno ſeq. Zacharias Papa die 4. Nouembris epiſtolam ſcripſit ad S. Bonifacium, quâ Moguntiam in Metropolim erexit, vt diximus in Chronico Technico, vbi etiam inſinuauimus die 6. Iunij in feſto Pentecoſtes, Indictione quarta, Conſtantinum Imp. Leonem filium ſuum coronaſſe Auguſtum per Anaſtaſium Patriarcham C P. conſentaneum ſuum, vt loquitur Miſcella. *Sunt quoque qui eadem die 4. Nouembris Indictione quinta iam inchoata, Conſtantini Copronymi 32. ſcilicet ex quo regnare cum Leone Iſaurico patre cœperat, aſſerant datas ab eodem Zacharia Romano Pontifice litteras de creando Pippino Rege. Quod ſi veritate ſubnixum ſit, actum planè eſt de ſententia Chronologorum illorum, qui Pippini Regis exordia eiúſque inaugurationem à S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis Legato peractam volunt anno ſuperiore, noſtráque in omnibus firma conſtans atque immota ſtabit opinio, qui regnum Pippini & exauctorationem Childerici in annum proximè conſequentem cum doctiſſimis quibúſque noſtræ huius ac ſuperioris ætatis Scriptoribus reiicimus.*

HIST.

Nicephoro, quem coronauit Anastasius Patriarcha C P. plura suggerent Græci Scriptores.

Anno Christi DCCXLIII. *Interregni 7. Odilo Dux Baioariorum, qui Hiltrudem inuitis fratribus coniugem duxerat, se, Ducatúmque, quem à Carolo Martello habuerat, à dominatione Francorum subtrahere nitebatur: Quamobrem compulsi Carlomannus & Pippinus collecto aduersus eum exercitu, Rheno Danubióque transmissis, castra metati sunt in planitie super ripam Lechi amnis per dies 15. ex aduerso stantibus Baioariis, qui Saxones, Alamannos, Sclauósque in auxilium conduxerant. Franci irruptione facta commisso prælio hostes cædunt, Odilone cum paucis turpiter trans Innum fluuium fugiente. Annales Metenses plura suggerent de Sergio, qui se missum à Zacharia Papa fingebat; de Pippino dicente Baioariam Baioarióque ad Francorum Imperium pertinere; de Hunaldo Duce Aquitaniæ, qui dum bellum aduersus Baioarios ageretur impulsu Odilonis Ligerim cum manu valida transgressus Carnotensem vrbem cepit, diruit, cremauit, cum Ecclesia Episcopali in honore S. Mariæ Dei Genitricis consecrata; & de Carlomanno, qui eodem anno perrexit in Saxoniam, & Theodoricum Ducem subiugauit. Pippinus Kalendis Ianuarij anno secundo Principatus sui in ciuitate Metis in Palatio Regio confirmauit immunitates Ecclesiæ Matisconensis, vt docuimus in Miscellaneis Curiosis & in Chronico Technico. Synodalis Episcoporum conuentus congregatus hoc anno fuit Calendis Martiis apud Liptinas in agro Cameracensi, qui decreta Concilij, anno superiori habiti confirmarunt. Die tertia Nouembris Dominica, anno Principatus Carolomanni, qui præsens aderat, tertio, corpus S. Huberti Leodiensis Episcopi terrâ leuatum est, vt non pauci referunt Auctores Belgici: ex quo aliisque argumentis docui verum esse quod Vetus codex habet: Interea septem annis nullus fuit in Gallia Rex.* Zacharias Papa ad Wittam hoc anno scripsit Kal. Aprilis Indictione 11. quâ finitâ, Constantinus Copronymus Septembri mense traiecit ex Asia in Thraciam, & die secunda Nouembris C P. occupauit, Artauasdum cum duobus filiis, oculis priuauit, Anastasium Patriarcham asino impositum per plateas vrbis circumduxit, *&c.* quæ dabunt Theophanes, Miscella, Anastasius. Luitprandus exercitu immisso in Exarchatum quasdam vrbes occupauit, sed Pontificis precibus pax redintegrata est. De his, non secus ac de Synodo Romana, quæ mense Septembri tredecim capita edidit de disciplina Ecclesiastica: consule Baronium.

Anno

Anno Christi DCCXLIV. CHILDERICI III. *Francorum Regis primo. Hunc enim Theoderici Calensis filium, vt Genealogia Rgum Francorum apud Duchesnium Tomo I. pag. 793. aliique Scriptores asserunt, mense circiter Ianuario à Carolomanno, & Pippino fratribus in Regiam sedem dignitatémque euectum existimamus, probamúsque cùm ex aliis, tum ex Concilio Suessionensi die 2. Martij anni sequentis (qui more Gallico dicebatur Incarnationis Dominicæ 744.) præsente Pippino Duce & Principe Francorum à compluribus Episcopis celebrato. Annales Fuldenses tradunt his temporibus fundari cœptum esse Cœnobium Fuldense à sancto Bonifacio Moguntino Archiepiscopo in solitudine, seu silua Boconia. Auctor vitæ sancti Sturmi primi illius loci Abbatis hunc annum nominatim designat. Ex Metensibus verò discimus. I. Pippinum & Carlomannum non immemores iniuriarum Hunaldi perfidi Ducis Ligeri transmisso Aquitaniam petiisse & Hunaldum, vt se totum Francorum manciparet seruitio, obsidibus datis, sacramentísque adegisse. II. Eosdem aduersus rebellantes Saxones exercitum duxisse, & Theodericum perfidum Ducem illorum cæteris subactis alterâ iam vice cepisse, captiuúmque secum in Franciam deduxisse. III. Hunaldum Hatroni germano suo, quem falsis sacramentis deceptum de Pictauis ad se venire iusserat, oculos eruisse, & sub custodia retrusisse. IV. eundem Hunaldum coronâ capitis depositâ, & Monachi voto promisso, in Monasterium quod Radis insulâ situm est, intrasse, filiúmque suum Vaifarium in Principatu reliquisse, quam in rem nonnulla reperies scitu digna in vita SS. Bertharij & Ataleni. Vvaimatus Abbas Sithiuensis, cui anno seq. Nanthonus successit, die 23. Aprilis priuilegium libertatis & confirmationis impetrauit à Childerico Rege anno primo regni, vt docet Iperius.* Luitprandus Langobardorum Rex obiit, postquam regnasset annis 31. & mensibus septem, cui suffectus est Rachisius ad annos 6. reiecto Aldebrando Luitprandi nepote. Mirum porro est Zachariæ Romani Pontificis litteras die 24. Iunij & 5. Nouembris huius anni datas ad S. Bonifacium Artauasdi & Nicephori Impp. meminisse, cùm à Nouembri mense anni superioris vrbe C P. potitus Constantinus fuerit, & Artauasdum cum filiis excæcarit. Isidorus Pacensis hunc annum æræ Hispanicæ 782. componit cum anno Arabum siue Hegiræ completo 126. Childericus III.

Anno Christi DCCXLV. *Childerici Regis secundo sub die 6. Nonas Martij, & Luna 14. celebratum fuit Concilium Suessionense*

præsente Pippino, in quo multa ad religionis Christianæ cultum promouendum sancita sunt. Carlomannus cum valido exercitu Saxoniam ingressus absque vllius belli discrimine eos, qui regno suo affines esse videbantur, subegit: quorum plurimi Christo duce baptismum susceperunt. Eius verò frater Pippinus in Alamanniam ingressus Theobaldum rebellem Godefridi Ducis Alamannorum filium viriliter in fugam conuertit, & ex Alpibus, ad quas confugerat, reuocatum Ducatu loci illius donauit. Zacharias Papa Romæ Synodum celebrauit in Patriarchio Lateranensi die 25. Octobris Indictione 14. *De B. Magdalenæ reliquiis Viceliacum translatis à Geraudo Comite Burgundiæ, hoc anno plura Sigebertus, quæ non est operæ precium hoc loco refellere, aut expendere scrupulosiùs; id præstiterunt ante nos viri eruditi.*

Anno Christi DCCXLVI. *Childerici III.* 3. *S. Bonifacius Archiepiscopus cum auctoritate Sedis Apostolicæ annuente Carlomanno duas sedes Episcopales constituit, vnam in castro Virziburg, vbi Burgartum collegam suum ordinauit, alteram in loco, qui dicitur Eihstat, cui præfecit Vuillibaldum, cuius soror Vualpurgis monialis fuit in cœnobio Heidenheimensi. Neque tamen hoc pigebit admonere in vita S. Godehardi Hildenbesheimensis Ecclesiæ Episcopi triennio dumtaxat, postquam Romæ attonsus est in Monachum Carolomannus, distributionem Episcopatuum in Baioaria factam à S. Bonifacio ex decreto Zachariæ Papæ, & consensu Pippini, quando Vuillibaldo Eistatensis, Ioanni Salisburgensis, Eremberto Frisingensis, Garibaldo Ratisbonensis Ecclesiæ sunt commendatæ. Idem Carlomannus spectata Alamannorum infidelitate, cum exercitu fines eorum irrupit, & Placitum instituit in loco, qui dicitur Condistat: fuitque ibi magnum miraculum, inquit Auctor Annalium Metensium, quòd vnus exercitus alium comprehendit atque ligauit, absque vllo discrimine belli: Ipsos verò, qui cum Theobaldo suppetias tulerant Odiloni apprehensos secundùm singulorum merita correxit. Idem Princeps germano suo Pippino confessus est velle deserto sæculo omnipotentis Dei mancipio totum se mancipare, & pergere Romam ad limina SS. Apostolorum Petri & Pauli. S. Othmarus Augiæ Abbas à Sidonio Constantiensi Ep. mittitur in exilium, teste Hepidanno. Huic anno congruere videtur charta vetus S. Galli anno 3. regnante Hilderico Rege sub Carlomanno Maiore domus die 9. Nouembris.* Arabes subiiciunt sibi Damascum, Heliopolim, Ierusalem, &c. in Syria & Palæstina, vbi σκότος ὁμιχλῶδες à die 10. Augusti ad 15. narrant Historici.

Anno Christi DCCXLVII. *Childerici III.* 4. *Carlomannus*

Maiordomus Franciæ, relicta quam tenebat poteſtate, & filio ſuo Drogone manibus Germani ſui Pippini commiſſo, ad limina Beati Petri Apoſtoli cum plurimis ſuis Optimatibus, & donis innumerabilibus peruenit, capitiſque coma depoſita, habitum clericalem, ordinante beato Zacharia Papa, adſumpſit, aliquantóque tempore ibidem marſit. Conſilio verò accepto eiuſdem Pontificis ad Caſſinum montem, & cœnobium S. Benedicti perrexit. Ibíque obedientiam regulariter Optato Abbati promittens, monachicæ vitæ profeſſionem ſpopondit, & in Soracte monte Monaſterium ædificauit in honore S. Silueſtri: cúmque ibi per aliquod tempus moram feciſſet, exinde ad S. Benedictum in Caſſinum vſque peruenit, & ibi Monachus effectus eſt, vt de eo pluribus Annales Metenſes, alíique. Ex Chronico breuiſſimo Bibliothecæ Tilianæ, quod Carolo ip'o regnante ſcriptum fuiſſe conſtat, inquit Sirmondus, extátque editum pag. 7. Tomi II. Ducheſnianæ Collectionis, diſcimus Pippino Regi maiorem natu filium Carolum hoc anno fuiſſe natum, quem alij ante quinquennium, iam in lucem prodiiſſe aſſerunt. Matrem eius fuiſſe Bertradam, cognomine Bertam, Chariberti Laudunenſis Comitis filiam, ex Annalibus Bertinianis iampridem docuimus in Tabulis Genealogicis Regiæ apud Francos familiæ Stemmate ſecundo, vbi etiam verba quædam ex epiſtola Stephani III. Papæ ad Carolum & Carolomanum deſcripſimus: Nullus ex veſtris parentibus, ſed neque auus veſter, neque proauus, ſed nec genitor veſter ex alio regno vel externâ natione coniugem accepit, &c. Eodem anno Pippinus omnium Francorum generaliter Princeps, miſericordia motus, fratrem ſuum Grifonem de cuſtodia, in qua eum Carolomannus recluſerat, liberauit, & ipſum fraterna dilectione honoratum in palatio ſuo habuit, dedítque ei Comitatus & fi'cos plurimos. Mendoſas aliquot ſubſcriptiones Epiſtolarum Zachariæ Papæ apud Serarium in Chronico rerum Moguntinarum, Baronium, Binium, alióſque facile corriget Lector ex regulis in Chronico Technico à nobis allatis. Vnam ſeligo quæ ad an. ſeq. pertinet, datam Kal. Maij imperij Conſtantini anno 29. pater eius (ſcribe, Conſulatus eius) anno 7. Indict. 1. De peſte quæ C P. depopulata Ind. 15. cœpit à cruciculis plurimis, veluti ex oleo deſignatis, quæ ſubitò in hominum veſtimentis, & in ſacris Eccleſiarum indumentis, velíſque apparuerunt cum aliis prodigiis. Conſule Theophanem, Miſcellam, alióſque. Eadem lues vere atque æſtate anni ſequentis crudeliſſimè deſæuiit, vt vix ſani ſupereſſent, qui mortuos poſſent ſepulturæ mandare.

Anno Christi DCCXLVIII. *Childerici III. 5. Pippinus placitum suum habuit in villa Duria : in qua Synodum congregari iussit pro Ecclesiarum restauratione, & causis pauperum viduarum orphanorúmque corrigendis, iustitiisque faciendis. Grifo verò, quem de custodia fraterno affectu soluerat, tyrannico fastu multos sibi nobilium sociauit, & fuga lapsus Rhenum transiens, in Saxoniam venit. Quem plurimi iuuenes ex nobili Francorum genere, inconstantia ducti, relicto proprio Domino, subsecuti sunt. Pippinus adunato exercitu per Turingiam in Saxoniam veniens fines Saxonum, quos Nordosquanos vocant, cum validâ manu intrauit : ibíque Duces gentis asperæ Sclauorum in occursum eius venerunt, vnanimiter auxilium illi contra Saxones ferre parati, pugnatores quasi centum millia. Ex iis Saxonibus plurimi subacti ad Christianam fidem conuersi sunt, & perfidus Saxonum Dux Theodericus tertia iam vice à Francis captus. Inde proficiscens peruenit ad fluuium, qui dicitur Obacra, castrísque iuxta ripam eius positis, cùm Saxones, qui aduersam insederant, munimentis suis diffisi per noctem fugâ se proripuissent, cum exercitu suo totam penè Saxoniam per dies 40. vastauit, & castellis eorum destructis victor ad propria remeauit. Zachariæ epistolam ad quosdam Galliæ Belgicæ Germaniæque Episcopos multi ad hunc annum referunt, alij ad annum 744. Verum de eâ nihil certi proferri posse puto, cùm desint in eâ soliti temporum characteres.* Imperatoria classis suppetias venit Cypriis aduersus Saracenos, qui eam insulam inuaserant. De illorum intestinis bellis vide Miscellam, vel potius fontes, ex quibus illa collecta est.

Anno Christi DCCXLIX. *Childerici III. 6. Grifo ratus Saxonum armis se minimè defendi posse, in Baioariam concessit, cuius Dux Odilo eo tempore defunctus erat, successore filio eius Tassilone. Hunc de principatu Grifo abegit, sibíque Baioarios subiugauit, cui etiam in solatium Lanfridus venit. His auditis Pippinus cum exercitu illuc peruenit, victísque Baioariis, Grifonem secum Lanfridúmque inde abducens, Tassilonem in Ducatu Baioariorum collocauit. Solita autem pietate Grifoni, fratri suo, & omnibus, qui cum eo confugium fecerant, misericorditer non solùm pepercit, sed etiam beneficiis ditauit, datâ Grifoni Cenomanicâ vrbe cum 12. Comitatibus. Quibus ille solito more despectis, Vvasconiam petiit, & ad Vvaifarium perfidum Aquitanorum Ducem peruenit. Sunt qui hoc anno velint Burcardum Vvirtzburgensem Episcopum cum Fulrado Abbate S. Dionysij & Capellano Pippini missum fuisse ad Zachariam Papam scitatum, vtri Regium nomen esset*

potiori iure deferendum, éine, qui poteſtatem haberet, an qui ſine Regali poteſtate maneret. Verùm in biennium vſque legationem illam differendam cum optimis quibuſque huiuſce ætatis Chronologis hactenus cenſuimus, cùm alia plurima argumenta, tum Appendicem Gregorianam iuſſu illuſtris viri Childebrandi Comitis & Pippini patrui ad ſua vſque tempora perductam ſequuti: cuius hæc poſtrema verba à conſequentibus aliquot Annalium Chronicorúmque ſcriptoribus minùs benè intellecta, opinionem noſtram confirmant. Et quieuit terra (poſt victoriam de Baioariis reportatam) à præliis annis duobus. Quo tempore vnà cum conſenſu, & conſilio omnium Francorum miſſâ relatione, à Sede Apoſtolica auctoritate perceptâ, præcelſus Pippinus electione totius Franciæ in ſedem Regni cum conſecratione Epiſcoporum & ſubiectione Principum, vnà cum Reginâ Bertradane, vt antiquitus ordo depoſcit, ſublimatur in regno, quemadmodum dicemus anno 752. Anaſtaſius monaſterij S. Euthymij Abbas extinctam Petri Gnaphei ſeu Fullonis hæreſim reuocans à S. Ioanne Damaſceno egregiè confutatus eſt.

Annus Chriſti DCCL. *Childerici III. 7. ſine hoſte fuit, inquiunt Annales Francorum Tiliani ab anno 708. ad 800. ipſo regnante Carolo Magno ſcripti, quos quampluribus aliis poſtea exaratis meritò præferas, quibus præter alia multa natales Caroli Magni eiúſque fratris Carolomanni debemus. In aliis verò in altero codice Tiliano repertis ſimillimum vero eſt Amanuenſis incuriâ factum eſſe, vt primus ille ex duobus annis, quibus quieuit terra 750. & 751. quique ſine hoſte fuerunt, periocham anno 752. debitam acciperet: Pippinus ſecundùm morem Francorum electus ad Regem, & vnctus per manus ſanctæ memoriæ Bonifacij Epiſcopi eleuatus à Francis in regno Sueſſionis ciuitate. Hildericus verò, qui falsò Rex vocabatur, tonſoratus eſt & in Monaſterium miſſus. quod vltimum nemo dixerit poſſe huic anno 750. conuenire. Nec tantæ ſunt auctoritatis Annales alij, qui citantur, quibus opponere poſſumus Nazarianos, Fuldenſes, Sangallenſes, & reliquos, qui ſaltem in annum proximè ſequentem differunt Pippini inaugurationem. Quòd ſi res diplomatum teſtimonio tranſigenda ſit, noſtra eſt victoria. Nam vnius loco, quod mendi ſuſpectum meritò cenſuit, qui vulgauit Aubertus Miraus, plura Sirmondus noſter, quis, quantúſque vir, Deus Bone! in medium adduxit in Notis ad Tomum II. Conciliorum Galliæ his verbis: Pippini Regis anni, quando primùm inauguratus eſt à S. Bonifacio, conſurgunt ex anno Chriſti 752. quod docet Chronicon Pithœanum, & confirmant antiquæ tabulæ Monaſterij S. Galli, in quibus comparatur*

tertius annus Pippini Regis 8. *Idus Augusti cum anno Christi* 754. *item annus sextus Pippini* 12. *Kalendas Ianuarias cum anno* 757. *& rursum annus* 10. *Pippini eiusdem* 5. *Idus Maias cum anno* 761. *Hæc ille, quibus & alia quoque causæ nostræ firmamenta suis postea locis, vt se dabit occasio, subiungere non grauabimur. Præsertim palmare illud argumentum petitum ex Vita Caroli Magni scripta ab Eginartho, & edita à Frehero, Duchesnio, ipso etiam Bollando die* 28. *Ianuarij, aliisque, vbi dicitur Pippinum eius genitorem solum Francis imperasse annos* 15. *aut eo amplius, quæ verba aduersariis nostris non fauent. Neque sanè res illa tanti videtur in re Chronologicâ momenti, vt propterea discedere oporteat ab epilogismis Baronij, eiúsque Epitomatorum, Gordoni, Caluisij, Bucherij, Sirmondi, Petauij, Duchesnij, Miræi, verbo dicam omnium insignium huiusce æui Chronologorum. Interim hoc anno Pippinus Legatos suos direxit ad Vvaifarium, vt sibi fratrem suum fugientem redderet. Quod ille prauo consilio inito facere contempsit.* Rachisus Langobardorum Rex pactis violatis Perusiam obsidet, Zacharias cum Clericis ad castra tendit, eúmque sic oratione sua flectit, vt relicta dignitate cum vxore & filia in cœnobium abierit, acturus de peccatis pœnitentiam. Succedit Aistulfus frater. Ad hunc annum pertinent, quæ habet Isidorus Pacensis pag. 23. Huius regni in anno VI. (id est Constantini Copronymi, quem malè statuit cœpisse anno demum 744. (cuius erroris per omne Chronicon fusi originem aliàs aperui) in ærâ DCCLXXXIV. (corrige DCCLXXXVIII.) Nonis Aprilis, Dominicâ, hora prima, & feriis 2. & 3. visi tres Soles, *&c.* Paullò pòst subdit: Huius Constantini tempore æra 788. anno imperij eius sexto, Arabum 133. Abdella sedem appetiit Regiam, *&c.* Indictione 3. labente die 25. Ianuarij natus est Imperatori Constantino filius ex Chagani Cazariæ Regis filia Maria, quem nominauit Leonem, eodémque anno ingenti terræ motu in Syriâ multæ ciuitates concussæ, vt tradit Theophanes, *&c.*

ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ DCCLI. *Childerici* 8. *mortuum Lantfridum, & natum fuisse Carlomannum Regem Pippini ac Bertradæ filium obseruant Annales breues Tiliani. Fuldenses verò, siue Pithœani, hæc habent: Pippinus missa Romam Legatione Zachariam Papam interrogat de Regibus Francorum ex antiquâ Merouingorum stirpe descendentium, qui Reges quidem dicebantur, sed potestas*

Regni tota apud Maiorem domus habebatur, excepto quod Cartæ & Priuilegia Regis nomine ſcribebantur, & in Martis campum, qui Rex dicebatur, plauſtro bobus trahentibus vectus, atque in loco eminenti ſedens, ſemel in anno populis viſus, publica dona ſolemniter ſibi oblata accipiebat, ſtante coram Maioredomus, & quæ deinceps eo anno agenda eſſent populis adnuntiante. Sicque Rege domum redeunte, cætera Regni negotia Maiordomus adminiſtrabat. Orat ergo ſibi decerni, quis eorum iuſtè Rex debeat dici & eſſe, is, qui ſecurus domi ſedeat, an ille, qui curam totius Regni & omnium negotiorum moleſtias ſufferat. Quid reſponſi tulerint Burcardus & Fulradus eam ob rem à Francis Romam miſſi, dicetur ex iiſdem Annalibus anno ſeq. Zacharias Papa die 4. Nouembris epiſtolam ſcripſit ad S. Bonifacium, quâ Moguntiam in Metropolim erexit, vt diximus in Chronico Technico, vbi etiam inſinuauimus die 6. Iunij in feſto Pentecoſtes, Indictione quarta, Conſtantinum Imp. Leonem filium ſuum coronaſſe Auguſtum per Anaſtaſium Patriarcham C P. conſentaneum ſuum, vt loquitur Miſcella. *Sunt quoque qui eadem die 4. Nouembris Indictione quinta iam inchoata, Conſtantini Copronymi 32. ſcilicet ex quo regnare cum Leone Iſaurico patre cœperat, aſſerant datas ab eodem Zacharia Romano Pontifice litteras de creando Pippino Rege. Quod ſi veritate ſubnixum ſit, actum planè eſt de ſententia Chronologorum illorum, qui Pippini Regis exordia eiúſque inaugurationem à S. Bonifacio Moguntino Archiepiſcopo Apoſtolicæ ſedis Legato peractam volunt anno ſuperiore, noſtráque in omnibus firma conſtans atque immota ſtabit opinio, qui regnum Pippini & exauctorationem Childerici in annum proximè conſequentem cum doctiſſimis quibúſque noſtræ huius ac ſuperioris ætatis Scriptoribus reiicimus.*

HIST.

Digitized by Google

Digitized by Google